DE RECTA
PASCHÆ
INDICTIONÉ
SOLUTIONES QUÆSTIONUM

JACOBI BETTAZZI PRATENSIS

PLEBANI SANCTI HIPPOLYTI IN PIAZZANESE

DIOECESIS PISTORIENSIS

DE RECTA PASCHÆ INDICTIONE

SOLUTIONES QUÆSTIONUM


AB ANONYMO, ET ALIIS EDITARUM

Proferentes necessitatem, utilitatem, & honestatem, simulque methodum facilem emendandi sine Calendarii, & Martyrologii variatione Correctionem vulgo Gregorianam

AC ETIAM

Detegentes veram veterum temporum rationem ad Historiæ, & Chronologiæ utilitatem.

TOMUS PRIMUS.





LUCÆ MDCCLVI.

Typis Josephi Salani. Ad Turrim Horar.

SUPERIORUM LICENTIA.

LECTORI
DE VITA, STUDIIS, ET RATIONE OPERUM AUCTORIS.



Apientum virorum proprium esse solet, ut quos doctrina, & eruditione præditos fuisse intellexerint, eos vel sibi familiaritate devincire studeant, vel si adsequi id non possint, eorum certe, quorum post mortem celebrari nomina audiunt, vitæ rationem, gestaque omnia cupiant agnoscere. Quare ut iis satisfiat, qui præclara opera perlegerint Jacobi Bettazzii viri certe doctissimi, cujus merito virtutem, scientiamque omnes admirantur, de ejus origine primum, moribus, ingeniique facultatibus dicemus pauca, postremo de Operibus ab ipso editis rationem dabimus.

Natus est igitur Jacobus Prati, quod est Hetruriæ illustre Oppidum, parentibus honestissimis ejusdem Urbis civibus XIII. Kal. Decembris anno a Christo nato MDCLXXXIV. Sacrisque initiatus Jacobi nomen accepit. Adhuc peradolescentulus gravitatem, pietatem, ingeniique celeritatem præ se maximam tulit. Fulgebat igitur jam in adolescentulo indoles virtutis. Itaque cum vix per ætatem fungi officio aliquo posse videretur, magnis precibus, septem annos natus, clericali militiæ adscribi impetravit. Eo in munere quis postea esset futurus ostendit. A pueritibus rebus animo semper fuit alieno, sacrisque functionibus obeundis intentus nullum remittebat tempus. Humanioribus litteris, ut facilius, & præstantius erudiretur, optimo traditur Magistro Dominico Franchio Pratensi, qui cum mentem, indolem, & ingenium pueri animadvertisset, summam de illo spem cepit, posteaque intellexit, quæ præviderat, feliciter cedere. His itaque animi dotibus factum est, ut in intimam pervenerit Præceptoris sui familiaritatem, quem amicitiæ locum semper tenuit, non in Patria solum, sed etiam in aliis Civitatibus. Accersitus enim Florentiam Dominicus Franchius ab Archiepiscopo illius urbis Strozzio, ut in Seminario recens ibi extructo aliquot clericos liberales artes, & Ecclesiasticam disciplinam doceret, juvenem Jacobum itineris comitem sibi adsciscere summopere curavit, quem scientiis, quibus potuit, instruere nunquam destitit. Rethorices ibi, & Logices præcepta habuit, sacrisque Ordinibus est initiatus. Majori semper addiscendi studio flagrans Geometriæ, & Philosophiæ Magistrum sibi delegit Doctorem præstantissimum Fidericum Giannettum, apud quem ad aliquot annos vixit, ab eoque Theologiam quoque, Civilesque institutiones est edoctus. Sacerdos deinde factus Patriæ sese restituit, ibique altiores studendi rationes iniit. Nihil unquam omisit eorum, quæ ad majorem in scientiis eruditionem, notitiamque comparandam inserviunt. Sæpe adire solitus virum certe omnium opinione doctissimum, & Mathefeos præsertim peritissimum P. Augustinum Gattinium ex Cænobitarum S. Augustini familia; cum eo quem de sententia non finitimarum urbium modo, verum & dissitarum quoque illustriores viri per litteras

teras

teras consulebant, consilia miscere, disceptationes instituere, diffidentium scriptorum sententias componere, studere. Quare Mathesim maxime calluit, indeque postea plurimi in Christianam Remp. fructus, atque utilitates derivarunt. Pisas Civium suorum suffragio missus, ut ibi doctoratus lauream consequeretur, ibique annum commoratus in Patriam revocatur. Hic virum Jacobum, quem omnes norant maximi consilii, pietate, & scientia præditum, Parochum renunciant Ecclesiæ sub auspiciis Divi Hippolyti Martyris eo in loco, qui nostris dicitur Piazzanese, *absens ab Urbe Prato tria passuum millia, idque ei oneris imponunt Anno Domini MDCCXXII. Quanta ejus extiterit in Deum religio, in animarum sibi commissarum salute procuranda attentio, ac studium, in sacris rite sancteque obeundis zelus & ardor, in pauperes misericordia nemo non intelligit, si virum cogitet tot animi dotibus cumulatum. Si ad eum invisendum quis venisset, Ecclesiam statim summa humanitate, & comitate illum, ut secum adiret, orabat, hicque in precationibus fundendis ad aliquod tempus morabatur. Nullus stipem ab eo efflagitavit, quin eam non sit consecutus. Plurimum præterea humilitate excelluit, quod si lacessitus quandoque respondere suis obtrectatoribus cogeretur continens, patiensque admirandum in modum eorum ferens injurias, inprimisque commissa celans, summa eruditionis copia, maximoque argumentorum pondere, quod necesse erat, reponebat; & quasi læsisse aliquem in iis, quæ responderat, dubitaret, in lucem prodire conscripta ab se opera non sinebat, quin prius prudentum hominum judicio, & correctioni subiiceret, ut si quæ in iis vehementer, aut aspere dixisset, quæve peccasset, corrigerent.*

Sed nos tempus est, postquam de Jacobi Bettazzii virtutibus, ingeniique facultatibus pauca diximus, de Operum ab eo editorum, deque exantlatis ob hoc ad Dei O. M. gloriam laboribus dicere. Noverat jam Ecclesia universa,
Ratio Operum Auctoris. Epactas *hoc sæculo, quæ unitate deficiunt, eodem ipso die quartamdecimam signare, quo accidit Plenilunium; ex quo fit, ut non raro contra, ac sacræ literæ, Conciliorum statuta, & Patrum traditio postulet, Paschæ diem celebremus Luna XXII. quæ extra constitutum hujus festi tempus omnino reperitur. Multorum propterea doctissimorum virorum studium, curamque omnem ante & post hujus sæculi initium in eo sitam novimus, ut excogitarent, quo modo tot incommodis tandem Ecclesia posset occurrere. Diu, multumque hac in re laborarunt Vir Cl. Cassinus, Franciscus Levera, Dionysius Varianelli aliique, qui Romanis Pontificibus illud sæpius repetebant, Calendarium corrigi oportere. Verum difficile opus illud erat, quod sibi assumpserant, neque ea, quæ, ab iis proponebantur, satis accommodata. Igitur Jacobus Bettazzius, cum vix adolescentiam esset ingressus, ingenium ipse suum, suosque labores ad hanc rem conferre statuit, in qua summa erat Omnipotentis Dei gloria, Ecclesiæque utilitas constituta. Nonnulli ab eo Cycli inventi sunt, iique pulcherrimi, & ad Calendarii emendationem aptissimi. In hæc studia, dum omnium admiratione incumbit, intelligit Aloysii Lilii Epactas, quæ Gregorii XIII. Mathematicis probatæ fuere, aptissimas esse ad Paschæ diem enunciandum, dummodo ab*
Acrae *500. anno Christianæ Epactæ, non ab 550. initium desumpsissent, & earundem æquationes alio fuissent ordine dispositæ, ac sunt in P. C.avii Calendario; quo fiebat, ut Gregorii Calendarium ab erroribus bene multis corrigeretur, & Paschæ solemnitas indicaretur accuratius. Lilii ergo Epactas alia ratione æquavit Jacobus noster. Opus hoc cum confecisset, quod certe in magnum volumen excreverat, illud superesse dumtaxat videbatur, ut typis excuderetur, Romanique Pontificis judicio submitteretur, ut approbaret, si dignum approbatione censuisset.*

censuisset. Sed quoniam, ut id fieret, magnis sumptibus opus erat, quibus faciendis se imparem sentiebat, Clementem hujus nominis XII. adiit, ab eoque efflagitavit, ut librum perpenderet, ac sanctæ Sedis expensis typis imprimi curaret. Ad hanc rem summa humanitate animum adjecit Romanus Pontifex, remque universam ob oculos poni voluit Cl. Viri Eustachii Manfredi Bononiensis Universitatis Mathematici, & instituti Scientiarum Astronomi. Omni studio, ac diligentia Bettazzii librum expendit vir doctissimus; ingenium Jacobi in eo est admiratus; obstupuit labores considerans, quos subiit, ut id perficeret: ac demum tantum, *inquit*, laboris exigitur in supputationibus hisce examinandis, de quibus nullus dubitandi est locus, quantum egregius Auctor in iis conficiendis insumpsit. *Id igitur in se recepit Manfredius, ac Bettazzio, quo familiariter utebatur, favere studuit, & illud fortasse ejus opera consequi creditum est, ut tot votis expetita Calendarii correctio tandem fieret. Verum inopinata Eustachii morte spe omnes deciderunt. Operis interea edendi cupidus Jacobus noster, cumque id pro facultatum tenuitate minus posset, quamquam Trasmontani propriis impensis promitterent sese Opus publicaturos, negavit. Nihilo tamen minus laborum, quos susceperat, specimen exhibere studuit, & Operis Epitomen dedit; quam Florentiæ edidis anno* 1733. *Ut in lucem hominum prodiit liber, statim virum profecto maximum Mundus agnovit Jacobum Bettazzium, & approbationem ubique, laudemque est consecutus. Maximopere eum commendarunt, qui* Eruditorum acta *Lipsiæ typis imprimi curant, & D. Guido Grandi Pisis publicus Matheseos professor, quemadmodum ex ejusdem patet epistola, quam Epitomes initio legimus. Qua de re hoc in Opere, cujus mentionem facimus, agatur, Epitome, de qua loquimur satis ostendit. Hic de Solaris anni magnitudine copiose disserit, altissimis, iisque firmissimis rationum momentis, & veterum recentiorumque Astronomorum auctoritate luculente demonstrat Æquinoctium vernum ad maximum tempus ab die* 21. *Martii non decessurum, ea æquatione solaris anni retenta, quam Gregorii XIII. Mathematici comprobarunt; falso ob eam rem sibi eos persuadere pronunciat, qui anuum ab anno diem esse auferendum dictitabant. De re Paschali sermonem deinde habet, deque mediis Plenituniis disputat, inquirens quænam ea sint in quibus Paschæ festum est reponendum. Synodici postea mensis Lunæ magnitudinem pertractat, eumque verum statuit mensem, quem Gregorius definiit, dierum nempe* 29. *h.* 12. 44'. 3''. 10'''. 38''''. *His ita constitutis errores discutit, qui in illud, quod tunc putabat Gregorii Calendarium, irrepsere. Cyclos nonnullos exigit, qui Ecclesiæ proponebantur ad correctionem faciendam, quibus hi premantur incommodis patefacit, quæ consequuntur absurda ostendit, aliosque ab se excogitatos tradit ad Paschæ celebrationem aptiores. Opus istud vere præstantissimum, plurimisque laboribus confectum, innumeris distinctum tabulis modo prælo non subiicitur, sed privata latet in Auctoris sui domo, quousque illius publicandi sese opportunitas obtulerit. Quæ autem in lucem prodeunt Jacobi Bettazzii Opera hæc sunt.* Opus Bettazzii ineditum.

Quod de re Paschali Auctor hic noster volumen elucubrarat Manfredii judicio submisisse Clementem XII. superius diximus: quo tempore idem Manfredius paginam quamdam dedit, ex mandato Clementis ejusdem Pontificis Maximi, nullo subscriptam nomine, in qua hæ Quæstiones universis Europæ Academiis proponebantur, ut explicarent. I. Anne tam crebra, aut tam enormia sint Gregoriani Epactarum Cycli a legitimo Paschæ tempore dissidia, ut ea de causa in ipso Cyclo, ejusque usu quidpiam immutari, aut corrigi deceat? II. Quæ ratio in taxandis civilium dierum initiis, nec non in Lunæ phasibus Opera quæ typis excudun tur.

phasibus ad hunc, illumve diem referendis Ecclesiæ consuetudini, ac menti maxime sit consentanea? III. Quænam ex Catholicæ Ecclesiæ sensu sit Luna quartadecima, & quatenus quartamdecimam Cyclicam cum ea quadrare oporteat, ut Cyclus recte sit constitutus? IV. Qua ratione paschalis quartadecima ante omnem Cyclum ex ipsis Lunæ motibus quotannis internosci possit, quove pacto quartadecima Cyclica, servatis paschalibus limitibus, cum ea componi queat. V. An paschalis Cyclus ad ipsos Lunæ motus quam maxime potest sit aptandus, atque ejus subinde errata quælibet nullo discrimine habenda, an vero erratum aliud præ alio peculiari quodam studio sit præcavendum VI. An si Gregoriana ratio emendanda videatur legitimæ Paschæ celebrationi satis sit prospectum ad annum saltem Christianæ Æræ 5000. ubi pro consuetis epactis Lilianæ, aut pro utrisque aliæ, ex radice alia intermedia, veluti ex anno 400. cum litteræ tabulæ expansæ P. deductæ usurpentur, intacto alioquin Gregoriano Kalendario, eademque in æquandis epactis ratione servata, qua in præsens utimur. VII. An consultius sit ad Paschæ indictionem consuetis epactarum æquationibus abrogatis, unum aliquem e Cyclis a Bettazzio excogitatis sectari, eum præsertim, cui titulum fecit aureæ columnæ annorum 38.quicunque vero ex iis probetur, an illæ ipsæ epactæ accipiendæ sint, quas Auctor in Operis paschalis Epitome in tabulas retulit? VIII. Quod si ne hæc quidem ratio arrideat, octavo illud saltem quæritur: quæ demum Cyclica methodus, sive nova, sive ab aliquo anteac edita paschali huic negotio explicando opportunissima videatur? *His igitur per Europam missis quæstionibus ex tot doctissimis viris neminem respondisse novimus. Unus Jacobus Bettazzius singulis satisfacere est aggressus, Calendarii correctionem, hoc pacto, confidens faciliorem futuram. Hoc ergo primum est Operum suorum volumen, quod e prælo modo venit, in quo Auctoris præcellens ingenium, amplissimamque eruditionem suspicere omnes debeant; vereque de Jacobo nostro dici potest: quidquid scientiæ, quidquid studii, ac laboris in his libris est, totum esse suum. Dum hujusmodi quæstionibus respondet Gregorii Cyclum discutit, atque errores aperit; Sanctorum Patrum sententiam, ac Nicænæ Synodi mentem de Paschæ festo habendo inquirit; de pluribus Cyclis disputationem instituit, de eo præsertim, qui est Julii Cæsaris, illoque aurei numeri, cui Niceni Concilii Patres subscripsere; ac de iis postremo, quibus primoribus Christianæ Reipub. temporibus Ecclesiæ utebantur. Ex latebris in lucem profert veterem Judeæ Gentis Cyclum, & qua methodo lunarem annum Hebræi direxerint certis argumentis explanat: quibus præterea incommodis urgeatur recens Judeorum Cyclus, quem ad Pascha celebrandum adhibent, aperte indicat. Illust. Blanchinium, Emi. Norisium, Petavium, Bucherium, Usserium, aliosque in multis reiicit. De Ecclesiastico Æquinoctio, quod paschales lunationes disponere debet, disputationem habet. Quo anno Servator noster natus, & quo mortem oppetierit, perscrutatur. Tandem, quoniam singula persequi longum esset, plurima ad veram, ut ajunt,* Chronologiam *multorum seculorum ante, & post Christi adventum statuendam, scitu necessaria detegit.*

Tomus primus.

Dum his solvendis quæstionibus immoratur, quæ primum, uti diximus, Bettazzii codicem constituunt, Opus prodiit P. Melitonis Perpinianensis e Cappuccinorum, quos dicunt, familia, cujus hæc erat inscriptio: Gregoriana correctio illustrata, ampliata, & a conviciis vindicata, ubi omnia sæcula tam a creatione præterita, quam ad sæculi consummationem futura Gregoriana norma moderantur. *Multis, quæ in hoc libro legebantur, in primo, quem scripserat,*

Tomus secundus.

scripserat, volumine occurrerat Bettazzius, quare brevibus verbis P. Melitoni respondit; Lucæque Opusculum publicavit anno 1744. *cui hunc dedit titulum*: Sentimento del Piovano Jacopo Bettazzi di Prato intorno al libro del M. R. P. Melitone da Perpignano. *Paginam hanc cum perlegit Meliton, se læsum putavit; quare sui Operis, & Gregoriani Calendarii vindicias accepit libello dato, quem inscripsit*: Apologia correctionis Gregorianæ, operisque a R. P. Melitone Perpinianensi Cappuccino editi adversus Jacobum Bettazzium Pratensem Plebanum S. Hippoliti in Piazzanese diœcesis Pistoriensis MDCCXLV. *Bettazzius, ut multa reposuisse P. Melitonem hoc in Opere vidit, fuse omnia refellere constituit; sicque alterum confecit librum, quem nunc in lucem damus. Jam ipsum non solum Cyclos nonnullos Ecclesiæ exhibuisse, sed etiam Calendarium, quod Gregorii putabat, correxisse, nova in Lilii epactis adhibita æquatione, supra commemoravimus. At postquam multos annos improbo, & pene incredibili labore in his scientiis est versatus, perspexit tandem, eam, quam hucusque Ecclesia methodum in epactis æquandis servavit, eamdem illam non esse, quam Gregorii XIII. Mathematici decreverant, quos tamen eadem illa ratione epactas æquasse intellexit, qua ipse in primo de re Paschali Opere æquarat, ut Calendarium, quod omnino deturpatum fuerat, emendaret. Hac igitur re detecta, quod nulli antea concessum fuit, Melitonis librum facili negotio confutat; idque positis quæstionibus quatuor commodius præstat. Harum quæstionum prima solarem annum discutit, concluditque Gregorianæ periodi initium annorum* 400. *in annum* 1700. *minime vero in annum* 1600. *esse collocandum, si id tamen Romanæ Ecclesiæ probetur, cujus semper judicio se submittit: Si hoc fiat, demonstrat, epactarum Cyclum, & Gregorii Calendarium omnibus temporibus integrum, & intactum futurum. Altera est quæstio de lunari anno; inquirit præterea quænam Ecclesiæ judicio sit Paschalis XIV. & qua ratione eam Cyclus determinare debeat, ut sit rectus; quanti deinde referat, ut statuto tempore Ecclesia Paschæ festum habeat; Nicænam Synodum non ideo coactam, ut præter Arianorum causam, etiam Quartedecimanorum, quos dicunt, errorem revinceret, utpote qui Victoris I. judicio damnati a sententia decesserant; sed eo consilio, ut unum Ecclesia universa Cyclum amplecteretur, quo in Paschate celebrando omnes consentirent, Hippolyti, atque Anatolii Cyclos nunquam in Catholica Ecclesia usum obtinuisse demonstrat; ostendit tandem in Cyclis disponendis unum dumtaxat meridianum attendendum, nulla ad meridianorum terræ dissimilitudinem habita ratione. Tertia ostendit quæstione epactas, quæ modo circumferuntur Paschæ tempus minime definire ea ratione, qua Gregorius statuerat. Quartam demum quæstionem statuit, qua epactas, quibus utimur, discutit, num Gregorianæ sint; demonstratque apertissime, eas ab anno* 1700. *usque in perpetuum Gregorii non esse, nec vero futuras, cum Gregorii ejusdem Calendarium fuerit immutatum, docetque quo pacto restitui idem Calendarium possit, quin cætera Calendaria, ac Breviaria varientur. Methodum quoque facillimam tradit, qua Gregorii epactæ nullis litteris, aut tabulis quovis anno possint inveniri. Sed quoniam P. Meliton Bettazzium provocarat, ut Cyclorum, quos adinvenerat, rationem referret, cum nullum illo potiorem excogitari posse existimaret, quem Clavius exposuit, & quem Gregorianum putabat, de suis propterea Cyclis Jacobus noster disputat circa hujus Operis finem, & ad evidentiam usque ostendit, Cyclum suum annorum* 38. *quem vocat* Aureæ Columnæ, *esse omnium possibilium præstantissimum; quem si respuant, meliorem alium non posse inveniri Gregoriano illo, quem ipse in integrum restituerat.*

Tertius est Codex, de quo pauca dicturi sumus. In Opere suo Paschali, aliisque Tomus Tertius.

que, quos supra commemoravimus libris sæpius annum innuerat, quo Redemptor noster mortem obierat, & Pascha cum Discipulis celebrarat, ejusdemque mortis annum constituerat Christianæ Æræ 30. Verum ne rei hujusce ullum superesset dubium, omnibusque difficultatibus occurri posset; cumque inter sententiarum tot dissidia paucis verbis rem tantam aperiri non posse intelligeret, Opus idcirco super hoc conficere studuit, quod tanto viro dignum videatur. Rationibus ergo, quas nullus antea excogitavit, ex divinis eloquiis, ex Sacris Profanisque Scriptoribus, ex Patrum traditione, ex veteri Judæorum Cyclo, quem ipse repererat, ex Cyclo itidem Romanorum, ex variis Cronologiæ principiis, postremo ex Lunæ motibus clare demonstrat, Divinum Reparatorem natum sub finem anni Æræ vulgaris quinti, & anno ejusdem Æræ trigesimo e vivis sublatum Feria 6. tertiæ hebdomadæ mensis Martii, eo ipso die, quo carnem assumpserat, quemadmodum quorumdam Patrum fert traditio, si eo tamen sensu menses sumantur, ut oportet. Tandem quæ orirentur absurda pandit, quando Servatoris nostri nativitas, & mors alio constituerentur tempore. Opus profecto istud excellens, maximeque faciendum.

His ita perfectis rebus, accidit, ut Florentiæ ea, quæ in Bettazzii Operibus erant præcipua semel, atque iterum publice defenderentur, cum jam sua Opera publicandi spem omnem Jacobus noster deposuerat. Animus tamen hinc illi accessit, & cum sui eum familiares deprecarentur, factum est, ut quæ tanta eruditione, ac doctrina scripserat, typis imprimi curaret. Verum ad extremam jam ætatem devenerat; quamobrem ne integrum quidem primum suum volumen typis excussum videre potuit; a Deo enim in Cœlum est evocatus æternam justitiæ coronam, ut pie creditum est, recepturus, postquam multos menses adversa valetu. ine laboravit. Tot igitur ad Dei gloriam, Ecclesiæque decorem functus laboribus Jacobus Bettazzius Prati XVII. Kal. Maii salutis anno 1755. Sub mediam noctem e vita migravit, qui ingenti sui, suique studii in Deum, & proximum charitatis illustria reliquit monumenta.

Ne quid Operi desit, errata, quæ adhuc corrigenda supererant hic subiicimus.

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 57. Num. 8. in fine Patriarchæ apud	Patriarchæ Alexandrini apud.
Pag. 89. Num 85. V. 12. aut retrorsum quartædecimæ	aut retrorsum a Cœlestis quartædecimæ?
Pag. 131. Num. 69. V. 52. 23. Octobris	13. Octobris.
Pag. 132. V. 2. aureus Cæsaris 4.	aureus Cæsaris numerus 4.
Pag. 137 Num 8. V. ult. Anni Juliani	Anni primi Juliani.
Pag. 143 Num. 86 V. 47. Cycli Epocam	Cycli Cæsaris Epocam.
Pag. 273. V. 2. Annis 1818. 1837. 1839. 1875.1894.	1818. 1837. 1875. 1894.
Pag. 353 Num 19 V. 11. Pharmuthlig	Pharmuthi 19.
Pag. 380. Later. 2200. Epacta XVI.	Epacta XIV.

JACOBI BETTAZZI
DE RECTA PASCHÆ INDICTIONE
SOLUTIO QUÆSTIONUM.



Uid fortius, inquit Sanctus Augustinus in Joan. cap. 6. tract. 26. num. 5. *desiderat Anima quam veritatem*? Sapienti igitur consilio solutio petita est quarundam Quæstionum – *De recta Paschæ Indictione* – qua non tantum animi voluptas concipitur, sed etiam commune bonum promovetur. Hasce Quæstiones doctissimus Anonymus duobus foliis edidit, in quibus eas eleganter ponit animadversiones, quæ statum, &. causam patefaciunt Quæstionis propositæ. Ne quidquam præteriisse videar, ea omnia, quæ Anonymus edidit, præcise, ut jacent in originali, diverso charactere referuntur, disgregatis dumtaxat materiis, ut statim ac lectoris sagacitas eruditissimi Anonymi positiones apprehenderit, dijudicare possit, utrum quæ exhibentur ad cujusque Quæstionis quadrent resolutionem. Nemo tamen mihi vitio vertat, si non raro quædam alia circa eumdem Titulum interim expendantur. Id enim factum est, ne videantur neglectæ quorumdam doctissimorum virorum propositiones, quæ rem minus peritis forsan ambiguam relinquerent. Attente quæso legantur omnia, cum nec obvia sint, neque sine perdifficili indagine, quamvis planam adhibere methodum curaverim in eorum expositione. Eo denique solum animo legantur, ut rectum de illis pro bono Ecclesiæ proferatur judicium, quemadmodum Lectoris humanitatem etiam atque etiam oro.

QUÆSTIO PRIMA
ANONYMUS
Quæstiones de recta Paschæ Indictione.

„ JAm pridem animadversum est, ac doctorum etiam hominum scriptis „ pervulgatum, CHRISTIANUM PASCHA, quod ad GREGORII XIII. præ„ scriptum in Romana Ecclesia ex Epactarum Cyclo, quotannis indi„ citur, lunaribus quandoque terminis; quos in ea celebritate servan„ dos antiquissima Ecclesiæ institutio præfinivit, minus recte respon„ dere, si Lunæ ipsius in Cœlo positus, ac conversiones spectentur.

„ Primum ergo quæritur anne tam crebra, aut tam enormia sint Gre„ goriani Æpactarum Cycli a legitimo Paschæ tempore dissidia, ut ea de „ causa in ipso Cyclo ejusque usu quidpiam immutari, aut corrigi deceat.

„ DUBITANDI CAUSA EX EO præsertim oritur, quod neque novum, „ neque ipsi Gregorio XIII. improvisum dici possit, si quando lunares „ articuli, quos Ecclesia Astronomicarum rationum subtilitate postha„ bita, per Cyclos; sive periodos novilunia in orbem restituentes defi-

„ nire consuevit, a Cœlestium motuum rigore non nihil abscedant; nullum enim Cyclum excogitari posse, qui iis motibus exquisite respondeat, & Astronomi celeberrimi opinati sunt, & Gregoriani ipsi Canones diserte monent; quinimo Epactarum Cyclum certis ex causis, ita de industria ordinatum fatentur, ut non nihil serius, quam pro astronomicis rationibus lunæ tempora exhibeat. Quapropter minime ob leves a cœlo dissensus immutanda videtur Gregoriana methodus, sed maturo quodam, ac prudenti Judicio dispiciendum, an a constitutis Paschæ temporibus, ita in universum evagetur, ut de ipsa emendanda cogitandum sit, nisi forte novus aliquis Cyclus, aut nova Epactarum Cycli dispositio proponatur, qua servata, vel nunquam, vel longe minus peccetur.

S O L U T I O.

N. 1 Sacratissimam Paschæ Festivitatem Sancti Patres ex Sacris Paginis, atque ex Apostolica traditione accipientes, non rem liberam, aut indifferentem tradiderunt, quemadmodum Novatiani quarto Christi sæculo jam adulto, in Sangariensi Conciliabulo erronee putaverunt apud Socratem *in Hist. Ecclef. lib. 5. cap. 20.*, & Sozomenum lib. 7. Hist. Ecclef. cap. 18., sed quibusdam præcipuis diebus alligatam esse professi sunt, ut inferius probatur num. 16. Et quoniam *vetus Pascha*, (sunt verba Sancti Joannis Chrysostomi tom. 1. recentioris editionis, oratione 3. in eos, qui Pascha jejunant num. 4. pag. 610.) *vetus*, inquam, *Pascha futuri erat figura* — & ut ait Bellarminus tom. 2. de Cultu Sanctorum lib. 3. cap. 12. §. *Hæc ipsa &c.* *Festus dies Judæorum*, nempe Azymorum solemnitatis, sive luna quinta decima primi mensis, in qua Populus Israel, ut legitur in Exodo cap. 12. ab Ægyptiorum tyrannide liberatus fuit — *nostrum Festum diem præfigurabat* — quem propterea in Epistola Constantini Magni de synodo Nicæna per extensum a me relata in Dissertatione post *quæstionem* tertiam num. 19. appellatum invenio — *Libertatis nostræ Festum*, idcirco iidem Sancti Patres de hujusmodi Festivitate maxime fuerunt solliciti, celebratis, ut refert Eusebius Pamphili in *Hist. Ecclef. lib. 5. cap. 23. & 25.* celebratis, inquam, pro hac re ubique Provincialibus Conciliis; quod signum est magnæ sollicitudinis.

2 Salutaribus horum Conciliorum definitionibus cum non acquieverint Asiam minorem incolentes, Festum Paschæ diem agebant quo die quarto decimo Lunæ primi mensis Judæi Agnum immolabant; & cum Blastus ad relata per Tertullianum *de Præscrip. cap. 53.* Judaismum Romæ latenter introducere ausus fuerit, dicens — ibi — *Pascha non aliter constituendum esse, nisi secundum Legem Moysi decima quarta mensis* — Sanctus Victor Papa primus, & Martyr (sequuntur verba Eusebii loc. cit. cap. 24.) *Illico omnes Asiæ* (nempe minoris) *Vicinarumque Provinciarum Ecclesias, tanquam contraria rectæ fidei sentientes a communione abscindere conatur, datisque literis universos, qui illic erant, Fratres proscripsit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronunciavit.* Unde qui hac Sancti Victoris sententia percussi sunt, quartadecimani appellati, ac pro hæreticis habiti fuerunt, ut patet ex Tertulliano nuper allegato, ex sancto Epiphanio *hæref. 50.* ex Philastrio Brixiensi Episcopo Hær. 11. ex Sancto Augustino tom. 8. lib. de Hæ-

de Hæresibus -- *Heres.* 29. ex Theodoreto *lib.* 3. *de hereticis Tabulis* ex Damasceno *lib. de heresibus*; & desacto inter hæreticos recensentur in Constantinopolitano primo Concilio Anni 381. *Canone septimo* apud Labbe tom. 2. Concil. pag. 952. & Harduinum in Actis Concil. tom. 1. pag. 811. -- ibi -- *Arrianos quidem, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, qui dicunt se ipsos catharos, & Aristeros, & Tessaradecatitas, sive Tetratitas, & Apollinaristas recipimus, dantes quidem Libellos, & omnem heresim anathematizantes; que non sentit, ut Sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia -- Tessaradecatite* namque erant Quartadecimani, qui *Tessaradecatite* (sequuntur verba Sancti Augustini loc. cit.) *hinc appellati sunt, quod non nisi quarta decima luna Pascha celebrant, quilibet septem dierum occurrat dies; & si dies Dominicus occurrerit, ipsa die jejunant, & vigilant.* Unde in proxime posterioribus oecumenicis Conciliis Ephesino, & Calcedonense pronunciata fuerunt, quæ notabuntur in Dissertatione post Quæstionem Tertiam num. 243. Quis ergo dubitat quibusdam præcipuis diebus alligatam esse Paschæ Festivitatem, summamque de ipsa apud veteres Patres fuisse sollicitudinem?

3 Memorabile tamen est, quod legitur in Synodali Epistola Cæsariensis Concilii, auctoritate, & hortatu prælaudati Sancti Victoris, pro ipsa re anno 198. celebrati apud Eusebium *loc. cit. cap.* 25. -- ibi -- *Date operam, ut Epistole nostre exemplaria per omnes Ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui Animas a recto veritatis tramite facile abducunt.* -- Tanti namque hoc ipsum faciebant Cæsarienses Patres, ut summo crimini sibi viderentur obnoxii, si sua ipsorum incuria alii a legitima Paschæ observantia discreparent.

4 Et quidem in Arelatensi primo Concilio Anni 314. propter Donatistarum causam præcise convocato, cui Constantinus Magnus, quatuor legati Sancti Sylvestri Papæ, multique ex universo fere orbe Episcopi interfuerunt, non de ipsa Donatistarum causa primo loco disceptatum fuit, sed -- *id primo loco* (sunt verba Epistolæ Synodalis ejusdem Concilii ad Sanctum Sylvestrum Papam insertæ *tom.* 1. *Conciliorum ad regiam editionem exaratorum Lutetie Parisiorum Anni* 1671. -- pag. 1426.) *id primo loco de vita nostra, atque utilitate tractandum fuit, ut quia unus pro multis mortuus est, & resurrexit, ab omnibus tempus ipsum* (nempe mortis, & resurrectionis) *ita religiosa mente observetur, ne divisiones, vel dissensiones in tanto obsequio devotionis possint exurgere. Censemus ergo Pascha Domini per orbem totum una die observari.*

5 Nicænum vero Concilium Anni 325. post quæstionem de Fide contra Arrium, nihil putavit magis dignum diligenti discussione, & determinatione, quam de die Paschæ, ut patet ex allegata Constantini Magni Epistola. Imo Sanctus Athanasius, cujus verba retuli in allegata Dissert. num. 12. -- Concilium Nicænum propter duas causas fuisse convocatum affirmat, propter controversiam, scilicet de Paschate, ac propter hæresim Arrii. At quæ nam erat ista de Paschate controversia?

6 Commentum quorumdam est, illudque patefaciam *loc. cit. num.* 20. *& seqq.* controversiam de Paschate tunc fuisse solum de Quartadecimanis, quos nuper commemoravi. Revera Hæresis Quartadecimanorum, magnam declinationem suam Nicæni Ævo agnoverat. Quoniam Asia proprie dicta, sive Asia minor, quæ contra decretum Sancti Victoris Papæ primi, instigante Policrate Ephesi Episcopo ad re-

lata per Eusebium *loc. cit.* statuerat celebrationem Paschæ, quo die Judæi juxta Exodi præceptum cap. 12. Agnum immolabant quarto decimo Lunæ primi mensis, in quemcumque Septimanæ diem incidente, Catholicam veritatem jam amplexa erat. Quod enim Nicæni Ævo *in urbe Roma* sic legitur in allegata Constantini Magni Epistola, *perque omnem Italiam Africam, Ægyptum, per Hispaniam, Gallias, Britannias, Libias, per universam Acajam*, id ipsum *per Asianam Diœcesim concordi sententia observatur*.

7 In Nicæna itaque Synodo, licet de Quartadecimanis disceptatum fuerit, præcipua tamen controversia, propter quam ipsa Synodus convocata fuit, ex eo erat, quia nonnulli Orientales, tum a cæteris Orbis partibus Catholicis, tum a Judæis, & Quartadecimanis in celebratione Paschæ dissidebant; a Judæis scilicet, & Quartadecimanis, quia sacrum Paschæ diem agebant die Dominico post quartam decimam proxime occurrente; a cæteris vero Orbis partibus Catholicis dissidebant, quia cum Judæis, & Quartadecimanis Pascha celebrabant, quatenus sese Judæis, & Quartadecimanis accomodabant, nomenclaturam dierum lunarium accipientes ex Cyclo Judaico, quemadmodum res hæc plane difficilis explanatur in præallegata dissertatione *num.* 20. *& pluribus seqq.* ubi contra Eminentissimum Noris, & quosdam Recentiores ipsum sequentes, etiam expenditur, *an Romana Ecclesia prioribus quinque Christi sæculis exhorruerit celebrationem Paschæ luna quinta decima primi mensis in Dominicam incidente, & consueverit idem Festum agere luna vigesima secunda, dimissa decima quinta*; Quod merum commentum esse atque Romanæ Ecclesiæ injuria imputatum, eadem Dissertatione evidenter ostenditur.

8 Controversiis de Pascha Synodus Nicæna finem posuit. Contra Quartadecimanos enim nihil novi definiens, sed confirmans decretum juxta Apostolicam Traditionem a Sancto Victore Papa primo emanatum, statuit celebrationem Paschæ -- *die* (sunt verba decreti, quod multi Orientales Nicænum reputant, veteribus tamen monumentis quoad substantiam comprobata loc. cit.) *die* inquam, *quo Dominus resurrexit a mortuis, qui quartam decimam primi mensis subsequitur*. Circa prædictam vero Orientalium controversiam definivit -- *eam Festivitatem* (sunt verba allegatæ Æpistolæ Constantini) *uno, eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere*. At quoniam indecisa adhuc pendebat dissidiorum origo, quæ erat usus diversorum Cyclorum; eadem Nicæna Synodus, *studens*, ut ait Sanctus Leo Magnus in Epistola 64. -- ad Martianum Augustum, *occasione hujus erroris* [nempe diversi diei Dominici Paschæ] *auferre*, definivit (sequuntur verba Epistolæ Synodalis Nicænæ ad Ecclesiam Alexandrinam &c.) *omnes qui sunt in Oriente Fratres ..... unanimiter cum Romanis, & Alexandrinis Pascha deinceps agere*, quæ omnia apertius probantur, explicanturque *loc. cit. num.* 223. *& seqq.*

9 Hęc Nicæna dispositio, ut ait Rufinus Aquilejensis *in Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. Christianum Orbem in pace composuit, atque adeo venerabilis reputata fuit, ut Episcopi Arriani, licet fuerint ejusdem Sacrosancti Nicæni Concilii osores infestissimi, congregati tamen in Concilio Antiocheno Anni 341. una cum sexaginta Episcopis Catholicis istum, omnium primum, Canonem unanimiter ediderunt apud *Labbe*

Tom.

Tom. 2. *Concil. pag.* 581. & Harduinum *in actis Concil. tom.* 1. *pag.* 592. – ibi -- *omnes qui audent dissolvere regulam Sancti, & Magni Concilii Nicæni, quod celebratum est in præsentia Dei amantissimi Constantini Imperatoris de Sancta, & salutari Festivitate Paschali Salvatoris nostri, Excommunicatos, & ejectos ab Ecclesia esse debere*. Imo Anathema contra eos pronunciatum fuit in Oecumenicis Conciliis Ephesino, & Calcedonense, allegatis num. 243.

10 Si Cœlorum motuum mensura, quæ congruebat Cyclo aureorum numerorum, a Nicænis Patribus [ut ait Sanctus Ambrosius in Epistola 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos] ordinato, sive digesto pro indictione Paschæ perpetuo constans fuisset; universi Christiani nunc exultarent, uno eodemque die unanimiter cum Psalmista canentes -- *Hæc dies, quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea*; neque tantæ Festivitatis splendorem dissensio ulla ad presens imminueret. At æquo longe majorem ipse Cyclus amplectebatur Anni tum Solaris, tum Lunaris magnitudinem; unde factum est, ut vernum Æquinoctium, quod Nicæni Patres diei 21. Martii affixerunt, in diem ferme decimum Martii longo temporis spatio paulatim prolapsum fuerit; cælestis vero quarta decima quatuor diebus antevetterit diem, quem prædictus Cyclus signabat. Malum hoc, ex quo -- *factum est* [ut verba Christophori Clavii in Proœmio Explicationis Calendarii *pag.* 1. *& cap.* 2. *pag.* 70.] *ut sæpe numero Paschæ reliquosque dies Festos mobiles contra Conciliorum Patrumque decreta Ecclesia celebraverit* -- Malum, inquam, hoc ubique deplorabatur; qui tamen remedium opportunum afferret, nemo fuit, licet a multis summis Romanis Pontificibus, Conciliisque Oecumenicis, Constantiæ, Basileæ, Lateranensi sub Leone X. exquisitum sublimioribus ingeniis circa hoc occupatis. Quare Tridentina Synodus non minus sollicita de hac re, id curæ summo Romano Pontifici commisit, ut hujusmodi error, qui *legitimam exigebat veteris Calendarii restitutionem*, corrigeretur. Gregorius XIII. Pont. Max. gl. mem. *ut quæ* (sunt verba ejusdem Gregorii in Bulla incipiente -- *inter gravissimas*) *a Sacro Tridentino Concilio Sedi Apostolicæ reservata sunt, illa ad finem optatum, Deo adjutore, perducantur*, accitis undique peritissimis viris, ac fere per decennium Romæ congregatis, notissimam denique ab Aloysio Lilio inventam edidit correctionem, *& error in quem multis jam Annis* [sunt verba prælaudati Bellarmini *loc. cit.* §. *Ultimus, &c.*] *sæpe incidimus scientes quidem, id advertentes, sed tamen inviti* -- quo meliori modo fieri tunc potuit, correctus fuit.

11 Qui enim ad hujusmodi correctionem delecti fuerant, in Libello, quem de Correctione per eos absoluta eidem Gregorio XIII. exhibuerunt, omnium subscriptione firmatum die 14. Septembris Anno 1580. de quo erit sermo post responsum ad primam partem Tertiæ Quæstionis *num.* 61. *& seqq.* postquam docuerant cum Christophoro Clavio ibidem allegato *eligendum præ cæteris esse Cyclum, qui minora contineat errata*, probarunt Cyclum Epactarum non absolute, sed *ni .... melior Cyclus fuerit oblatus* -- & prout inferius ibidem legitur -- *nisi alius Cyclus perennis inveniatur, qui novilunia, pleniluniaque verius ostendat* --; & quasi nihil horum dixissent hunc paragraphum addiderunt -- *Si quis novus perennis Cyclus a quopiam proponatur, ille per easdem hypotheses diligenter examinandus est; qui si Cyclo Epactarum verior*,

verior, aptiorque fuerit, eum ipsi Epactarum Cyclo anteferendum existimamus.

12 Ecclesia igitur sicut ante correctionem Gregorii in prædictos Cycli errores invita incidebat, ita quoque post correctionem in errores, quos involvunt currentes Epactæ, invita hucusque prolapsa est, Alexander enim VII. Pont. Max. gl. mem. pro recta Paschæ indictione adeo vigilavit, ut pro emendatione Congregationem Romæ deputaverit die 12. Martii 1671. -- *Francisco Levera, & Dionysio Varianelli pro hujusmodi emendatione merito instantibus*, methodum tamen, neque astronomicæ veritati respondentem, neque aptam proponentibus. Clemens vero XI. Pont. Max. gl. mem. oculorum aciem in Sancti Leonis Magni gesta intendens, ejusque inhærens vestigiis, qui in Epistola 64. -- ad Martianum Augustum, sic ait -- *quia memor dispensationis mihi creditæ necesse habeo curas meas, etiam in ea quæ sunt futura præmittere; non improbe cupio clementiæ vestræ studiis adjuvari, ut in ea observantia, quæ certa semper ratione variatur, nihil possit erroris incurri* -- & in Epistola 65. al Pulcheriam Augustam sic loquitur -- *ad Christianissimum & Clementissimum Principem scripta dereximus..... Ut eos qui hujus supputationis perfectam videntur habere notitiam, in unum jubeat convenire, & diligenter inquirere, ne forte..... hic excessus, qui prioribus videtur repugnare temporibus, nostræ conniventiæ, vel negligentiæ deputetur* -- ac denique in Epistola 68. ad Julianum Episcopum sic ait -- *Sollicitius congruit hoc requiri, ut omnis occasio tollatur erroris* -- hisce ergo Sancti Leonis Magni vestigiis inhærens, Clemens XI. exoptavit errores, in quos Epactæ currentes patenter inducunt, emendare, idque adeo in corde habuit, ut præcipuam doctissimorum virorum congregationem Romæ ad hoc præcise deputaverit. At licet insignes viri huic negocio sedulam darent operam; & insuper Christianissimus, & invictissimus Ludovicus Magnus Galliarum Rex, viros clarissimos munificentia tanto Rege digna occupaverit, methodum tamen ad hoc opportunam nemo edidit. Quamobrem nullo emanato decreto Clementina congregatio paulatim per se ipsam defecit.

13 Cum igitur ad præsens plures inventæ sint methodi, quibus prædicti errores opportune corrigi possunt, ut abunde constabit Quæstione quinta num. 37. & Quæstione sexta, & septima fere per totam, merito Anonymus loquens de Epactis currentibus æque, ac si istæ sint Grægorianæ [nondum enim detecta fuerat Gregoriani Cycli deturpatio, vitiosaque currentium Epactarum subrogatio inferius commemoranda] in prima Quæstione posuit discutiendum.

Anne tam crebra, aut tam enormia sint Gregoriani Epactarum Cycli a legitimo Paschæ tempore dissidia, ut ea de causa in ipso Cyclo ejusque usu quidpiam immutari, aut corrigi deceat. Itaque sic procedo.

14 Errata cujusvis Cycli clare discernuntur ex iis, quæ dicturus sum pro resolutione secundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ Quæstionis Anonymi, & præcipue ex dissidio, quod deprehenditur inter Paschalem quartam decimam ab ipso Cyclo designatam, & definitionem Paschalis quartæ decimæ a Cyclo sejunctæ, discussam in resolutione ad tertiam Anonymi Quæstionem, ubi prædicta definitio a quibusdam etiam recentiorum propositionibus vindicatur. *Ad rectam* enim *Paschalis* Festi celebrationem (sunt verba Bullæ Gregorii XIII. Pont. Max., quæ incipit -- *inter gravissimas* --) *juxta sanctiorum Patrum, ac veterum Romanorum*

rum Pontificum, præsertim Pii, & Victoris primorum, nec non magni illius Oecumenici Concilii Nicæni, & aliorum sanctiones, ipsemet Gregorius ibidem docet, necessario requiri non vagam, sive liberam, aut indifferentem, sed -- *rectam positionem quartæ decimæ primi mensis* -- Quod *si rectam*, utique prædictæ definitioni respondentem. Revera propter enunciatum dissidium Anno 260. Æræ vulgaris, Cyclus Julii Cæsaris, illucusque in Ecclesia usurpatus, correctus fuit a Sancto Dionysio Archiepiscopo Alexandrino, ut exponam num. 30., & Anno 1582. -- prælaudatus Gregorius Cyclum Nicænum correxit. Cur insuper tot Æquationes Cycli Gregoriani singulis fere sæculis præstitutæ sunt, nisi, ut Epactę hujus Cycli deprehendantur, quantum fieri potest, concordes prædictæ definitioni? ut loquar vero cum iisdem allegatæ Bullæ verbis, nisi ut -- *decima quarta luna a propriis sedibus nunquam dimoveatur*?

15 Ne sequi videamur errorem Joviniani, a Syricio Papa, & deinde in Mediolanensi Concilio per Divum Ambrosium damnati, *qui, omnia* [sunt verba Sancti Augustini lib. de Hæresibus cap. 81. pag. 18.] *sicut stoici Philosophi paria esse dicebat* --; errata quælibet currentium Epactarum proprio discrimine commemorabuntur. Anno itaque 1700. 1707. 1720. 1727. 1734. 1747. 1754. 1774. 1778. & 1798. -- Cyclus quo ad præsens utimur indicit Pascha luna vigesima secunda; Annis vero 1724. & 1744. idem Festum annuntiat luna [secundum virtutem *Synesis*] vigesima tertia, tunc enim Plenilunium contingit die Sabbati ante Dominicam Palmarum. De hisce omnibus erroribus evidenter constat in Tabula inferius exhibenda in hac Quæstione, atque mentionem facit Anonymus *Quæst. quinta* §. *Qui ergo &c.* Insuper currente aureo num. 14. nempe Annis 1704. 1723. 1742. 1761. 1780. & 1799. ipse Cyclus-Pascha indicit ultimo superioris anni mense, uti patet evidenter in prædicta Tabula, atque apud Anonymum *loc. cit.*

16 Si divinam scripturam animadvertimus, hæc utique docet in Levitico *cap.* 23. *vers.* 4. ut Pascha indicatur, sive proclametur, non quovis tempore sed -- *temporibus suis* -- sive clarius -- *in statuto tempore suo* -- quemadmodum ex textu Hæbraico exponam *Quæstione quinta num.* 27. *&c.* Insuper docet in Deuteronomio *cap.* 16. *vers.* 1. -- *Observa mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo* -- exposito hoc sacræ scripturæ textu Quæstione quarta, in Corollario *num.* 32. *& seqq.* Prædicta vero ejusdem Cycli errata adeo crebra sunt, ut ipse Cyclus non curare videatur Sacros Canones, & Patres, per quos præstitutum est, ut -- *a decima quarta luna primi mensis* (sunt verba Sancti Victoris Primi Papæ, & Martyris in cap. *celebritatem* de *consecrat.* dist. 3. pluribus confirmata apud allegatam Dissert. *num.* 7. *& seq.*) *usque ad vigesimam primam ejusdem mensis eadem celebretur Festivitas*.

Lectorem hic semel monebo, me uti non raro in hoc Opere quibusdam decretalibus eorum Pontificum, qui ante Siricii tempora floruerunt. Me quidem non latet omnem ejusmodi monumentis Fidem a multis nunc doctissimis viris abrogari, contendentibus omnes illas ante Siricium decretales Epistolas, quæ ex Isidoriana Officina primum prodiere, & a Gratiano deinde, aliisque Canonum Collectoribus adoptatæ sunt, supposititias omnino esse, & serius multo quam præseferunt, fuisse procusas. Quidquid de ea sententia dicendum sit, quæ nescio an

in uni-

in universum probari omnibus possit, illud affirmo, salvis etiam eorum, qui ita sentiant rationibus, earum testimonia adhibere mihi licuisse. Sane cum doctissimos illos viros ob eam præcipue causam in ejusmodi sententiam ivisse animadvertam, quod plura, quæ in Decretis illis statuuntur, illorum quibus edita dicuntur temporum disciplina, indigna omnino videantur; illud mihi inter cætera præclare contigit, quod earum, quas ego retuli sensa, atque statuta, non modo cum suorum temporum disciplina, sed & cum Ecclesiasticis monumentis a me probatis omnino consentiunt: neque vero cum disciplina solum, sed cum Ecclesiastica suorum temporum Historia plane congruunt; quod in Dissertatione post Quæstionem tertiam suis locis ita demonstravi, ut dubitationi locus minime supersit. Deinde vero nec Epistolas illas ita adhibui, ut non aliis simul multis magnisque argumentis res meas confirmarem; quo quidem factum est, ut nutantem earum fidem non parum sustinuisse videri possim, cum nihil illis absonum, aut abs re alienum contineri planum fecerim. Persuasum mihi plane est, extitisse olim apud Romanam Ecclesiam Canonum Collectionem, qua & Pontificia Decreta ad multas Occidentis, Orientisque Ecclesias diversis temporibus missa comprehenderentur, cujus rei luculenta (ut arbitror) argumenta colligere possis ex iis, quæ a me dicta sunt in allegata Dissertatione *num.* 237. *&* 238. ubi celeberrimas Aurelii Carthaginensis ad Damasum, & Damasi ad Aurelium Epistolas recitavi, & *num.* 239. ubi verba Epistolæ Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem exhibui, & *num.* 70. 112. 158. *& seqq.* ubi Sancti Leonis testimonia ex Epistola 64. 65. & 68. relata sunt, rursus ea Decreta, cum in Doctorum manus incidissent, varias ob causas corrumpi ab illis, detruncari variarique potuisse. At hæc quidem res minime sufficere videtur, ut & Epistolas illas, quarum cum historia, & disciplina Ecclesiæ manifestam consensionem perspicimus, falsas, suppostitiasque affirmemus.

Quid plura? ipse currentium Epactarum Cyclus propter memorata, quæ sæpissime includit, errata, non curare videtur non solum Sacros Canones, & Patres, ut dictum est, verum etiam allegatos Textus Divinæ Scripturæ, quos Catholica Ecclesia pro recta Christiani Paschatis indictione studiose custodire tenetur; non quia Cæremonialia legis Mosaicæ præcepta servanda sint una cum lege Evangelica, declarante præsertim Eugenio Quarto Pont. Max. *in constit. Super Unione Jacobinorum apud Conciliorum Collectionem Regiam Maximam tom.* 9. *pag.* 1025., quod ipsa cæremonialia præcepta cessaverint; sed quia id docet Apostolica Traditio, quippe quæ docet, Pascha celebrandum esse, prout supra decrevit S. Victor altero ex diebus Azymorum, ut probatum est in præallegata Dissertatione post Quæstionem tertiam numero 6., atque constat ex Natali Alexandro *in Hist. Eccles. secundi sæculi tom.* 3. *Dissert.* 5. *art.* 4. *Propos.* 2., & ex Christiano Lupo *tom.* 1. *pag.* 166. *&* 276., ac etiam, quia idipsum ostendunt tum verba Apostoli Pauli per me exposita *numero* 39. §. *Verum quia &c.* latius vero *post* responsum ad primam partem Quæstionis tertiæ numero 66. & pluribus seqq., tum vaticinium David ibidem expositum; ac demum, quia hoc ipsum clare tradit Synodalis Epistola Concilii Cæsariensis celebrati auctoritate, & hortatu prælaudati Victoris Primi Papæ & martyris, relata

lata

lata per Clavium *in explicatione Calend. cap. 1. num. 5. & alios*; dicens -- ibi -- *De Luna Divinum præceptum teneatur, mandatum per Moysen sit vobis observatum a decima quarta luna usque ad vigesimam primam*; & insuper, quia id etiam suadet Doctrina, quam de nostro Paschate proferunt, ex Divina Scriptura in veteri testamento desumptam, *Theophilus Patriarcha Alexandrinus in Prologo apud Petavium de Doct. Temp. tom. 2. in Appendice, & Sanctus Ambrosius Epistola 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos; Sanctus Augustinus in Epistola 55. ad Inquisitionem Januarii*; & alii Sancti Patres communiter, adeout Sanctus Cyprianus in sermone de Resurrectione Christi circa medium individualiter doceat -- ibi -- *Hæc* (*scilicet quæ pertinebant ad Vetus Judæorum Pascha*) *cum eo tempore fierent in figura, quod nos in veritate agimus, typicè loquebantur*, & sanctus Joannes Chrisostomus, jam allegatus, similiter doceat -- *Vetus Pascha futuri erat figura*.

17 Atque ut ne id temerè dixisse videar, Epactas scilicet currentes nihil pensi habere, ut Sacris Canonibus, allegatisque Divinæ Scripturæ locis respondeant, demonstrabo; primum quoad errata de quarta hebdomada Lunæ, deinde quoad illa de ultimo mense.

18 Quotiescumque cœlestis quintadecima, sive medium Plenilunium hoc labente sæculo contingit die Dominico a præcedente Solis occasu usque ad meridiem, Epactæ, quas adhibemus, nùmquam in eo Pascha indicunt, licèt illa Dominica sit propriè luna quinta decima, sed semper hoc festum enormiter prorogant in sequentem diem Dominicum, qui est luna vigesima secunda, & quarta hebdomada Lunæ; quod idem est, ac dicere aliis Lunæ diebus, quam illis septem Azymorum jam præceptis *in Exodo cap. 12. vers. 14. & seqq., & in Levitico cap. 23. vers. 6.* Medium enim Plenilunium hoc sæculo, non contingit, ut supra, die Dominico, nisi Annis illis, primo loco notatis numero 15. idque omnes deprehendent etiam ex magna Tabula Festorum Mobilium apud Clavium *cap.* 22. licet hæc aliquando mendosa sit, uti alibi exponam. Fateor tamen, quod Anno 1771. medium Plenilunium futurum est die Dominico 31. Martii ante mediam noctem præcedentem, & Epactæ Currentes eodem die legitimè Pascha indicunt; sed hoc tanquam per accidens contingere existimavi, quoniam omnes Cycli, Quæstione Sexta, & Septima expendendi, licet Epactas diversas exhibeant, & prædictam enormitatem corrigant, nihilominus ipso Anno 1771. eumdem diem Paschæ Dominicum designant. Ex hoc verò oritur quòd adveniente ipso Plenilunio etiam die Sabbati eædem Epactæ Currentes quandoque non indicant Pascha, uti oportet, proximo die Dominico, sed illud differant in alium diem Dominicum, qui uti supra, est luna vigesima tertia, quemadmodum futurum est contra ea, quæ docet Sancti Innocentii Primi Papæ Decretum, per me relatum, atque expositum *Quæstione tertia numero* 27. quemadmodum, inquam, futurum est Anno 1744., in quo plenilunium, cœlo demonstrante, adveniet die sabbati ante Dominicam Palmarum. Quanti igitur interest, præcipuos casus animadvertere, in quibus emergere potest Legis violatio! Epactæ, quas adhibemus frequentissimè errant in nomenclatura dierum Lunæ Paschalis, & hunc errorem propter lunæ ecclypsim experti sumus etiam Anno 1736., atque clare cognoscemus proximo Anno 1737., aliisque

ſere omnibus Annis labentis ſæculi. Hoſce tamen Cycli errores ultro condonamus, ea ducti ratione, quia nulla tunc occurrit Legis violatio in deſignanda legitima Paſchæ Dominica. Sed quando occurrit Legis violatio in deſignatione diei Paſchæ, errata omni ſtudio cavenda ſunt; quod ipſum docuit Clavius *in Explic. Calend. cap. 22. num. 4. pag. 562. & cap. 24. num. 13. pag. 584., & cap. 27. num. 4. in fine §. Adſcribimus &c. pag. 614.*, & ratio ſuadet, quoniam -- *oportet nos Fratres* (ſunt verba Beati Clementis Romani in libro de Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib. 5. cap. 18.* præteritis diverſis de hoc libro Sententiis) *oportet nos, Fratres, qui pretioſo Chriſti Sanguine redempti eſtis dies Paſchæ accuratè, & cum omni diligentia celebrare* -- Et quidem hoc fuit ſtudium Sancti Leonis Magni, uti manifeſtat Epiſtola Paſchaſini Lilibetani ad eundem Sanctum Leonem poſt epiſtolam 63. Sancti Leonis atque epiſtola 64. & 65. ejuſdem Sancti Leonis ad Martianum Auguſtum, & reſpectivè ad Pulcheriam Auguſtam; & hoc ipſum fuit ſtudium etiam multorum Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ apud Sanctum Ambroſium in cit. Epiſtola 83., ac denique inter cæteros fuit ſtudium etiam Patrum Lateranenſis Concilii ſub Leone X. Pont. Max. congregati, uti patebit Quæſtione nona num. 9. nec aliter exoptabat Clemen. XI. Pont. Maxim. gl. mem. quoniam *nomen ipſum Paſchæ* (ſunt verba Venerabilis Bedæ libro *de temporibus cap. 15.*) *tranſitum de morte ad vitam ſignificans, congruum quoque myſteriis inquirit*. Nos autem quomodo dici poteſt, *accuratè & cum omni diligentia* celebrare Paſcha, *congruumque Myſteriis tempus inquirere*, Cyclo quem adhibemus, uti ſupra, ſemper erraute?

19 Idipſum evidens eſt circa errata de ultimo menſe. Ogdoas enim, & Hendecas, quæ ſunt partes principales Nicæni circuli decennovenalis, quæque circulum integrè conſtituunt, & de quibus locutus ſum in Epitome Operis Paſchalis a me editæ Anno 1733. *pag. 153. & ſeqq.* ſpatio centum Annorum recurrere in orbem nequeunt, niſi quinquies completè, ſexies vero incompletè. Centenarius enim numerus quinquies tantum complete includit numerum 19. Cyclus ergo Gregorianus prædictis ſex de ultimo menſe peccatis, toties errat, quoties errare poteſt, quoniam toties Ogdoadem, & Hendecadem vitiat, uſurpans nempe Ogdoadem pro Hendecade, & è contra, quo præcisè modo expoſitum eſt Quæſtione quinta *num. 21. & ſeqq.* quoties deturpari poſſunt prædictæ partes circuli decennovennalis Nicæni. Maxima difficultas in ordinando Paſchali Cyclo in eo conſiſtit, ut propriis locis Ogdoas locetur, qua dislocata, errorem aut de ſecundo menſe, aut illum de ultimo menſe graviſſimum emergere neceſſe eſt, quem commemorat Paſchaſinus in præcitata Epiſtola ad Sanctum Leonem Magnum. Cyclus verò Gregorianus, dislocata Ogdoadis ſede, illum graviſſimum contrahit errorem de ultimo menſe, a Paſchalibus nempe reiciens, quod Paſchale, ſeu primi menſis eſt, Plenilunium; in Paſchale autem enormiſſimè elevans illud, quod tunc præcedit, Annique lunaris ſuperioris eſt ultimum; idque, quoties poſſibile eſt, per Cyclum Gregorianum efficitur hoc labente, & quibuſdam aliis, ut ſuis locis notabitur, ſæculis.

20 Quid mirum ergo, ſi Chriſtianus Orbis tanta, & tam gravia mala patiatur hoc ſæculo, Cultu Dei palam, & tam enormiter læſo?

Hęc

Hæc illatio mea non eſt, ſed illam didici inter ceteros a Paulo Middelburgenſi Epiſcopo Foroſempronienſi, *initio ſuæ Paulinæ in Epiſtola ad Leonem X. Pontificem Maximum glor. memor. pag.* 4.

21 Nonnulli tamen Recentiores ſunt, qui re ſeriò non expenſa, exiſtimant, Cyclum quem adhibemus Anno 1742. iudicere Paſcha non ultimo menſe Anni ſuperioris, ſed primo menſe. Ne rem in ambiguo relinquerem, plura exhibui in Corollariis poſt reſponſum ad Quartam Quæſtionem, quibus evidenter conſtat, nullo modo excuſari poſſe Currentes Epactas ab errore ultimi menſis; & inſuper præcipuam elucubratus ſum Diſſertationem, poſt ipſum Corollarium exhibitam, in qua non obviis rationibus, & præſertim num. 9. & 10. oſtenditur, nullum aliud Æquinoctium, niſi Eccleſiaſticum, attendendum eſſe, ut diſcernantur, quæ media Plenilunia in Cyclorum ordinatione, aut examine, Paſchalia cenſenda ſint. Et quidem Clavius *in Expl. Calen. cap.* 19. *numero* 6. *& ſeqq.* in præciſis terminis Anni 1742. hunc errorem Cycli ingenuè fatetur, licet quæ ibidem eruditiſſimè congerit, locum habere poſſint ſolo caſu, de quo erit ſermo *Quæſtione ſeptima numero* 5. *&c.* non autem caſu labentis ſæculi, tum quia uſus Epactæ XXIII. pro Epacta XXIV. eundem in hoc ſæculo enormiſſimum ultimi menſis ſemper cauſat errorem, ut animadvertit inter cæteros etiam Illuſtriſſimus Blanchinus *in Solut. Probl. Paſch.* atque vir inſignis Euſtachius Manfredi in Epiſtola ad Quartaironum, ac demum Anonymus Quæſtione quinta §. *Qui ergo, &c.* & longè evidentius ipſum errorem cauſat Annis 1704. 1761. & 1780. in quibus — Plenilunium futurum eſt menſe Aprili intra terminos quintæ decimæ Paſchali præſtitutos, tum quia ipſe vir clariſſimus præ oculis tunc non habuit Sacræ Scripturæ Doctrinam *in libro Numerorum cap.* 9. *verſ.* 10. *& ſeqq. & libro* 2. *Paralip. cap.* 30. *verſ.* 2. *& ſeqq.*, neque differendi occaſionem habuit de iis, quæ dicturus ſum ad reſolutionem Quartæ Quæſtionis Anonymi.

22 Generaliter vero iidem Recentiores Epactas Currentes ab errore excuſant ex eo, quia exiſtimant, quod unius diei differentia inter calculum Aſtronomicum, & computum Eccleſiaſticum, a meridianorum differentiis corrigatur, adeout pronum ſit dicere — *hoc Anno omnes Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ ſe accomodant fratribus in Oriente, vel Occidente poſitis, cum quibus ob meridianorum diverſitatem Cyclus, & Luna cohærent; alio Anno quo Cyclus, & Luna nobiſcum conſentiunt, totus Orbis Terrarum noſtris ritibus ſe accommodabit ad Chriſtianum Paſcha ubique concorditer celebrandum.*

23 Ut quiſque difficultatem objecti, ac deinde ejuſdem ſolutionem intelligat, ſcire oportet Plenilunium cœleſte, quod idem procedit de Novilunio; ubique terrarum fieri eodem quidem inſtanti, ſed in diverſis regionibus contingere diverſis diei horis, & non raro diverſis hebdomadæ diebus. Illud enim Orientales, a loco ubi dicitur Plenilunium contingere, exempli gratia, in occaſu Solis juxta meridianorum diſcrimen numerant tardius, citius autem Occidentaliores. Quem verò hebdomadæ diem ſingulæ regiones numerent contingente Plenilunio ad meridianum Romanum, in quovis dato diei civilis quadrante, & conſequenter in quavis data hora poſt illum diei quadrantem, determinari nequit, niſi præcognitus ſit hebdomadæ dies, quem

singulæ regiones numerant extante Sole sub quovis civilis diei quadrante ad meridianum Romanum: quod cum apud nonnullos sit causa erroris, breviter explicabo.

Discedente Sole ex Horizonte Romano mane diei Sabbati, est occasus Solis diei Sabbati, initiumque diei Dominici habitantibus in Nadir Romano; aliis omnibus Orbis regionibus Sabbatum tunc recensentibus.

24 Extante Sole in meridie Romano die Sabbati, est occasus Solis diei Sabbati, initiumque diei Dominici habitantibus in horizonte Romano; Romanis verò est meridies Sabbati; habitantibus in Occidente Romano est ortus Solis diei Sabbati; habitantibus denique in Nadir Romano, est media nox diei Dominici.

Extante deinde Sole in Occidente Romano, est occasus Solis diei Sabbati, initiumque diei Dominici, Romanis; Habitantibus verò in Occidente Romano est meridies Sabbati; habitantibus in Nadir Romano est ortus Solis diei Dominici; Habitantibus in horizonte Romano est media nox diei Dominici.

Extante postea Sole in Nadir Romano, est occasus Solis, initiumque diei Dominici, habitantibus in Occidente Romano; habitantibus vero in Nadir Romano est meridies diei Dominici; habitantibus in horizonte Romano est ortus Solis diei Dominici, Romanis denique est media nox diei Dominici.

Regresso Sole in horizontem Romanum, est occasus Solis diei Dominici, initiumque feriæ secundæ habitantibus in Nadir Romano; habitantibus autem in horizonte Romano est meridies diei Dominici; Romanis est ortus Solis diei Dominici; habitantibus denique in Occidente Romano est media nox diei Dominici.

Regresso Sole in meridiem Romanum est occasus Solis diei Dominici, initiumque feriæ secundæ habitantibus in horizonte Romano; Romanis vero est meridies diei Dominici; habitantibus in Occidente Romano est ortus Solis diei Dominici; & habitantibus in Nadir Romano est media nox feriæ secundæ.

Regresso Sole in Occidentem Romanum est occasus Solis diei Dominici, initiumque feriæ secundæ Romanis; habitantibus autem in Occidente Romano est meridies diei Dominici; habitantibus in Nadir Romano est ortus Solis feriæ secundæ; & habitantibus in horizonte Romano est media nox feriæ secundæ.

Regresso denique Sole in Nadir Romanum, habitantibus in Occidente Romano est occasus Solis diei Dominici, initiumque feriæ secundæ; & hic finem habet per universum Orbem dies Dominicus, qui ubique integra nocte, luceque constans universum Orbem successive circumeit, absolviturque per temporis successionem spatio horarum triginta sex, præcisius verò quadraginta duarum, habita nimirum uti decet ratione loci, a quo dies Dominicus initium habet, & loci, in quo ipse dies ubique terminat; Et hæc est ratio potissima, qua Ecclesia per universum Orbem diffusa peragit Pascha uno eodemque die juxta Canonicas Sanctiones.

25 Contingente igitur Romæ Plenilunio in occasu Solis diei Sabbati, initioque diei Dominici, ipsum plenilunium habitantibus in Occidente Romano contingit in meridiem diei Sabbati; iis verò, qui Romanis

sunt

ſunt Occidentaliores uſque in Nadir Romanum, ſucceſſivè contingit mane diei Sabbati; habitantibus autem in Nadir Romano verſus Orientem Romanum contingit in ortu Solis diei Dominici; habitantibus denique in Horizonte Romano contingit media nocte diei Dominici.

Contingente Romæ Plenilunio in Nadir Romano, ſive clarius in media nocte, quæ lucem diei Dominici antecedit ipſum Plenilunium habitantibus in Occidente Romano contingit in occaſu Solis diei Sabbati, initioque diei Dominici; habitantibus in Nadir Romano contingit in meridie diei Dominici; habitantibus in Horizonte Romano contingit in ortu Solis diei Dominici.

Contingente Romæ Plenilunio in ortu Solis diei Dominici, ipſum Plenilunium habitantibus in Nadir Romano contingit in occaſu Solis diei Dominici, initioque feriæ ſecundæ; habitantibus in Horizonte contingit in meridie diei Dominici; habitantibus denique in Occidente Romano contingit in media nocte diei Dominici.

Contingente Romæ Plenilunio in meridie diei Dominici, ipſum Plenilunium habitantibus in Horizonte Romano contingit in occaſu Solis diei Dominici, initioque feriæ ſecundæ; habitantibus in Occidente Romano contingit in ortu Solis diei Dominici; habitantibus in Nadir Romano contingit in media nocte feriæ ſecundæ.

26 Hiſce itaque explicatis, evidenter patet, quod contingente Romæ Plenilunio in occaſu ſolis diei Sabbati; ex quo in hac Paſchali materia, uti conſtabit Quæſtione ſecunda, incipit dies Dominicus; contingente, inquam, Romæ Plenilunio in occaſu Solis diei Sabbati, ac etiam ſucceſſivis horis uſque ad mediam noctem, & inſuper uſque ad ortum Solis diei Dominici; hujuſmodi Plenilunia die Dominico ſemper contingunt Romanis, ac etiam Orientalibus Populis uſque ad Nadir Romanum; iis vero regionibus, quæ Romanis ſunt Occidentales, uſque ad Occidentem Romanum, ac etiam uſque ad Nadir Romanum contingunt die Sabbato. Contingente igitur Romæ Plenilunio ab occaſu Solis diei Sabbati, ſive clarius ab initio diei Dominici, ac ſucceſſivis horis uſque ad mane ejuſdem diei Dominici, ex meridianorum differentiis non corriguntur, ſed enormiores fiunt errores Cycli Paſchalis, qui ad meridianum Romanum uno die tardius Paſchalem quartam decimam proclamat. Nullibi enim Terrarum Plenilunium tunc contingit feria ſecunda, ſive clarius die proximè ſequenti poſt cyclarem quartam decimam; ſed medietati Orbis Terraquei, quæ Urbi Romæ eſt Occidentalis, contingit die Sabbati, nimirum ſucceſſivè ab ortu Solis uſque ad occaſum ejuſdem Sabbati. Sed hujus generis ſunt plerique errores Epactarum currentium, quæ Annis prædictis Paſchalem quartamdecimam uno die tardius ſemper proclamant, uti conſtat in Tabula *ſub num.* 53. Ergo ex meridianorum differentiis plerique errores Epactarum currentium non corriguntur, ſed fiunt enormiores; ergo falſum eſt quòd unius diei differentia inter calculum aſtronomicum, & computum Eccleſiaſticum a meridianorum differentiis corrigatur.

27 Si tamen rei veritas exoptatur, quidquid ex meridianorum diſcrimine emergit, attendi non debet ad excuſandum ab errore, neque ad culpandum errore Cyclum Paſchalem. Vaticinium enim Regii Prophetæ; verba Apoſtoli Pauli; Traditio Apoſtolica; Sanctique Patres

tres communiter, allegati numero 16. uniformiter docent, Pascha Christianorum celebrandum esse altero ex diebus Azymorum; isti verò dies non ex meridianorum diversitate, sed ex unico meridiano propter ea, quæ præcepta erant in Deuteronomio *cap.* 16. *vers.* 5., *& seqq.* olim discernebantur. Ergo nostrum Pascha non ex meridianorum diversitate, sed ex unico meridiano discerni debet.

28 Et quidem — *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est* —, ut dixit Apostolus Petrus *Epistol.* 1. *cap.* 3. *vers.* 18., adeout, qui crederet Christum non semel mortuum esse, hæreticus haberetur, quippe qui non solum Divinæ Scripturæ auctoritatem, verum etiam Gloriosam Christi Resurrectionem, & consequenter nostram futuram Resurrectionem, perpetuo duraturam negaret. Quoties ergo ad statuendum in Cyclo Paschali diem Plenilunii, uteremur meridianorum diversitate, perinde esset, ac si diceremus [quod absit] Christum *non semel* mortuum esse; quoniam cum diem Plenilunii primi mensis Ecclesia, uti rei veritas habet, accipiat pro Paschali quintadecima, quod perinde est, ac dicere pro die mortis Domini nostri Jesu Christi; & cum meridianorum diversitas, uti constat ex dictis efficiat, ut qui septimanæ dies est dies Plenilunii sub uno meridiano, diversus septimanæ dies sit sub altero meridiano, diceremus Christum mortuum esse duobus diversis septimanæ diebus. Quem verò dicimus mortuum esse duobus diebus, uti contigit Lazaro, quem Christus suscitavit a mortuis, non semel mortuus est.

Dices; meridianorum diversitate non utimur ad designandos in ullo Anno duos civiles Plenilunii dies, quemadmodum iis necessario contingeret, qui posthabito quocunque Civili Cyclo arbitrantur, Civilem Plenilunii diem ex calculo solum Astronomico esse determinandum; unum enim civilem Plenilunii diem designamus, quamvis utamur meridianorum diversitate.

Respondeo id verum esse; at æque verum est, quod Plenilunia, quæ eodem diei quadrante contingunt, dicerentur propter usum diversorum meridianorum contingere, exempli gratia, nunc die Dominico, nunc feria secunda; ac propterea dies mortis D. nostri Jesu Christi Pleniluniis eodem diei quadrante advenientibus, diceretur contingere nunc die Dominico, nunc feria secunda, prout hujusmodi Plenilunia, uni, vel alteri civili diei affigerentur. Quamobrem peto, an iste dies mortis Christi, tum quoties diei Dominico, tum quoties feriæ secundæ tunc affigitur, semper rectè affixus sit, vel non. Si non semper rectè affixus sit; ergo non uteremur meridianorum diversitate, qua fit, ut prædicta Plenilunia nunc diei Dominico, nunc feriæ secundæ affigantur; si verò semper rectè affixus sit; ergo diceretur, quòd Christus, dum Plenilunia eodem diei quadrante contingunt, mortuus sit duobus diversis septimanæ diebus; ergo *non semel* mortuus sit: Hoc, nimirum, *explicitè* diceretur relativè ad diversos Annos; *implicitè* autem diceretur relativè ad unicum Annum, quatenus secundùm catholicam de Pascha Doctrinam æstimaretur cœleste Plenilunium rectè, ac legitimè affigi posse tam uni, quam alteri diei septimanæ.

29 Sapienter itaque Patres Concilii Cæsariensis in Synodali Epistola *numero* 16. memorata, sic locuti sunt: *De Luna Divinum præceptum teneatur. Mandatum per Moysen sit vobis observatum a decima quarta Luna,*

Luna, usque ad vigesimam primam. Divinum verò præceptum de Luna, & mandatum per Moysen de quarto decimo Lunæ die usque ad vigesimum primum, unico tantum meridiano addictum erat, uti patet in Deuteron. *cap.* 16. *vers.* 5. *& seqq.*, ac propterea secundum etiam Statuta Ecclesiæ non ex meridianorum diversitate, sed ex unico meridiano dies nostri Paschatis discerni debet.

30 Nec tantum Ecclesiæ Statuta, sed etiam ejus vetustissima Praxis idipsum manifestat. Aurei namque numeri Cycli Julii Cæsaris, quos ab Apostolorum temporibus, uti constat *in Dissert. post tertiam Quæst. num.* 65. *&* 67. *& quinque seqq. & num.* 79. *& seqq.* 84. *& seqq.* 97. *& seqq. &* 112. *& seqq.* Ecclesia pro Paschæ indictione adhibuit usque ad Nicæni Ævum, correcti fuerunt a Sancto Dionysio Archiepiscopo Alexandrino Anno Æræ Vulgaris 260., ut ibidem patet *num.* 61. *& seqq.* elevatis nempe ad diem mensis praecedentem cyclaribus noviluniis, per illos aureos numeros designatis, ac retento solùm in eodem mensis die novilunio per aureum Julii Cæsaris numerum tertium indicato. Ista autem Sancti Dionysii correctio, quam uti patet *loc. cit. num.* 62. 63. 64. 67. *& quinque seqq. &* 112., *& seqq. &* 125. *& seqq. &* 166. *& seqq. &* 202. *& seqq.*, Ecclesia usque ad Nicæni Ævum servavit, ideo facta fuit, quia Anno 260. illi aurei numeri propter ea, quæ exposita sunt *loc. cit. num.* 65. Paschalem quartam decimam die Cœlestis Plenilunii proclamare incœperant; non singulis Annis, sed ut plurimum, & quo præcisè modo epactæ currentes Paschalem quartam decimam indicunt hoc sæculo, si tamen mensem Paschalem excipias circa quem epactæ currentes longè turpius procedunt quemadmodum id omne cuicumque manifestum erit, si consulatur Laterculus quem exhibui in prædicta Differt. *num.* 74., & pro diebus cyclaris quartæ decimæ ibi descriptis, accipiantur dies quartæ decimæ cyclaris, descriptis eisdem aureis numeris in Laterculo sub *num.* 77. Correctio igitur de aureis numeris Julii Cæsaris a Sancto Dionysio Alexandrino facta fuit, habita solùm ratione ad unicum meridianum. Correcti enim ab ipso Sancto Dionysio indifferenter fuerunt in illo cyclo tum Anni, quorum cyclaris quintadecima ad nullum Orbis meridianum Plenilunium includebat, tum Anni, quorum cyclaris quintadecima, habito respectu ad meridianorum differentias, Plenilunium inclusisset, uti constat consultis Laterculis nuper citatis. Imo nulla ratio ad meridianorum diversitatem tunc haberi potuit, si reminiscamur Sententiæ Veterum Sanctorum Patrum, etiam Alexandrinorum, qui communiter, ac strenuè negabant extare Antipodas, exposito, ac vindicato eorum systemate per Cosinum Indecupleusten, ab Illustrissimo insignis eruditionis Viro Antonio Maria Salvini latine redditum.

31 Quod resultat ex vetustissima Sancti Dionysii Alexandrini correctione, idipsum factum est a Nicænis Patribus, ac demum tempore Gregorii XIII. Mathematici enim Gregoriani, si rationem habuissent ad meridianorum diversitatem, utique non variassent Epocham Æquationis Epactarum Lilianam, a Principibus Christianis, atque celebrioribus Europæ Academiis probatam, cujus plerosque errores corrigit meridianorum diversitas; & insuper ea non tradidissent, quæ unico congruunt meridiano, jam relata numero 11.

Deni-

32 Denique Clavius, alter ex prædictis Mathematicis Gregorianis *in explic. Calend. cap. 22. num. 2. pag. 419. editionis Romanæ §. In eadem Tabula &c.* fidem facit, quòd Plenilunia ab eo relata *eodem cap. 22.* in magna Tabula Festorum Mobilium *pag. 420. & seqq.* sunt Plenilunia media ad Gregorianam Calendarii emendationem supputata. Hæc verò Plenilunia unico meridiano congruunt. Insuper ipse Clavius *eodem cap. 22. num. 4. & 5. pag. 562. & seqq.* quædam Gregorianarum epactarum, ac etiam veteris cycli Nicæni errata in indictione Paschæ recensens, deducit Paschæ errorem ex cœlestibus Pleniluniis ad unicum meridianum perpetuò supputatis, nec hujusmodi errorem excusat, etiam quando aliquibus Orbis terraquei locis quintadecima cyclaris propter meridianorum diversitatem die cœlestis Plenilunii contingeret; quòd ipsum idem Clavius facit etiam *cap. 18. num. 5. §. Rursus &c. pag. 385. & seq. & cap. 19. num. 5. & seqq. pag. 392. usque ad pag. 399. & cap. 24. num. 13. pag. 587. usque ad pag. 595., & cap. 27. pag. 613. usque ad pag. 623.*

33 Quamobrem noster Anonymus *Quæst. secunda* meritò monet his verbis — *Ne fortè a Regionum discrimine ulla existat ambiguitas, meridiem, ac mediam noctem in meridiano Romano accipimus*; quoniam Nicæni Patres decreverunt, ut omnes exemplum Romanorum sequantur, ut ostendam in præallegata Dissertatione *num. 10. & 15.* quemadmodum idipsum docuerat Sanctus Pius Primus Papa, & martyr *in cap. Nosse De Consecratione Dist. 3.* ibi — *Non debetis a capite quoquo modo discedere*; & Sanctus Victor Primus Papa, & martyr *in cap. Celebritatem loc. cit.* ibi — *Non decet ut membra a capite discrepent, aut aliter gerant.*

34 Qua de re natura docet, quascumque Orbis terraquei Regiones conqueri non posse. Cum enim Plenilunia perpetuo contingant, nunc primo, nunc secundo, nunc tertio, nunc quarto civilis diei quadrante; & cum Ecclesia a die celebrandi Paschæ nullum rejiciat diem Dominicum, in quo Plenilunium, sive clarius oppositio luminarium ad meridianum Romanum contingit a præcedente Solis occasu, usque ad sequentem Solis occasum; fit, ut dies Paschæ Dominicus ab oppositione luminarium consociatus, hanc oppositionem afferat in nocte, lucem diei Paschæ præcedente, aut saltem mane diei Paschæ ante meridiem, nunc Romanis, nunc apud Romanorum Antipodas, nunc habitantibus in Oriente Romano, nunc habitantibus in Occidente Romano; & sic nullus Orbis terraquei locus diversis temporibus secundum cœlestium motuum exigentiam expers est oppositionis luminarium in nocte, lucem diei Paschæ præcedente, aut saltem mane diei Paschæ ante meridiem.

35 Præ oculis ergo est, quàm bene procedat Ecclesia, unicum meridianum adhibens ad discernenda Cycli Paschalis errata. Ecclesiam enim sic docent cœlestium motuum natura; vetustissima atque Gregoriana Ecclesiæ Praxis; ea, quæ docent Mathematici Gregoriani, & Christophorus Clavius in explicatione Calendarii, ac noster Anonymus; & quæ decreverunt Patres Nicæni, & Sancti Pontifices & Martyres Pius, & Victor; & quæ insuper decreverunt Patres Cæsariensis Concilii; ac denique præterito errore circa duplicem Christi mortem ex usu diversitatis meridianorum productam; Ecclesiam sic docent

cent ea, quæ manifestat Vaticinium Regii Prophetæ; verba Apostoli Pauli, atque traditio Apostolica, Sanctique Patres communiter; meridianorum insuper diversitate errores currentium Epactarum, ut plurimum enormiores reddente.

86 Prædicta verò Cycli errata tum quoad hebdomadam, tum quoad mensem sunt adeo enormia, ut exteræ nationes veterem stylum retinentes, non sine nostro dedecore, ea notent, atque aversæ fiant, quemadmodum accepi, vel saltem aversæ fieri possint ab acceptatione Calendarii Gregoriani. Imo nonnullæ ex iisdem nationibus errata Cyclorum (licet plus æquo) abhorrentes, diem Paschæ hoc labente sæculo indicere maluerunt ex calculis solùm astronomicis; idque in usum invexerunt titulo Calendarii correcti, nec alia de causa, nisi ut Nicænam de Pascha constitutionem (licet non integrè acceptam) custodiant. Velit misericors Deus, ut hoc schisma nunquam deploret Romana Ecclesia, longè, lateque diffusum. Profecto Patres Arelatensis Concilii panicum non esse hujusmodi timorem, clarè in terminis longè levioribus manifestant in synodali epistola ad Sanctum Sylvestrum Papam, de qua loquar in prædicta Dissertatione *num.* 31. Unde nam exortæ sunt in Gallia, in Germania, ac etiam in Italia tot de Pascha controversiæ, nisi ex horum erratorum enormitate? Quid agere Romæ oportuit Anno 1734., ne Pascha alicubi celebraretur die 18. Aprilis contra indictionem Paschæ Romanam? Hisce verò additur, quod inquit Albertus Magnus a Stoefflèro relatus *Propos.* 34. *lit. L.* ibi -- *Inimici Fidei de hoc gloriantur, quia ex illo errore (intellige de Paschæ observatione) nos in aliis pariformiter errare subsumunt.*

37 Parum esset, si hujusmodi enormitas etiam ab intrinseco non pateret. Ipsa namque errata, uti constat ex superius dictis *num.* 16. Traditioni Apostolicæ, ac documento Apostoli Pauli, necnon vaticinio Regii Prophetæ, ac denique Sacris Canonibus adversantur: Quę canonica fundamenta uniformiter præscribunt, Pascha Christianorum celebrandum esse luna decima quinta; si hæc cum die Dominico concurrat, non autem luna vigesima secunda, neque vigesima tertia, quemadmodum hisce lunis cyclus currentium epactarum, uti supra, diem Paschæ designat.

38 Neque nostrum Pascha est Festum, quod sit solùm alicujus rei sanctæ jam peractæ commemoratio, uti sunt festa, quæ fixa dicuntur; sed est festum, quod Magnum etiam habet in se Sacramentum, & sanctæ rei mysterium; hoc enim in præcisis terminis docet S. Augustinus *initio epistolæ* 55. *ad Inquisitiones Januarii*, & S. Leo Magnus *initio Sermonis septimi de Passione Domini pag.* 53., ac etiam *initio epistolæ* 64. *ad Martianum Augustam*, & S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus *initio sui Prologi apud Petavium de Doct. Temp. tom.* 2. *in Appendice*, & S. Isidorus Hispalensis *lib.* 6. *Orig. cap.* 17., *&* *de Offic. Ecclef. lib.* 1. *cap.* 31.; necnon Beda *lib. de Temporibus cap.* 15., *& de Temp. Ratione cap.* 62., & Paulus Middelburgensis *lib.* 14. *suæ Paulinæ cap.* 1. *quæst.* 1. *&* 2. De facto Ecclesia in Oratione Missæ Sabbati Sancti post septimam Prophetiam sic ait -- *Deus, qui nos ad celebrandum Paschale Sacramentum utriusque Testamenti paginis instruis*; & in secreta Oratione Missæ diei Paschæ Dominum orat -- *ut Paschalibus instituta mysteriis ad æternitatis nobis medelam Te operante proficiant*; & in secreta Oratione Missæ Sabbati in Albis, sic dicit -- *Concede quæsumus Domine, semper*

per nos per hæc mysteria Paschalia gratulari. Quæ verba non proferret Ecclesia, si in Paschate sola fieret commemoratio Passionis & Resurrectionis Christi; nullumque includeretur Sacramentum, atque mysterium. Et quidem *mysterium dicitur* (sunt verba præcitati Pauli Middelburgensis) *cum in sacris aliquid fit, non propter illud, sed ut illo aliud significetur -- Sacramentum autem est* (sunt verba præallegati Sancti Augustini) *in aliqua celebratione, cum rei gestæ commemoratio ita fit, ut aliquid etiam significari intelligatur, quod sanctè accipiendum est ...... Ideo enim agimus Pascha, ut non solùm id, quod factum est in memoriam revocemus, idest, quia mortuus est Christus, & resurrexit, sed etiam ut cætera, quæ Evangelium adtestatur, ad sanctam significationem non omittamus*. Quamobrem ultra ea venerabilia, quæ apud Sanctos Patres, cum Græcos, tum Latinos disertè exponuntur Sacramenta, seu mysteria, inclusa in significatione mensis Paschalis, ac etiam Lunaris diei Paschæ, hæc tria nostrum Pascha includit.

39 Primum est, *integræ*, & *completæ nostræ Redemptionis*, tum quoad malorum remotionem, ac liberationem, tum quoad promotionem, inchoationem, & exemplar bonorum. *Traditus est*, inquit Apostolus *epistola ad Romanos cap. 4. vers. 25. propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*. Malorum remotionem, & liberationem exprimit nostrum Pascha, quatenus celebratur Luna decima quinta primi mensis, in qua Christus pro nobis passus est; Promotionem verò, inchoationem, & exemplar bonorum simul exprimit, quatenus celebratur die Dominico, in quo Christus, propriâ virtute ab inferis gloriosus resurrexit. Quapropter nostrum Pascha, uti legitur in epistola Constantini Magni de Synodo Nicæna, quam referam in allegata Dissertatione *num.* 19.; & quam ut inquit, inter cæteros Christianus Lupus in Dissertatione de Synodo Nicæna *cap. 6. pag.* 276. *haud dubiè ipsa Synodus composuit*, appellatur -- *Libertatis nostræ Festum* --, idque sapientissimè, quoniam (sequuntur verba Sancti Cypriani in Sermone de Resurrectione Christi circa medium) *nova & vetera sub hoc nomine convenerunt; egreditur Israel de servitute Ægypti, exit populus Dei de regno diaboli; baptizantur in nube, & mari Hebræi, & jam Spiritu Sancto, & Sanguine Christi mundatur a peccatis populus Dei; ex diversis familiis una fit Domus, una fit Tribus, unus est Cibus, significantia, & significata, res, & signa, virtus invisibilis, & invisibilia Sacramenta, sic faciunt unum corpus, sicut caro, & Spiritus, & quod videtur, & nomine, & virtute Christi corpus censetur. In hac rerum convenientia honorificatus est Christus, & gloriosæ laudis triumphos lætabunda hodie canit Ecclesia, in lapide angulari consocians disjunctos olim parietes, quos in unum mirabilis artifex fuso sanguine glutinavit*.

Verùm quia quintadecima primi mensis in alios septimanæ dies aliquando transcurrit, hinc fit, ut nostrum Pascha remotionem, & liberationem malorum tunc exprimat *ex Azimorum tempore*, quorum usus quinta decima luna primi mensis præceptus erat, ac deinceps usque ad vigesimam primam ejusdem mensis. Monuit enim Apostolus epistola prima ad Corinthios *cap. 5. vers. 8.*, ut *diem Festum* celebremus (sic legitur, in quo textu Græco hanc epistolam scripsit Apostolus) *non in fermento veteri* --, quod perinde est ac si dixisset, diem

diem festum celebremus, non decima quarta luna primi mensis, in quo die vetus erat Hebræis fermentum, cum nec domibus *Exod. cap.* 12. *vers.* 15. & 19., nec in cunctis finibus Israel, *Exod. cap.* 13. *vers.* 7. neque in omnibus terminis Israel. *Deuteron. cap.* 16. *vers.* 3. *& seq.* fermentum retineri potuerit post vesperam ipsius quartæ decimæ — *sed in Azymis* — ideſt, sed diem Festum celebremus tempore Azymorum, quemadmodum hæc Apostoli verba fusius exponuntur post responsum ad primam partem tertiæ quæstionis numero 66. & pluribus sequentibus, quorum Azymorum usus ex Divino præcepto erat a decima quinta luna primi mensis usque ad vigesimam primam inclusis terminis *Exod. loc. cit.*, intra quos dies una tantum Dominica potest contingere. Quare Ratherius Veronensis Episcopus, Sermone de Pascha apud *Tom.* 1. *Spicilegii, sive Collect. Vet. aliquot script.....* *pag.* 393. sic monet -- *Si vultis Pascha legitimum celebrare, in Azymis celebrate*; & Sanctus Gaudentius Brixiæ Episcopus, de ratione Paschali loquens, discursu primo pag. 27. sic ait: *Nec intra quartam decimam, nec ultra vigesimam primam celebrare possumus; quia septem tantum dies sunt Azymorum Paschalium, in quibus Dominicum quærimus diem. Vult enim nos Christus, promulgator legis, & gratiæ, neque legitimos juxta lunæ cursum computatos præterire dies, neque diem suæ Resurrectionis otio ingrato transcendere.*

40 Alterum nostri Paschæ mysterium est, *veri Paschæ*, non solum, quia in eo significatur transitus noster *de morte, ad vitam*, qui transitus cum sapienter exponatur a Divo Augustino *in citata Epistola* 55. *paulo post initium*, solùm allegatur, fitque dum vivimus, per fidem, spem, & dilectionem, in fine autem temporum realiter fiet, qua Dei virtute resurrexit Christus; ac propterea ab hac festivitate, ut legitur in allegata Constantini Magni Epistola -- *Spem immortalitatis accipimus*: Verùm etiam, quia cum Pascha consistat, ad tradita per Divum Ambrosium super infrascriptum textum Apostoli Pauli ad Corinthios, consistat, inquam, in immolatione, hæc in nostro Paschate exprimitur, dum istud, uti supra celebratur tempore Azymorum, scilicet a decima quinta primi mensis usque ad vigesimam primam inclusis terminis; quo tempore *Pascha nostrum* (nempè Paschale nobis Sacrificium, ut Sanctus Anselmus egregiè exponit hæc Apostoli verba in Epistola prima ad Corinthios cap. 5. vers. 7.) *immolatus est Christus*. Undè Sanctus Augustinus *Tom.* 8. *lib.* 32. *contra Faustum pag.* 323. — docet — ibi — *Si vultis ergo nosse quare celebramus Pascha, quia tunc pro nobis immolatus est Christus*. Dies ergo nostri Paschæ Dominicus, si præscindamus a lunari die, quem nostrum Pascha consociare debet, non esset proprie Pascha, utpotè carens misterio Immolationis Christi, sed esset solùm solemnitas Resurrectionis, ut bene distinguit Paulus Middelburgensis *loc. nuper cit. Quæst.* 2. Consociatus ergo ipse dies Dominicus ab altero ex diebus Azymorum, est verum Pascha. Qua propter Sanctus Pius Papa Primus *in cap. Nosse. De consecratione dist.* 3. & Angelus ibidem allegatus, atque Patres Arelatensis Concilii Anno 314. celebrati *in cap. De Observatione loc. cit.* nostram Paschæ Festivitatem sapientissimè appellant — *Pascha Domini* — Profectò nostrum Pascha (utor verbis Sancti Zenonis Veronensis Episcopi, & Martyris Sermone 4. de Pascha apud maximam Bibl. Vet.

Pat. *Tom.* 3. *pag.* 393. —) *Sacramenti Dominici imaginem portat. Transitum enim Domini de morte ad vitam gloriosam mirifice repræsentat.*

41 Tertium mysterium est, quod ipsamet immolatio nostri Paschæ, quod Christus est, quo Azymorum tempore contigit, non contigit casu, sed in scripturis Sacris isto tempore fuit præfigurata per ea, quæ in Hebræorum Paschate a Deo præcepta sunt in Exodo *cap.* 12., atque isto tempore fuit a Deo sapientissimè ordinata. *Tempora enim omnia* (sunt verba Pauli Middelburgensis sub initium libri primi) *quæ concurrerant in prima mundi, & hominis plasmatione, in sua quoque passione observare voluit Christus, ut maculam illam, quam per protoplasti peccatum, & prævaricationem contraxerant, per suam passionem deleret, ac pura, & nitida redderet, atque Humanam naturam in pristinam innocentiam restitueret. Hæc autem tempora designant Æquinoctium, & sol in Æquinoctio vernali positus, Luna lumine plena ex solis opposito in Æquinoctio vernali* [legi debet Autumnali] *collocata, feria sexta, hoc est dies veneris, in qua homo per contumaciam lapsus hæc omnia tempora contaminavit. Idem namque modus esse debuit innovationis mundi, & Redemptionis humani generis, qui fuit primæ ejus creationis. Cuncta ergo tempora, quæ concurrebant in prima Mundi, & hominis plasmatione, atque per lapsum ejus, & prævaricationem contaminata fuerunt, debebant eadem serie resumi in Redemptione ejus, & una cum homine purificari.* Merito igitur Sanctus Leo Magnus *in citata Epistola* 64. appellat Pascha — *Principium Sacramenti*, prædictus vero Paulus Middelburgensis in sua Paulina *pag.* 3. *t.* 7. *t.* 8. & 10. *t.* & Lucas Gauricus Civitatensis Episcopus in suo Calendario *pag.* 5. Pascha nuncupant, primum Christianæ Religionis Mysterium.

42 Cyclus igitur quo ad præsens utimur, quippe qui Pascha effrænate, uti supra, indicit luna vigesima secunda, & luna vigesima tertia; non solùm Traditionem Apostolicam, documentum Apostoli Pauli, vaticinium David, Sacrosque Canones, ut dictum est *num.* 37., verum etiam Sacramenta, & mysteria Paschæ non custodit; ac propterea Dei cultum graviter lædit; ad virtutem enim Religionis pertinet observantia legitimi temporis Paschæ, *Exod. cap.* 12. *verſ.* 26. Rustici in secandis arboribus in serendis seminibus, & colligendis fructibus, nullo Dei præcepto eos cogente, Lunam observant. Nonne probrosum non est, in iis, quæ ad Dei Cultum pertinent, Lunam non observare, impellente nos ad Lunæ observationem præmemorato præcepto, & Paschæ mysteriis? Igitur — *conandum est summoperè* [sunt verba prædicti Pauli Middelburgensis in sua Paulina *pag.* 9. *t.* ad Apostolicum Coetum, & Christianæ Reipublicæ Senatum] *Conandum est summopere, ut Pascha Sanctum juxta Patrum Decreta observetur: Nam & Christus Dominus Salvator noster hanc quartæ decimæ constellationem observavit, & tanquàm Passioni suæ congruentem apprimè custodivit; neque ante hoc Plenitunium ad Passionem venire voluit, sed cum a perfidis Judæis tempore non opportuno quæreretur ad necem, secessit in Galilæam, quia nondum venerat Hora ejus: & postquàm advenisset jam luna quarta decima, qua Agnus sine macula immolari debuit, non amplius subterfugit mortem: imò spontè ad Passionem venit: & sublevatis in Cœlum oculis dixit, Pater jam venit hora, ut transeam hex oc mundo. Quamobrem convocatis in unum Discipulis, Pascha secundum Legem parari jussit: ut non solùm verbo, sed & opere*

nos

nos doceret, Pascha Sanctum debito, & statuto tempore juxta Lunæ cursum celebrandum esse.

43 Insuper prædicta canonica fundamenta præscribunt etiam, celebrandum esse Pascha primo mense, non autem ultimo anni superioris, uti fit per Cyclum Currentium Epactarum, quoties fieri potest hoc sæculo, & quibusdam aliis sæculis, quod -- *gravissimum* -- esse errorem docet Constantinus Magnus *in præallegata Epistola de Synodo Nicæna apud Eusebium de vita Constantini lib. 3. cap.* 18. nec non Sanctus Epiphanius *ad Hæresim* 70. *num.* 11. *in fine*, & Paschasinus Episcopus Lilibetanus in citata Epistola ad Sanctum Leonem Magnum; atque -- *absurdissimum esse* -- pronuntiat etiam secundus Canon Calendarii Gregoriani apud Clavium *Explic. Calend.* §. *Quod si &c. in fine pag.* 21.

44 Denique tanta est enormitas erratorum prædicti Cycli, tum quo ad mensem, tum quoad hebdomadam, ut quæ errata committit, ac per civilem Cyclum, quàm accuratissimè ordinatum corrigi possunt, reddantur non sine culpa, & execrabilia, uti clarum fit Quæstione quinta *num.* 29. *& seqq.*

45 Quapropter si Cyclus Currentium Epactarum non emendetur, qui Anno 1742. usum exhibet Epactæ XXIII. pro Epacta XXIV., ac propterea diem 21. Martii eodem Anno perperam signat cum Luna decima quarta pro Luna decima quinta, & consequenter Plenilunium diei 21. Martii enormissime facit Paschale; sequaces ejusdem Cycli, præteritis erroribus Anni 1744. 1747. 1754. & aliorum Annorum, sequaces, inquam, ejusdem Cycli, quippe, qui ipso Anno 1742. celebrarunt Pascha ultimo mense lunaris Anni superioris, duo Paschata celebrarunt in lunari Anno 1741., ut animadvertit etiam eruditissimus Anonymus, quæstione quinta §. *Non dubium &c.*, & §. *Qui ergo &c.*, primum scilicet Pascha primo mense, nempe die 2. Aprilis 1741.; alterum autem ultimo mense ejusdem lunaris Anni, nempe die 25. Martii 1742., nullum verò Pascha celebrarunt in lunari Anno 1742., quod enim tunc celebrarunt die 25. Martii, est in ultimo mense Anni superioris; & hoc ipsum semper hoc sæculo recurret, eodem recurrente aureo numero 14. Constantinus Magnus in præallegata epistola de Synodo Nicæna apud Eusebium lib. 3. Vitæ Constantini cap. 18., ut eorum consuetudinem, qui morem Judaicum sequebantur, patefaceret quàm maximè enormem, sic ait, Judæi -- ibi -- *a convenienti emendatione longissimè aberrantes uno, eodemque Anno duo Paschata celebrant ..... Quid ergo est, cur illos sequamur, quos constat gravissime erroris morbo laborare? Nam uno, eodemque Anno geminum Pascha facere nequaquam profectò sustinebimus.* Nunc vero decet geminum Pascha uno, eodemque lunari Anno sustinere? Hoc tanto magis cedet in confusionem nostram, quanto erit manifestius. Hujusmodi errorem clare patefaciet Pascha Judæorum, & Hæreticorum, & Schismaticorum, & etiam Catholicorum, qui Calendarium Gregorianum adhuc amplexi non sunt; adeo ut Regii Prophetæ verbum in Psalm. 78. *vers.* 4. proferre gementes potuerimus -- *Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.* Prædicti enim omnes, tunc embolysmum rectè inserentes, celebrabunt Pascha octiduo quidem (si Judæos excipias) tardius, quàm par sit, sed in lunatione tunc futura, quæ vere primi mensis est;

eſt; id quod ſemper continget hoc ſæculo eodem recurrente aureo numero 14. Quid abſurdius? A Nicæni Ævo uſque ad præſens ſæculum, ſi ratio, uti decet, habeatur ad Solis præceſſionem, quam Gregoriana undecim hucuſque dierum expunctione ex Anno Solari experti ſumus, nullum ſæculum (instructo per me ſerio examine) adeo deturpatum deprehendi, ut cyclus decennovenalis in eo Paſcha indixerit ultimo menſe ſuperioris Anni, quoties in orbem recurrebat idem aureus numerus. Ante correctionem Gregorii, non ſine gravi errore aliquando celebrabatur Paſcha ſecundo menſe labentis Anni. Id tamen extante neceſſitate permittebat Divina Lex *in Libro Numerorum cap. 9., & lib. 2. Paralip. cap. 30.* Hoc autem ſæculo, niſi Cyclus Currentium Epactarum emendetur, eodem recurrente aureo numero 14. longè enormius celebrabitur Paſcha ultimo Superioris Anni menſe; nulla enim lex neque divina, neque humana hoc patitur.

46 Imo cum hoc ipſum, quod a currentibus epactis labente hoc ſæculo productum eſt, Nicæni Patres commodè efficere potuerint, & non fecerint, quemadmodum evidenti demonſtratione patefaciam quæſtione quinta *num. 21. & ſeqq., &c.* An non erubeſcendum eſt illud ſequi, quod ipſi Nicæni Patres efficere potuerunt, & non fecerunt?

47 Profecto — *Beatiſſimi Patres noſtri* (ſunt verba Sancti Proterii martyris Patriarchæ Alexandrini in epiſtola ad Sanctum Leonem Magnum apud Petavium *De Doct. temp. tom. 2. in Appendice*) *Beatiſſimi Patres noſtri . . . . in revolutione ſæpe memorati decennovennalis circuli decimas quartas Paſchales DILIGENTIUS adnotarunt*. Ergo retinendæ nullo modo ſunt epactæ, quas adhibemus. Sanctus verò Epiphanius *ad Hereſim 70. num. 9.* in fine tradit, quod Nicæni Patres Paſcha — ibi ——— *re accuratè cognita, communi ab omnibus concordia; atque ex idonea temporum computatione, & calculo celebrandum eſſe ſtatuerunt*. Hæc Sancti Epiphanii verba, ſi cum iis conferantur, quæ dicturus ſum in præallegata Diſſertatione num. 25. ſummam citatæ epiſtolæ Conſtantini præſeferunt. Si ergo ex idonea temporum computatione, & calculo Paſcha celebrandum eſt, utique retinendæ non ſunt epactæ, quas adhibemus, quippe quæ tum quoad menſem, tum quoad hebdomadam a recto longè abſcedunt; eoque fortius, retinendæ non ſunt; quia cum procedant, quo præciſè modo Nicæni Patres efficere potuerunt, & non fecerunt, contra ipſas pronuntiat etiam Concilium Calcedonenſe, & Sanctus Leo Magnus, ut patebit *quæſt. tertia num. 84.*

48 Si quæ ex currentibus epactis producta ſunt, contigiſſent tempore Sancti Leonis Magni, quid dixiſſet Sanctus ille Pontifex? qui in epiſtola 65. *ad Pulcheriam Auguſtam* pati non poterat circa ſolum diem Dominicum, in quo Paſcha legitimè celebrandum fuiſſet Anno 455. pati, inquam, non poterat, ut — ibi — *ſuis diebus fieret quod nunquam ante præſumptum eſt*; ac tantum opinionum diverſitas de illo Paſcha (ut legitur in ejuſdem epiſtola 95.) Sanctum Pontificem — ibi — *permovit, ut Clementiſſimo Principi Martiano curam de hac re animi ſui panderet: ut diligentius diſcuſſa ratione quæreretur, quo die poſſet veneranda Solemnitas rectius celebrari*. Et demum in fine prædictæ epiſtolæ ad Pulcheriam Auguſtam idem Sanctus Leo Magnus ſollicitudi-

nis

nis suæ causam expressit, dicens -- ibi -- *quia & ad ipsius* [nempe Imperatoris Martiani], *& omnium salutem pertinet, ut Dei cultus nullo errore lædatur*.

49 Proh pudor! Nos qui (ut Petrus Apostolus dicit in epistola prima *cap.* 2.) sumus -- *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut veritates annunciemus ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum*; sæpe redarguimur, quasi non cognoscentes verum tempus Paschæ. Nonne horret animus, quoties hæc nobis objiciuntur a Judæis, ab Hæreticis, a Schismaticis? Quomodo tot increpationibus contristati, & afflicti, canere in veritate cum Psalmista poterimus die hujusmodi Paschæ -- *Hæc dies, quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea*? Quomodo ad unionem juxta vetustissimas, ac repetitas Ecclesiæ Sanctiones, Christianæ Nationes, in celebratione Paschæ dissidentes, revocabuntur, nisi currentium epactarum cyclus a Summo Romano Pontifice emendetur? Profecto Apostolus Paulus in epistola ad Romanos *cap.* 14. *vers.* 19. docet non solum, ut -- *quæ pacis sunt sectemur*, verum etiam -- *quæ ædificationis sunt invicem custodiamus*. Cyclus verò prædictus iis præcipuè, qui a nobis dissident in celebratione Paschæ, non ædificationem ponit, sed potius offendiculum, vel scandalum contra eundem Apostolum *loc. cit. vers.* 13. dicentem -- *ne ponatis offendiculum, vel scandalum*. Quare si feria prædictæ emendationi non detur opera, timeo vehementer, ut nos Deus, qui in Libro Numerorum *cap.* 9. *vers.* 13. exterminationem etiam propter Paschæ peccata minatur, & diversis Baptismalium fontium miraculis, a Paschasino in epistola ad Sanctum Leonem Magnum, & a Sancto Gregorio Turonensi relatis, præcipuam suam de nostro Paschate curam ostendit, timeo, inquam vehementer, ut nos Deus reprehendat per Prophetam Jeremiam *cap.* 8. *vers.* 7. dicens -- *Milvus in cælo cognovit tempus suum, Turtur, & Hirundo, & Ciconia custodierunt tempus adventus sui: Populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quomodo dicitis sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum*.

50 Prædicta omnia procedunt in hypothesi, quod epactæ, quas pro indictione Paschæ adhibemus Gregorianasque appellamus, verè sint Gregorianæ. Quid ergo dicendum est; cum pateat, ipsas ne esse quidem Gregorianas? Eædem enim epactæ revera non ab expressa mente solùm, sed a facto etiam Gregorii XIII. differunt. Nemo id putet commentum. Differunt enim ab expressa mente Gregorii, ut docet etiam Anonymus quæstione quinta §. *Qui ergo &c.*, atque ego evidenter probavi eadem quæstione quinta *num.* 48., *& plurib. seqq. usque ad* §. *Quamvis Epactæ &c.*, ubi rem ipsam a quibusdam recentiorum propositionibus vindicavi. Differunt verò etiam a facto prædicti Summi Pontificis, quemadmodum Dei beneficio post multas vigilias detegere mihi contigit, atque evidenter patefeci *eadem quæstione quinta num.* 39., *& pluribus seqq. usque ad* §. *Fidenter, &c.* Quis hæc audiens non erubescat! Neminem dubitare arbitror Nicænam primam Synodum ex legitima causa, & ex urgente necessitate fuisse convocatam, scilicet (sequuntur verba Sancti Athanasii jam relati in Dissertatione post Quæstionem tertiam numero 12.) *ob Aria-*

rianam hæresim , & ob Paschatis Solemnitatem , quia Syri Cylices (sed non omnes , sicuti nec omnes Syri , ut patet *loc. cit. num.* 24.) *& qui in Mesopotamia degunt a nobis dissidebant* . Constat autem ex dictis *loc. cit. num.* 23. 24., *&* 25. dissidium istud ex eo fuisse , quia Syri , Cylices , & Mesopotameni, licèt Pascha die Dominico sicut & nos post quartam decimam primi mensis agerent , tamen usurpabant Cyclum Judaicum , ex cujus usu diversa eis erat Paschæ Dominica : *quæ causa fuit* (sunt verba ejusdem Sancti Athanasii *loc. cit.*) *O Ecumenicæ convocandæ Synodi , ut ubique una Festi dies celebraretur* . Cum ita sese res habeat , magis urget ad præsens causa emendandi Calendarium , quam urgeret causa convocandæ Nicenæ Synodi ob motivum Paschæ . Enormissimè enim in recolendo Paschatis Festo erramus; atque erramus ne sequentes quidem factum prælaudati Gregorii ; non pauci ut contingebat Nicæni Ævo , sed multi (ne dicam plerique) Christiani in celebrando Paschate a nobis dissident ; & errores nostri eos reddunt aversos ab unione .

51 Cum Alberto igitur Pighio Campensi in insigni Academia Lovaniensi Mathematico , ac Theologo , in proemiali Epistola ad Leonem X. Pont. Max. concludam, quod prædicti errores -- *tanto majori cura, quàm singulorum errata corrigendi sunt , quanto magis in confusionem cedunt Religionis nostræ* . Et si quæ sint negocia , curam ab emendatione Calendarii avertentia , audiatur Paulus Middelburgensis Episcopus Forosempronienfis in sua Paulina pag. 10. t. ad Lateranense Concilium suam hanc direxit exhortationem -- ibi -- *Et si multa sint Beatissime Pater , cæterique Patres Reverendissimi , ardua negocia , in hac sacrosancta Synodo pertractanda , minimè tamen silentio prætereundum esse arbitror Romani Calendarii pro recta Paschæ celebratione emendationis studium quinimmo hoc tanquam primum Christianæ Religionis Mysterium in primis emendandum , & discutiendum esse censeo : quia spiritualia temporalibus præferri debent : dicente Domino , primum quærite Regnum Dei , & reliqua omnia adjicientur vobis* . Consilium quidem adeo rectum , & sapiens censeri debet , ut ipsum non solum Leo X. Pont. Max. Patresque Lateranensis Concilii amplexi fuerint , quamvis Calendarium reipsa non emendaverint , opportuna emendationis methodo tunc non extante , ut constabit Quæstione nona num. 9., verùm etiam Patres Arelatensis Concilii exemplo suo firmaverint , qui , ut dictum est numero 4., licet propter Donatistarum causam convocati fuerint , tamen primo loco de Pascha tractandum esse existimarunt .

52 Non cessant tamen in hoc sæculo errata prædicti Cycli , sed multa alia sunt , quæ usque ad ter mille Annos ab hinc futuros summariè , ac distintè notata apparent in Laterculo , quem exhibui Quæstione septima numero 2. ibidem videnda . Ad ejusdem Cycli emendationem necesse non est , ut ipse Cyclus singulis Annis peccet in designanda Paschæ Dominica , quoniam Anno 260. Æræ vulgaris Cyclus Julii Cæsaris , illucusque usurpatus , qui Pascha proclamare inceperat , quo præcisè modo pronuntiant currentes epactæ , si errata circa mensem excipias , correctus fuit a Sancto Dionysio Alexandrino ; currentes enim epactæ longè turpius quoad mensem hoc labente , & quibusdam aliis sæculis , uti patet ex dictis *num.* 30. Ante correctionem

nem verò Gregorianam Cyclus Nicænus, quo Ecclesia utebatur, singulis Annis non peccabat, quemadmodum neque ad presens singulis Annis peccaret. Frequentiora solùm erant hujus Niceni Cycli errata. At licèt non tam frequenter peccet Cyclus quo utimur, hic tamen turpius procedit, uti patet ex dictis, indictione Pasche quoad mensem. Itaque in predicto Laterculo errata quoad hebdomadam quisque omnia distinctè apprehendet; sed quoad errata de mense ibidem descripta animadverti debet, quod illa in prædicto Cyclo non contingunt semel, aut bis in quolibet futuro seculo, adeo ut ipse Cyclus aliis Annis ejusdem seculi, & eodem aureo numero insignitis, benè designet mensem Paschalem; quibus casibus hujusmodi errata tolleranda esse probatur questione septima *num.* 5. In ipso enim Laterculo, licet errata prædicti Cycli quoad mensem collectivè notata sint, tamen eorum numero includuntur etiam illa, quibus ipse Cyclus quinque secula deturpat, indicens Pascha alio mense, quàm primo, scilicet Ogdoadem pro Hendecade, & è contrà usurpans eo modo, quo supra dictum est. Que secula sunt post Annum 1700. currente aureo numero 14.; post Annum 2300., currente aureo numero 17.; & post Annum 4200., currente aureo numero 15.; quibus tribus seculis Cyclus quo utimur eodem modo peccat, scilicet indicens Pascha ultimo mense Anni superioris; quod nullus Cyclus ex iis omnibus, qui publice discussioni ab Anonymo proponuntur, involvit, uti patebit questione sexta num. 10. Rursus post Annum 3300., currente aureo numero 1., & post Annum 3900. currente aureo numero 14.; quibus duobus seculis idem Cyclus currentium Epactarum eodem modo peccat, nempe indicens Pascha, sicuti contingebat ante Correctionem Gregorianam, secundo mense labentis Anni. Quis crederet Cyclum predictum, spatio viginti sex seculorum, deturpare quinque predicta secula? Id verò negari nequit, & quisque comprobare potest etiam ex allegata Tabula Festorum Mobilium apud Clavium *in Explic. Calend. cap.* 22.

53 Ne quis coherere existimet (ut quidam Recentiores haud rectè ponunt) calculum astronomicum cum equationibus currentium epactarum, sequentem Tabulam elucubratus sum, que evidenter manifestat singulos Annos, quibus ipse Cyclus realiter peccat indictione Pasche, tum quoad mensem, tum quoad hebdomadam ab Anno 1700. usque ad Annum 4800. inclusivè. Segregantur verò in ipsa Tabula peccatorum species, ne res confusè expensa videatur, simulque probata discernantur ejusdem Cycli peccata collectivè notata in allegato Laterculo; quamvis alique distinctiones claritatis gratia appositæ sunt, ne faciant specie differre peccatum. In ipsa Tabula, prima Columna profert Annos Ære Vulgaris; secunda Aureos Numeros; tertia Epactas currentes; quarta Literas Dominicales; quinta Plenilunium medium, cujus horæ sunt post meridiem cujusvis diei currentis; sexta diem Quarte decime Paschalis in Calendario Gregoriano; septima diem Pasche in eodem Calendario; litere enim M, & A, quas includit sexta, & septima Columna, designant mensem Martii; & respectivè Aprilis. In quo igitur mense contingat medium Plenilunium, in quinta Columna descriptum, faciliter quisque cognoscet ex mense, in sexta Columna adnotato.

Cyclus quo ad præsens utimur, peccat.

	Annis Domini.	Aur. Num.	Epactæ currentes	Littera Dom.	Plenil. Medium Die. Hor. Min. Sec.	Luna XIV. Calend.	Pascha Cal.
Indicans Pascha ultimo superioris Anni mense, extante Plenilunio medio in Aprili intra terminos Paschales.	† 1704	14	xxiii	f e	20. 11. 9' 2"	21 M.	23 M.
	† 1761	14	xxiii	d	20. 12. 46' 22"	21 M.	22 M.
	† 1780	14	xxiii	b A	20. 5. 18' 48"	21 M.	26 M.
	† 2353	17	xxiii	d	20. 12. 42' 4"	21 M.	22 M.
	† 2372	17	xxiii	b A	20. 5. 14' 31"	21 M.	26 M.
	† 4232	15	xxiii	A g	20. 11. 52' 41"	21 M.	25 M.
	† 4289	15	xxiii	f	20. 13. 30' 1"	21 M.	24 M.
Indicans Pascha ultimo superioris Anni mense, nullo extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, sed contingente ante meridiem diei 21. Martii.	† 1742	14	xxiii	g	20. 20. 13' 55"	21 M	25 M.
	† 1799	14	xxiii	f	20. 21. 51' 15"	21 M.	24 M.
	1856	14	xxiii	f e	20. 23. 28' 35"	21 M.	23 M.
	† 2334	17	xxiii	g	20. 20. 9' 37"	21 M.	25 M.
	† 2391	17	xxiii	f	20. 21. 46' 57"	21 M.	24 M.
	2524	17	xxiii	b A	20. 17. 34' 4"	21 M.	26 M.
	2581	17	xxiii	g	20. 19. 11' 24"	21 M.	25 M.
	2972	9	xxiii	c d	20. 17. 51' 29"	21 M.	22 M.
	3564	12	xxiii	e d	20. 17. 47' 12"	21 M.	22 M.
	† 4213	15	xxiii	c	20 19. 20' 14"	21 M.	28 M.
	† 4270	15	xxiii	b	20. 20. 57' 34"	21 M.	27 M.
	4460	15	xxiii	d c	20. 18. 22' 2"	21 M.	28 M.
Indicans Pascha ultimo superioris Anni mense, nullo extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, sed contingente post meridiem diei 21. Martii ante occasum solis.	† 1723	14	xxiii	c	21. 3. 41' 28"	21 M.	28 M.
	2084	14	xxii	b A	21. 5. 57' 54"	22 M.	26 M.
	2228	6	xxiii	f e	21. 5. 36' 12"	21 M.	23 M.
	† 2315	17	xxiii	c	21. 3. 37' 11"	21 M.	28 M.
	2505	17	xxii2	d	21. 1. 1' 38"	21 M.	22 M.
	2562	17	xxiii	c	21. 2. 38 59"	21 M.	28 M.
	2676	17	xxii	b A	21. 5. 53' 38"	22 M.	26 M.
	2953	9	xxiii	g	21. 2. 19' 2"	21 M.	25 M.
	3545	12	xxiii	g	21. 1. 14' 46"	21 M.	25 M.
	3792	12	xxiii	A g	21. 0. 16' 32"	21 M.	25 M.
	† 4251	15	xxiii	e	21. 4. 25' 8"	21 M.	23 M.
	4384	15	xxiii	A g	21. 0. 12' 15"	21 M.	25 M.
	4441	15	xxiii	f	21. 1. 49' 35"	21 M.	24 M.
	4498	15	xxiii	e	21. 3. 26' 55"	21 M.	23 M.
	4832	7	xxiii	d c	21. 0. 29' 39"	21 M.	28 M.
	4889	7	xxiii	b	21. 2. 6' 59"	21 M.	27 M.

Cyclus quo ad præsens utimur, peccat.

Indicens Pascha secundo mense, extante Plenilunio medio in Martio intra terminos Paschales.

Indicens Pascha secundo mense ob defectum Plenilunii medii intra terminos Paschales. Hæc tamen dici nequiunt Cycli peccata, quia Pascha tunc indicandum est, prout fit, mense Aprilis ex deductis quæstione quarta.

Annis Domini.	*Aur. Nu.*	*Epactæ currentes*	*Litera Dom.*	*Plenil. Medium Die. Hor. Min. Sec.*	*Luna XIV. Cal.*	*Pascha Calend.*
3135	1	XXIV	f	19. 22. 46' 17"	18 A.	21 A.
† 3306	1	XXIV	c	20. 3. 38' 16"	18 A.	25 A.
† 3325	1	XXIV	g	19. 20. 10' 43"	18 A.	22 A.
† 3363	1	XXIV	b	20. 5. 15' 36"	18 A.	24 A.
† 3382	1	XXIV	f	19. 21. 48' 3"	18 A.	21 A.
† 3917	4	XXIV	g	19. 20. 6' 26"	18 A.	22 A.
† 3955	4	XXIV	b	20. 5. 11' 20"	18 A.	24 A.
† 3974	4	XXIV	f	19. 21. 43' 46"	18 A.	21 A.
4031	4	XXIV	e	19. 23. 21' 6"	18 A.	20 A.
4623	7	XXIV	e	19. 23. 16' 49"	18 A.	20 A.
1943	6	XXIV	c	19. 10. 13' 36"	18 A.	25 A.
2114	6	XXIV	g	19. 15. 5' 36"	18 A.	22 A.
2133	6	XXIV	d	19. 7. 38' 2"	18 A.	19 A.
2171	6	XXIV	f	19. 16. 42' 56"	18 A.	21 A.
2190	6	XXIV	c	19. 9. 15' 22"	18 A.	25 A.
2706	9	XXIV	g	19. 15. 1' 19"	18 A.	22 A.
2725	9	XXIV	d	19. 7. 33' 46"	18 A.	19 A.
2763	9	XXIV	f	19. 16. 38' 39"	18 A.	21 A.
2782	9	XXIV	c	19. 9. 11' 6"	18 A.	25 A.
2839	9	XXIV	b	19. 10. 48' 25"	18 A.	24 A.
31·6	1	XXIV	b A	19. 6. 13' 50"	18 A.	23 A.
3154	1	XXIV	c	19. 15. 18' 43"	18 A.	25 A.
3173	1	XXIV	g	19. 7. 51' 10"	18 A.	22 A.
3211	1	XXIV	b	19. 16. 56' 3"	18 A.	24 A.
3230	1	XXIV	f	19. 9. 28' 30"	18 A.	21 A.
3287	1	XXIV	e	19. 11. 5' 50"	18 A.	20 A.
† 3344	1	XXIV	e d	19. 12. 43' 9"	18 A.	19 A.
3431	12	XXIV	b	19. 10. 44' 9"	18 A.	24 A.
3488	12	XXIV	A g	18. 12. 21' 29"	18 A.	22 A.
3602	12	XXIV	f	19. 15. 36' 8"	18 A.	21 A.
3621	12	XXIV	c	19. 8. 8' 35"	18 A.	25 A.
3659	12	XXIV	e	19. 17. 13' 28"	18 A.	20 A.
3678	12	XXIV	b	19. 9. 45' 55"	18 A.	24 A.
3803	4	XXIV	b	19. 16. 41' 57"	18 A.	24 A.
3822	4	XXIV	f	19. 9. 24' 13"	18 A.	21 A.
38-9	4	XXIV	e	19. 11. 1' 33"	18 A.	20 A.
† 3936	4	XXIV	e d	19. 12. 38' 53"	18 A.	19 A.
† 3993	4	XXIV	c	19. 14. 16' 13"	18 A.	25 A.
4012	4	XXIV	A g	19. 6. 48' 39"	18 A.	22 A.
4050	4	XXIV	b	19. 15. 53' 33"	18 A.	24 A.
4069	4	XXIV	f	19. 8. 25' 59"	18 A.	21 A.
4504	7	XXIV	A g	19. 6. 44' 23"	18 A.	22 A.
4642	7	XXIV	b	19. 15. 49' 16"	18 A.	24 A.
4661	7	XXIV	f	19. 8. 21' 43"	18 A.	21 A.
4699	7	XXIV	A	19. 17. 26' 36"	18 A.	23 A.

Cyclus quo ad præsens utimur, peccat.

	Annis Domini.	Aur. Na.	Epactæ currentes	Litera Dom.	Plenil. Mediam Die. Hor. Min. Sec.	Luna XIV. Cal.	Pascha Calend.
Indicens Pascha ante Plenilunium.	2133	6	XXIV	d	19. 7. 38' 2"	18 A.	19 A.
	† 2491	3	XX	g	25. 6. 0' 27"	24 M.	25 M.
	2725	9	XXIV	d	19. 7. 33' 46"	18 A.	19 A.
	3317	12	25	c	18. 7. 29' 28"	17 A.	18 A.
	† 3344	1	XXIV	e d	19. 12. 43' 9"	18 A.	19 A.
	† 3611	2	IV	b	10. 13. 6' 1"	9 A.	10 A.
	† 3631	3	XV	e	30. 14. 27' 6"	29. M.	30 M.
	3909	15	25	c	18. 7. 25' 12"	17 A.	18 A.
	† 3936	4	XXIV	e d	20. 23. 54' 50"	18 A.	19 A.
	† 4047	1	XXI	f	24 11. 59' 32"	23 M.	24 M.
	† 4619	3	X	c	4. 10. 34' 10"	3 A.	4 A.
	† 4639	4	XXI	f	24. 11. 55' 15"	23 M.	24 M.
Indicens Pascha Luna vigesima tertia.	† 1724	15	IV	b A	8 1. 4' 9"	9 A.	16 A.
	† 1744	16	XV	e d	28. 2. 35' 14"	29 M.	5 A.
	† 2069	18	VI	f	6. 2. 8' 6"	7 A.	14 A.
	† 2089	19	XVII	b	26. 3. 29' 11"	27. M.	3 A.
	† 2316	18	IV	b A	8. 1. 9' 52"	9 A.	16 A.
	† 2336	19	XV	e d	28. 2. 30' 57"	29 M.	5 A.
	† 4268	13	I	e d	11. 3. 20' 18"	12 A.	19 A.
	† 4288	14	XII	A g	31. 4. 41' 23"	1 A.	8 A.
	† 4292	18	XXVI	c b	15. 17. 24' 2"	17 A.	24 A.
	† 4414	18	XXVI	c b	16. 5. 43' 35"	17 A.	24 A.
	† 4850	16	II	d c	10. 3. 16' 2"	11 A.	18 A.
	† 4880	17	XIII	g f	30. 4. 37' 6"	31 M.	7 A.
Indicens Pascha Luna vigesima secunda.	† 1700	10	IX	c	3. 11. 10' 26"	4 A.	11 A.
	† 1707	17	XXVI	b	16. 15. 3' 2"	17 A.	24 A.
	† 1720	11	XX	g f	23. 12. 31' 31"	24 M.	31 M.
	† 1727	18	VII	e	5. 16. 24' 7"	6 A.	13 A.
	† 1734	6	XXV	c	17. 20. 16' 43"	18 A.	25 A.
	† 1747	19	XVIII	A	25. 17. 45' 16"	26 M.	2 A.
	† 1754	7	VI	f	6. 21. 37' 48"	7 A.	14 A.
	† 1774	8	XVII	b	26. 22. 58' 53"	27 M.	3 A.
	† 1778	12	I	d	11. 11. 41' 52"	12 A.	19 A.
	† 1798	13	XII	g	31. 13. 2' 37"	1 A.	8 A.
	1832	9	XXVIII	A g	14. 21. 8' 54"	15 A.	22 A.
	1852	10	IX	d c	3. 23. 29' 59"	4 A.	11 A.
	1876	15	IV	b A	8. 13. 33' 43"	9 A.	16 A.
	1895	16	XV	e d	28. 14. 54' 47"	29 M.	5 A.
	† 1974	18	VI	f	6. 15. 25' 53"	7 A.	14 A.
	† 1994	19	XVII	b	26. 16. 46' 58"	27 M.	3 A.

Cyclus quo ad præfens utimur, peccat.

Indicent Pafcha luna vigefima fecunda.

Annis Domini.	*Aur. Num.*	*Epactæ currentes*	*Littera Dom.*	*Plenil. Medium Die. Hor. Min. Sec.*	*Luna* XIV. *Calend.*	*Pafcha Cal.*
† 2001	7	V	g	7. 20. 39' 34"	8 A.	15 A.
† 2021	8	XVI	c	27. 22. 0' 39"	28 M.	4 A.
† 2025	12	*	e	12. 20. 43' 18"	13 A.	20 A.
† 2045	13	XI	A	1. 12. 4' 23"	2 A.	9 A.
2052	1	XXIX	g f	13. 15. 56' 59"	14 A.	21 A.
† 2065	14	XXII	d	21. 13. 25' 27"	22 M.	29 M.
2072	2	X	c b	2. 17. 18' 4"	3 A.	10 A.
† 2079	9	XXVII	A	15. 21. 10' 40"	16 A.	23 A.
2092	3	XXI	f e	22. 18. 39' 9"	23 M	30 M.
† 2096	7	V	A g	7. 7. 21' 47"	8 A.	15 A.
† 2099	10	VIII	d	4. 22. 31' 45"	5 A.	12 A.
2177	12	*	e	12. 23. 2' 51"	13 A.	20 A.
† 2221	18	V	g	7 14. 27' 39"	8 A.	15 A.
† 2241	19	XVI	c	27 15. 48' 44"	28 M:	4 A.
2248	7	IV	b A	8. 19 41' 20"	9 A.	16 A.
2268	8	XV	e d	28. 21. 2' 25"	29 M.	5 A.
2272	12	XXIX	g f	13. 9. 45' 4"	14 A.	21 A.
2292	13	X	c b	2 11. 6' 9"	3 A.	10 A.
† 2312	14	XX	g f	23. 12. 27' 13"	24 M.	31 M.
† 2326	9	XXV	c	17. 20. 12' 26"	18 A.	25 A.
† 2346	10	VI	f	6. 21. 33' 31"	7 A.	14 A.
† 2366	11	XVIII	b	26. 22. 54' 36"	27 M.	3 A
† 2370	15	I	d	11. 11. 37' 14"	12 A.	19 A.
† 2390	16	XII	g	31. 12. 58' 19"	1 A.	8 A.
2397	4	*	e	12. 16. 50' 56"	13 A.	20 A.
2424	12	XXIX	g f	13. 23. 4' 36"	14 A.	21 A.
2444	13	X	c b	2. 23. 25' 41"	3 A.	10 A.
2468	18	V	A g	7. 13. 29' 25"	8 A.	15 A.
2488	19	XVI	d c	27. 14. 50' 0"	28 M.	4 A.
2522	15	I	d	11. 23. 56' 48"	12 A.	19 A,
2573	9	XXV	c	17. 19. 14' 13"	18 A.	25 A.
2593	10	VI	f	6. 20. 35' 18"	7 A.	14 A.
† 2613	11	XVI	c	27. 21. 56' 22"	28 M.	4 A.
† 2617	15	*	e	12. 10. 39' 1"	13 A.	20 A.
† 2637	16	XI	A	1. 12. 0' 6"	2 A,	9 A.
2644	4	XXIX	g f	13. 15. 52' 42"	14 A.	21 A.
† 2657	17	XXII	d	21. 13. 21' 11"	22 M.	29 M.
2664	5	X	c b	2. 17. 13' 47"	3 A.	10 A.
† 2671	12	XXVII	A	15. 21. 6' 24"	16 A.	23 A.
2684	6	XXI	f e	22. 18. 34' 52"	23 M.	30 M.
† 2688	10	V	A g	7. 7. 17' 31"	8 A.	15 A.
† 2691	13	VIII	d	4. 22. 27' 28"	5 A.	12 A.
2769	15	*	e	12. 22. 58' 34"	13 A.	20 A.
1440	10	V	A g	7. 19 37' 3"	8 A.	15 A.

Cyclus quo ad præsens utimur, peccat.

Indicens Pascha luna vigesima secunda.

Annis Domini.	*Aur. Num.*	*Epactæ currentes*	*Littera Dom.*	*Plenil. Medium Die. Hor. Min. Sec.*	*Luna* XIV. *Calend.*	*Pascha Cal.*
2860	11	XVI	d c	27. 20. 58' 9"	28 M.	4 A.
† 2864	15	*	f e	12. 9. 40' 47"	13 A.	20 A.
† 2884	16	XI	b A	1. 11. 1' 52"	2 A.	9 A.
† 2904	17	XXII	f e	22. 12. 22' 57"	23 M.	30 M.
† 2918	12	XXVI	b	16. 20. 8' 9"	17 A.	24 A.
† 2938	13	VII	e	5. 21. 29' 14"	6 A.	13 A.
† 2958	14	XVIII	A	25. 22. 50' 19"	26 M.	2 A.
† 2962	18	II	c	10. 11. 32' 58"	11 A.	18 A.
† 2982	19	XIII	f	30. 12. 54' 3"	31 M.	7 A.
2989	7	I	d	11. 16. 46' 39"	12 A.	19 A.
3016	15	XXIX	g f	13. 22. 0' 20"	14 A.	21 A.
3036	16	X	c b	2. 23. 21' 25"	3 A.	10 A.
† 3114	18	I	d	11 23. 53' 31"	12 A.	19 A.
3185	13	VI	f	6 20. 21' 0"	7 A.	14 A.
† 3205	14	XVII	b	26. 21. 52' 5"	27 M:	3 A.
† 3209	18	I	d	11. 10. 34' 44"	12 A.	19 A.
† 3229	19	XII	g	31. 11. 55' 48"	1 A.	8 A.
3236	7	*	f e	12 15. 48' 25"	13 A.	20 A.
3256	8	XI	b A	1. 17. 9' 30"	2 A.	9 A.
† 3263	15	XXVIII	g	14. 21. 2' 6"	15 A.	22 A.
3276	9	XXII	e d	21. 18. 30' 35"	22 M.	29 M.
† 3280	13	VI	g f	6. 7. 13' 13"	7 A.	14 A.
† 3283	16	IX	c	3. 22. 23' 11"	4 A.	11 A.
3361	18	I	d	11. 22. 54' 17"	12 A.	19 A.
3432	13	V	A g	7. 19. 31' 47"	8 A.	15 A.
3452	14	XVI	d c	27. 20. 53' 52"	28 M.	4 A.
† 2456	18	*	f e	12. 9. 36' 31"	13 A.	20 A.
† 3476	19	XI	b A	1. 10. 47' 36"	2 A.	9 A.
† 3510	15	XXVI	b	16. 20. 3' 53"	17 A.	24 A.
† 3530	16	VII	e	5. 21. 54' 58"	6 A.	13 A.
† 3550	17	XVIII	A	25. 22. 46' 3"	26 M.	2 A.
3581	10	I	d	11. 16. 42' 22"	12 A.	19 A.
3608	18	*	f e	12. 21. 56' 3"	13 A.	20 A.
3628	19	XI	b A	1. 23. 17' 8"	2 A.	9 A.
3757	15	XXVI	b	16. 19. 5' 39"	17 A.	24 A.
3777	16	VII	e	5. 20. 27' 44"	6 A.	13 A.
3797	17	XVIII	A	25. 21. 47' 49"	26 M.	2 A.
3828	10	*	f e	12. 15. 44' 8"	13 A.	20 A.
3848	11	XI	b A	1. 17. 5' 13"	2 A.	9 A.
† 3855	18	XXVIII	g	14. 20. 57' 50"	15 A.	22 A.
3868	12	XXII	e d	21. 18. 26' 18"	22 M.	29 M.
† 3872	16	VI	g f	6. 7. 8' 57"	7 A.	14 A.
† 3875	19	IX	c	3. 22. 18' 54"	4 A.	11 A.
† 3892	17	XVII	c b	26. 8. 30' 2"	27 M.	3 A.

Cyclus quo ad præsens utimur, peccat.

Indicens Pascha luna vigesima secunda.

Annis Domini.	*Aur. Nu.*	*Epactæ currentes*	*Litera Dom.*	*Plenil. Medium Die. Hor. Min. Sec.*	*Luna* XIV. *Cal.*	*Pascha Calend.*
4024	16	VI	g f	6. 19. 28' 29"	7 A.	14 A.
4044	17	XVII	c b	26. 20. 49' 34"	27 M.	3 A.
† 4102	18	XXVII	A	15. 19. 59' 35"	16 A.	23 A.
† 4122	19	VIII	d	4. 21. 20' 40"	5 A.	12 A.
4173	13	II	c	10. 16. 38' 5"	11 A.	18 A.
4193	14	XIII	f	30. 17. 59' 10"	31 M.	7 A.
† 4197	18	XXVII	A	15. 6. 41' 49"	16 A.	23 A.
4200	2	*	e	12. 21. 51' 46"	13 A.	20 A.
† 4217	19	VII	e	5. 8. 2' 53"	6 A.	13 A.
4220	3	XI	b A	1. 23. 12' 51"	2 A.	9 A.
† 4224	7	XXV	d c	17. 11. 55' 29"	18 A.	25 A.
† 4244	8	VI	g f	6. 13. 16' 34"	7 A.	14 A.
† 4264	9	XVII	c b	26. 13. 37' 29"	27 M.	3 A.
† 4271	16	IV	A	8. 18. 30' 16"	9 A.	16 A.
† 4291	17	XV	d	28. 19. 51' 20"	29 M.	5 A.
4298	-	III	b	9. 23. 43' 57"	10 A.	17 A.
† 4349	18	XXVI	b	16. 19. 1' 22"	17 A.	24 A.
† 4369	19	VII	e	5. 20. 22' 27"	6 A.	13 A.
4420	13	I	e d	11. 15. 39' 52"	12 A.	19 A.
4440	14	XII	A g	31. 17. 0' 56"	1 A.	8 A.
† 4464	19	VII	f e	5. 7. 4' 40"	6 A.	13 A.
† 4518	16	III	b	9. 17. 32' 2"	10 A.	17 A.
† 4538	17	XIV	e	29. 18. 53' 7"	30 M	6 A.
† 4545	5	II	c	10. 22. 45' 44"	11 A.	18 A.
† 4569	10	XXVII	A	15. 12. 49' 27"	16 A.	23 A.
† 4589	11	VIII	d	4. 14. 10' 32"	5 A.	12 A.
4596	18	25	c b	16. 18. 3' 8"	17 A.	24 A.
4616	19	VI	g f	6. 19. 24' 13"	7 A.	14 A.
4765	16	II	c	10. 16. 33' 48"	11 A.	18 A.
4785	17	XIII	f	30. 17. 54' 53"	31 M.	7 A.
4792	5	I	e d	11. 21. 47' 30"	12 A.	19 A.
4812	6	XII	A g	31. 23. 8' 34"	1 A.	8 A.
† 4816	10	XXVI	c b	16. 11. 51' 13"	17 A.	24 A.
† 4836	11	VII	f e	5. 13. 12' 18"	6 A.	13 A.
† 4856	12	XVIII	b A	25. 14. 33' 23"	26 M.	2 A.
† 4863	19	V	g	7. 18. 25' 59"	8 A.	15 A.
4890	8	IV	A	8. 23. 39' 40"	9 A.	16 A.

Quid præseferat Cruceola, quibusdam Annis primæ Columnæ affixa notabitur quæstione septima num. 9. ibidemque constat Cruceolam illam designare, quæ Paschata a Cyclo Aureæ Columnæ realiter corrigantur, & cur cætera incorrigibilia relinquantur.

At

54 At hic finem non habent prædicti Cycli errata; ipse enim paulatim a recto adeo declinat, ut tractu temporis designet novilunium, in qua die contingit cœleste Plenilunium, quemadmodum demonstratum est in Proemio Epitomes *pag.* 19. Quid absurdius continere potest Cyclus Paschalis, quo obscuratio Solis, uti præter naturæ ordinem contigit die Passionis Domini Nostri Jesu Christi, intueri posset die Paschæ propter luminarium conjunctionem? Remotissimum quidem est tempus hujus absurdi; sed quis dinumerare potest Annorum millia, & iterum Annorum millia, in quibus Pascha interim a prædicto Cyclo indicitur, ab eo longè diverso tempore, quo Sacri Canones celebrandum esse statuunt? Hoc unum adnotare sufficiat. Mathematici Gregoriani, Christophorus Clavius, & secundus Calendarii Canon abhorrent, & quidem meritò, uti patebit quæstione quinta; abhorrent, inquam, concursum cum Quartadecimanis hæreticis, sive clarius erratà indictionis Paschæ ante Plenilunium. Cyclus verò quo ad præsens utimur, in hæc peccata propensissimus est. Ipse enim paulatim ita antevertit cœlestia Plenilunia, ut Paschalis Quartadecima ejusdem Cycli primò præcedat ipsa Plenilunia duobus diebus, deinde tribus, postea quatuor, & successivè quinque, sex, septem, octo, novem, decem, undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, & quindecim diebus. Hæc non sunt commenta, sed demonstratione patent, quemadmodum videri potest apud Epitomen *loc. cit.* & respectivè quæstione quinta *num.* 51.

55 Causa verò, qua Epactæ currentes prædictum absurdum involvunt, designandi scilicet novilunium, in qua die contingit cœleste Plenilunium, non sunt minuta tertia, ut quidam recentiores haud rectè ponunt, non omninò certa apud Astronomos in determinanda Synodici mensis magnitudine. Idem enim absurdum semper emergere ipsi recentiores, si dignentur rem seriò expendere, cognoscent in Liliana æquandi Epactas methodo, etiamsi radix Æquationum in quovis Anno locetur, atque exactissima, & omninò certa a Posteris deprehendatur Synodici mensis magnitudo. Quapropter germanam causam, qua Epactæ Gregorianæ tractu temporis novilunium designant die cœlestis Plenilunii, inveni, atque explicavi in Epitome Operis Paschalis *pag.* 120. ipsamque ingenuè probat doctissimus Anonymus *quæstione sexta in principio*, & quisque certam facilius deprehendet, hoc animadverso; quòd Christianorum Pascha transcurrere nequit per omnes Anni menses, ut Festivitas apud Turcas. Ipsam itaque causam hic etiam adnotare censui, & -: *Est Anni finem versus transgressio finium Paschalium, quæ in Calendario fit propter dierum expunctionem ex Anno Solari, ultra subtractionem Gregorianæ præcessionis Lunæ; atque ascensio Anni initium versus, quæ cum Epactis tunc fieri debet ad lunationem præcedentem, sive Paschalem, ne terminos Paschales, a Nicæno, & Patribus præscriptos transgrediamur in indictione Paschæ. Quæ ascensio ad lunationem præcedentem, sive Paschalem, cum in Calendario fit solùm viginti novem solidorum dierum, & consequenter non æquetur per distantiam unius ab altera Syzygia dierum 29. hor. 12. min. 44. &c. efficit, ut temporis differentia, quæ hinc emergit, tanto sensibilior fiat, quanto plures numero erunt hujusmodi ascensiones.*

Ita-

56 Itaque non sine admiratione audio eosdem recentiores, dicentes — *Hoc emolumenti habent æquationes Currentium Epactarum, ut per multa Annorum millia motibus cœlestibus responsuræ certò sint*. Ultra enim ea, quæ superius dicta sunt, & quæ insuper manifestant ipsas æquationes, retenta etiam Liliana methodo, ne esse quidem quàm accuratissimè ordinatas, jam exposita in Quæstione quinta *num.* 37., & Quæstione sexta *num.* 10., necnon Quæstione septima in Laterculo *paulo post initium*, atque *num.* 10. constat in Epitome *pag.* 131. quòd ab Anno Domini 1700. ad Annum 26000., spatio scilicet bis centum, & quadraginta trium sæculorum, præsens Epactarum Æquatio deturpat centum, & undecim sæcula [Typographi errore ibidem dictum est, centum & viginti unum], in quibus Pascha indicit alio mense, quam primo, usurpata Ogdoade pro Hendecade, & è contra. Quota verò interim sint circa Lunæ hebdomadam peccata in reali Paschæ indictione Deus scit. Existimo tamen, quòd ipsimet Recentiores ad validandas Epactas Currentes non commemorassent Epactas Cassinianas, quibus nihil quidem regularius, nihil elegantius excogitari potest; nec etiam commemorassent restaurationem Epactarum, quam Clavius *cap.* 12. *pag.* 182. edidit, Anno Domini 8200., ac deinde bis, & vigesies usque ad Annum 296300. faciendam, non, inquam, commemorassent, si quod ex hisce, atque illis Epactis emergit, seriò expendissent. In Epitome enim *pag.* 131. patet, quòd ab Anno Domini 1700., usque ad Annum 12000, spatio scilicet centum trium sæculorum Epactæ Cassinianæ deturpant quinque, & quadraginta sæcula, usurpata nimirum Ogdoade pro Hendecade, & è contra, ut dictum est; Ex quibus tamen sæculis pauca sunt cum indictione Paschæ in ultimo mense, cum hoc Festum in eis, ut plurimum indicatur secundo mense. Epactæ demum currentes ab eodem Anno 1700., usque ad Annum similiter 12000. sine prædicta Clavii restauratione acceptæ, deturpant unum, & viginti sæcula. Ipsæ verò Epactæ, cum prædicta Clavii restauratione acceptæ, deturpant eodem temporis intervallo sex, & viginti sæcula; ex quibus ab Anno 1700., usque ad Annum 8200. sæcula quinque, & ab Anno 8200., usque ad Annum 12000., alia quindecim sæcula adeo deturpata connùmerantur, ut in eis Pascha indicatur ultimo mense, quemadmodum manifestat sequens Laterculus.

Laterculus, ab Anno Domini 1700. usque ad Annum 12000. exhibens Sæcula, & aureos numeros, quibus currentibus Cyclus a Clavio cap. 12. restauratus Pascha indicit ultimo mense Anni Superioris.

Sæcula post Annum	Currente aureo numero.
1700	14
2300	17
4200	15
6700	16
7600	19
8200	3
8500	14
8600	14
9100	17
9200	17
9300	17
9500	9
9700	9
10100	1
10300	12
10400	12
11000	15
11200	15
11700	18
11800	18

Si Cyclus, quo ad præsens utimur, non emendetur, diesque Universalis Judicii non præveniat, præ oculis est, quomodo celebrabitur Pascha quo ad mensem, non commemoratis sæculis, in quibus idem Festum indicitur secundo mense, ac silentio præteritis peccatis quo ad hebdomadam. Potest ne audiri quid absurdius?

Con-

57 Concluditur ergo quòd Epactarum Cyclus, quem pro indictione Paschæ adhibemus, Gregorianumque appellamus, verè Gregorianus non est, enormissimè peccat, quo præsertim modo nunquam antea in ullo sæculo factum est, atque Constantinus Magnus id nunquam se permissurum edixit; insuper quo etiam præcisè modo Nicæni Patres in ordinando Aureorum numerorum Cyclo efficere potuerunt, & non fecerunt; enormissimè, inquam, peccat quoties peccandi casus, tum quoad mensem, tum quoad hebdomadam occurrit, hoc labente sæculo, non sine increpationibus, nec sine exterarum Nationum aversione ab Unione, ac etiam non sine Divinæ ultionis comminatione; in posterum frequenter peccare non desinit; & ab intrinseco tendit in pessimum. *Horret profectò animus* (sunt verba Pauli Middelburgensis, Episcopi Forosempronienfis ad Leonem Decimum Pont. Max. *in sua Paulina paulò post initium*) *Horret profectò animus, & rigent capilli, quoties hæc a Judæis nobis objiciuntur; quandoquidem nihil habemus, quod respondere eis possimus, nisi quod errorem fateamur*. His itaque seriò animadversis.

58 AD PRIMAM ANONYMI QUÆSTIONEM, respondetur, quod -- Tam crebra, et tam enormia sunt Currentium Epactarum Cycli a legitimo Paschæ tempore dissidia, ut ea de causa „ ipse Cyclus ejusque usus immutari, et corrigi non solum deceat, „ sed etiam debeat; retento tamen Gregoriano Calendario, et „ Martyrologio, absque ulla variatione, et mutatione. Quæ enim dicta sunt in Epitome *pag*. 2. & 117. & 184. & 211., & in mea Epistola ad Illustrissimum, & Clarissimum Dominum Equitem, & Senatorem Franciscum Mariam Buondelmonti Nobilem Patritium Florentinum *pag*. 3. clarè patefaciunt ejusdem Calendarii, & Martyrologii perfectionem.

COROLLARIUM.

59 Perspicua ex dictis est necessitas, utilitas, & honestas emendandi Cyclum Currentium Epactarum; sed ut quisque ictu oculi momentum causæ perspectum habeat; quæ spectant ad necessitatem, & quæ ad utilitatem, ac demum quæ ad honestatem, cum nonnulla alia, idipsum patefacientia exhibuerim, etiam in sequentibus quæstionibus, suis titulis summariè assignare existimavi in Synopsi, opportunis ad rem fusius obtinendam citationibus illustrata.

SYNOPSIS.

Qua præ oculis breviter ponitur necessitas, utilitas, et honestas emendandi Cyclum Epactarum, quas adhibemus. Necessitas emendationis patet.

60 Primo, quia Cyclus Currentium Epactarum indictione Paschæ sæpe (1) non observat tempus præscriptum in Divina Scriptura (2), cujus observantiam quoad primum mensem, & hujus mensis dies a decima quinta usque ad vigesimam primam inclusis terminis, Traditio Apostolica (3) Apostolus Paulus (4), Vaticinium David

(5), & Sacri Canones (6) præcipiunt, ac propterea ipse Cyclus efficit, ut tunc malè operemur in cultu, quem nos Deo debemus hujus Festi celebratione (7).

Secundo, quia adeo crebra sunt prædicti Cycli errata, ut ipse videatur, nihil prædictorum curare; quoties enim in celebrando Paschate casus errandi, tum quoad mensem, tum quoad hebdomadam contingit, Cyclus ipse semper errat hoc sæculo (8) non sine gravi Patrum reprehensione [9], & in posterum, uti constat *num.* 52. 53. *&* 56. frequenter peccare non desinit.

Tertio, quia eo præcisè modo prædictus Cyclus labente hoc, & quibusdam aliis sæculis, Pascha indicit, quo Nicæni Patres, licèt commodè potuerint Cyclum decennovennalem aureorum numerorum disponere, non disposuerunt; idque evidenti demonstratione patefeci Quæstione quinta *num.* 21. *& seqq.* Nonne sequi non pudet, quod Nicæni Patres potuerunt efficere, & non fecerunt? Profectò *Beatissimi Patres nostri* (sunt verba Sancti Proterii Martyris allegata *num.* 47.) *in revolutione sæpe memorati decennovennalis circuli decimas quartas Paschales DILIGENTIUS adnotarunt*. Sanctus verò Epiphanius ibidem allegatus, fidem facit, quòd Nicæni Patres *ex idonea temporum computatione, & calculo Pascha celebrandum esse statuerunt*. Epactæ ergo, quas adhibemus, nullo modo retinendæ sunt; eoque fortius, quia contra ipsas pronuntiat etiam Calcedonense Concilium, & Sanctus Leo Magnus relatus Quæstione tertia *num.* 84.

Quarto, quia multa quidem cujuscumque speciei sunt in ipso Cyclo peccata indictionis Paschæ (10), tria tamen præcipua animadvertenda sunt in eodem Cyclo: *Primum* est, quòd ipse ab Anno 1700. ad Annum 4300. deturpat quinque sæcula, indicens in eis Pascha alio mense, quàm primo (11), & ex illis tria præcipuè sunt sæcula, in quibus inversa Ogdoade in Hendecadem, & è contra Pascha indicit ultimo superioris Anni mense [12]; quod absurdissimum esse declarat etiam secundus Canon Calendarii [13], nec ullo modo tollerandum dixit Constantinus Magnus in Epistola ad Ecclesias de Synodo Nicæna (14). *Alterum* est, quòd idem Cyclus tractu temporis indicit Paschale novilunium, in qua die contingit cœleste Plenilunium (15), idque ex illa solùm germana causa, quam inveni, ac prope finem superioris Quæstionis notavi *num.* 55. Quid ergo enormius? Remotissimum quidem est tempus hujus absurdi; sed quis dinumerare potest Annorum millia, & iterum Annorum millia, in quibus Pascha interim a prædicto Cyclo proclamatur, ab eo longè diverso tempore, quo Sacri Canones celebrandum esse statuunt? *Tertium* est, quod ipse Cyclus, ut notatum est supra *num.* 54. quippe qui prædictum absurdum involvit, propensissimus est in illa peccata ante Plenilunium, quæ Mathematici Gregoriani, Christophorus Clavius, & secundus Calendarii Canon meritò abhorrent. Cyclus Ludovisianus, omnium Cyclorum elegantissimus, a celebri Cassino editus, tempore Clementis XI. glor. mem. propter hujusmodi propensionem meritò admitti non debuit. Eadem verò propensio cur videri non debet in Cyclo, quem adhibemus?

Quin-

Quinto, quia errata prædicti Cycli sunt adeo enormia, ut non solùm Divinæ Scripturæ, Traditioni Apostolicæ, Apostolo Paulo, Vaticinio David, Sacrisque Canonibus adversentur; verùm etiam non custodiant Sacramenta, & Mysteria Paschæ, jam superius exposita *num. 38., & tribus seqq.* Nostrum enim Pascha est Festum, quod non est tantum alicujus rei Sanctæ jam peractæ commemoratio, uti sunt Festa, quæ fixa dicuntur, sed magnum habet in se Sacramentum, & Sanctæ rei Mysterium (16). Quapropter ipsa errata cultum Dei graviter lædunt [17].

Sexto, quia tanta est eorumdem erratorum enormitas, ut quæ errata corrigi possunt per civilem Cyclum, quàm accuratissimè ordinatum, reddantur non sine culpa (18), & execrabilia [19]. Epactæ namque Currentes dici nequeunt quàm accuratissimè [uti oporteret] ordinatæ, etiamsi ratio haberi velit ad solam Lilii Methodum (20).

Septimo, quia Rustici in secandis arboribus, in ferendis seminibus, & colligendis fructibus, nullo Dei præcepto eos cogente, Lunam observant.

Nonnè probrosum non est in iis, quæ ad Dei cultum pertinent, Lunam non observare, impellente nos prædicto præcepto, & Paschæ Mysteriis? Igitur -- *conandum est summoperè* [sunt verba Pauli Middelburgensis Episcopi Forosemproniensis in sua Paulina *pag. 9. t.* ad Apostolicum Cœtum, & Christianæ Reipublicæ Senatum] *conandum est summoperè, ut Pascha Sanctum juxtà Patrum Decreta observetur: Nam & Christus Dominus hanc quartæ decimæ lunæ constellationem observavit, & tanquam Passioni suæ congruentem apprimè custodivit . . . . . . ut non solum verbo, sed & opere nos doceret Pascha Sanctum debito, & statuto tempore juxtà Lunæ cursum celebrandum esse*.

Octavo, quia quotiescumque in celebratione Paschæ error committitur; in Quadragesima quoque, in Festo Ascensionis, & Festo Pentecostes, & cæteris Festis Mobilibus, Lunæ motum consequentibus, errorem contingere necesse est; imo ad omnes ferè Dominicas, quæ in horis legendis, divinisque Officiis decantandis, Pascha, & Pentecosten consequuntur, error iste diffunditur.

Nono, quia res est non sine magnis increpationibus a Deo, & hominibus (21). Quomodo ita contristati, & afflicti canere in veritate cum Psalmista poterimus die nostri Paschæ -- *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea*?

Decimo, quia, si prædicti errores non corrigerentur, indulgere videremur veteribus Judæis, qui accusabant institutum nostrum, nempè studium, quod in die observando Catholica Ecclesia ponebat; confutatis iisdem Judæis per Sanctum Gregorium Nissenum [22]. Studium ex ore osorum Christiani nominis Catholica Ecclesia olim ponebat in observando die Paschæ; nos verò in eodem Paschæ die observando prædictos errores curare non debemus?

Undecimo, quia Anno 1742., ac cæteris Annis labentis sæculi, eodemque aureo numero 14. insignitis Universus Orbis scissus erit in duas partes [23], quarum quæque celebrabit Pascha in diverso mense lunari. Quænam ergo ex hisce duabus totius Orbis partibus cele-

celebrabit Pascha primo mense? Si verbum veritatis de ore nostro auferre nolumus, utique soli nos, qui correctionem Gregorianam sequi dicimus, circa mensem errabimus (24), ultimum mensem lunaris Anni superioris accipientes pro primo; & consequenter errabimus duplex Pascha celebrantes in lunari Anno 1741., nullum verò Pascha in lunari Anno 1742. [25], adeout Regii Prophetæ verbum in *Psalm.* 78. *vers.* 4. proferre gementes potuerimus — *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt*. Ultimus enim mensis Anni lunaris 1741. est ille, in quo currentium Epactarum Cyclus Pascha indicit die 25. Martii 1742. (26), idque semper recurret in hoc sæculo, quoties potest contingere (27), eodem scilicet recurrente aureo numero 14.

Duodecimo, quia in nullo sæculo a Nicæni Ævo usque ad hoc labens sæculum contigerunt, quæ Cyclus Currentium Epactarum designat hoc sæculo [28]. Ante Gregorianam Correctionem, quandoque celebrabatur Pascha secundo mense; id quod extante necessitate claré permittit Divina Scriptura (29). Ad præsens verò longè enormius indicitur Pascha ultimo mense; Nulla enim Lex neque Divina, neque humana hoc patitur. Quid mirum ergo, si Christianus Orbis tanta, & tam gravia mala passus sit, si Dei cultus palam, & tam graviter læditur (30)?

Decimo tertio, quia Deus exterminationem etiam minatur individualiter propter peccata in celebratione Paschæ [31] & diversis Baptismalium fontium miraculis, a Paschasino, & Sancto Gregorio Turonensi relatis, præcipuam suam de nostro Paschate curam ostendit.

Decimo quarto, quia prædicta errata omnia notantur, ut accepi, ab exteris Nationibus, ut Romanam Ecclesiam quodam tempore arguant; & insuper ipsa proclamantur in falsis Calendariis [32], qualia sunt omnia, quæ Kalendis Januarii Asteriscum * non habent affixum, merito interdicenda.

Decimo quinto, quia ipsa errata non ædificationem, ut requirit Apostolus (33), sed potius scandalum pariunt illis præcipuè Nationibus, quæ Calendarium Gregorianum adhuc amplexæ non sunt [34]. Nonnè oportet, quantum in nobis est; ut removeantur scandala, & aversiones? Monente Apostolo — *ne ponatis offendiculum, vel scandalum* [35].

Decimo sexto, quia si prædictus Cyclus non emendaretur, assentiri iis deinceps videremur, qui ex calculis astronomicis Pascha indicentes existimant (licet haud rectè) [36], Ecclesiam voluntariè admittere Cycli peccata in indictione Paschæ. Etsi enim Ecclesia ante, & post Correctionem Gregorii in errores Cycli hucusque incidit invita, ut probatum est supra *num.* 10., *& seqq.*, quomodo tamen eadem dici possit deinceps invita, non apparet, extantibus ad præsens opportunis Emendationis methodis. Dum verò iis (quod absit) assentiremur, illico in errorem incideremus Novatianorum, initio hujus quæstionis jam memoratum, quippe qui de necessario consequenti diceremus, pro celebratione Paschæ *indifferentem* pro arbitratu nostro esse observandam regulam in Sangariensi Novatianorum Conciliabulo constitutam, celebrandi nempè Pascha tum intra, tum

extra

extra legitimos Azymorum dies. Tunc enim Cyclus errare dicitur, quando Paſchæ Dominicam extra illos dies deſignat; vel error ſit circa menſem, vel circa hebdomadam.

Decimo ſeptimo, quia licèt unica ſit Redemptio noſtra, quam omnes unanimes profitemur, & celebratione Paſchæ recolimus; & licet Divina Scriptura (37), & Sacri Canones [38] *unum Paſcha Orbi terrarum* proclament, adeout Conſtantinus Magnus (39) dixerit — *nefas eſſe, ut in tanti momenti negotio, & hujuſmodi Religionis ſolemnitate diſſentio reperiatur* —; & Sanctus Leo Magnus de Paſcha loquens docuerit [40], quòd *non leviter delinquitur, ſi in principio Sacramenti, veritas, & unitas non tenetur* —; diverſa tamen in hujus Feſti celebratione poſt Gregorianam Correctionem ſunt Schiſmata, quæ propter enunciata prædicti Cycli errata non ceſſant; imo valde timeri poteſt, ut illud in Germania hoc labente ſæculo exortum [41], magis, ac magis extendatur; neque panicum eſſe hujuſmodi timorem, Patres Arelatenſis Concilii clarè in terminis levioribus manifeſtant *loc. cit.*

Decimo octavo, quia dum non conſulitur, quantum in nobis eſt, ſcilicet, emendatione prædicti Cycli, ut prædicta tollantur ſchiſmata, videremur illa non curare, æquè ac ſi Nicæna Synodus propter haſce duas tantum cauſas convocata non fuerit, nempe (ſequuntur verba Sancti Athanaſii ſuperius citata *num.* 5.) *ut ubique una Feſti dies celebraretur, & hæreſis* [ſcilicet Arrii] *quæ pullularat, anathemate damnaretur*; atque ipſa Synodus nihil operata ſit, ut illa in celebratione Paſchæ tolleret diſſidia, quæ ſuperius commemorata ſunt *num.* 7., ac demum æquè, ac ſi Conſtantinus Magnus de ipſa Synodo Nicæna fidem non faciat; quòd [ſequuntur verba ejuſdem Conſtantini (42) — *communi omnium ſententia decretum eſt eam Feſtivitatem uno, eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere*.

Decimo nono, quia perturbationes propter Paſchæ indictionem a legitimo Paſchæ tempore diſſidentem (43) jam auditæ ſunt, ſignanter in Gallia, & Germania; Quid Romæ operari oportuit Anno 1734, ne Paſcha alicubi celebraretur, die 18. Aprilis contra indictionem Paſchæ Romanam? Hiſce verò additur, quod inquit Albertus Magnus — *Inimici Fidei in hoc gloriantur, quia ex illo errore (intellige de Paſchæ obſervatione) nos in aliis pariformiter errare ſubſumunt*.

Vigeſimo, quia prædicta omnia procedunt in Hypotheſi, quòd Epactæ, quas pro indictione Paſchæ adhibemus, Gregorianaſque appellamus, verè ſint Gregorianæ; at revera non ſunt Gregorianæ; tum quia hoc ſæculo expreſſam non ſervant mentem Gregorii XIII. Pontif. Max. quum certiſſimum ſit (44) Paſchales veteris Calendarii quartas decimas ex harum Epactarum uſu triduo tantum (ut docet etiam Anonymus quæſtione quinta §. *Qui ergo &c.*) verſus initia menſium retractas fuiſſe, quum Ille toto quatriduo retrahi mandasſet (45); tum quia poſt multas vigilias detexi, atque evidenter probavi (46), quòd ab Anno 1700., uſque in perpetuum regulam in æquandis Epactis non obſervamus, quam Aloyſius Lilius tradidit, neque regulam, quam Mathematici Gregoriani præſtiterunt, exhibueruntque eidem Gregorio XIII., ac propterea enormiſſimè, uti ſupra, erramus, non ſequentes aſſenſum Imperatoris, Regum, Princi-

pum-

pumque, ac Rerumpublicarum Christianarum, atque celeberrimarum Academiarum Europæ (47), neque sequentes Decretum, quod de æquandis Epactis Mathematici Gregoriani unanimi omnium consensu exhibuerunt Gregorio XIII. (48), & consequenter neque Gregorium ipsum sequentes. Cujus pudoris sit hunc sequi errorem, satis res ipsa declarat. Imo constat ex dictis *num.* 50. quod causa emendandi Calendarium ad præsens magis urget, quàm urgeret necessitas convocandæ Nicænæ primæ Synodi ob motivum Paschæ.

Vigesimo primo, quia si prædicta concludere velimus, Cyclus Epactarum, quem pro indictione Paschæ adhibemus, Gregorianumque appellamus, verè Gregorianus non est (49); enormissimè peccat, quo præsertim modo nunquam antea in ullo sæculo factum est (atque Constantinus id nunquam se permissurum edixit (51); insuper quo etiam præcisè modo Nicæni Patres efficere potuerunt, & non fecerunt (52); enormissimè, inquam, peccat, quoties peccandi casus tum quoad mensem, tum quoad hebdomadam occurrit hoc labente sæculo [53], non sine increpationibus (54), nec sine exterarum Nationum aversione ab unione [55], ac etiam non sine Divinæ ultionis comminatione (56); impòsterum frequenter peccare non desinit (57); & ab intrinseco tendit in pessimum [58]. *Horret profectò animus* (sunt verba Pauli Middelburgensis Episcopi Forosemproniensis ad Leonem X. Pont. Max. in sua Paulina paulo post initium) *Horret profectò animus, & rigent capilli quoties hæc a Judæis nobis objiciuntur; quandoquidem nihil habemus, quod respondere eis possimus, nisi quod errorem fateamur.*

Vigesimo secundo, prædicti ergo errores *tanto majori cura* (sunt verba Alberti Pighii Campensis, Mathematici, ac Theologi Lovaniensis in proemiali Epistola ad Leonem X. Pont. Max.) *quam singulorum errata corrigendi sunt, quanto magis in confusionem cedunt Religionis nostræ* --; & si quæ sint negocia, curam ab emendatione Cycli prædicti avertentia, consilium rectum, & sapiens fuit illud, Lateranensi Concilio a præcitato Paulo Middelburgensi directum (59), quod Leo X. Pont. Max., & ejusdem Concilii Patres amplexi fuerunt, licèt Calendarium, opportuna tunc correctionis methodo non extante (60) reipsa non emendaverint; & est -- *Et si multa sint, Beatissime Pater, cæterique Patres Reverendissimi, ardua negocia, in hac Sacrosancta Synodo pertractanda, minimè tamen silentio prætereundum esse arbitror Romani Calendarii pro recta Paschæ celebratione emendationis studium: quinimmo hoc tanquam primum Christianæ Religionis Mysterium in primis emendandum, & discutiendum esse censeo; quia spiritualia temporalibus præferri debent: dicente Domino, primùm quærite Regnum Dei, & reliqua omnia adjicientur vobis* --. Quæ dixit Paulus Middelburgensis, Patres Lateranensis Concilii sub Leone X. amplexi sunt; & Patres Arelatensis Concilii suo exemplo olim firmarunt, qui licèt propter Donatistarum causam convocati fuerint, tamen *primo loco* de Pascha tractandum esse existimarunt [61].

Hisce addere liceat, Fideles nullo subesse diffidendi periculo in celebratione Paschæ ob celeriorem, vel tardiorem emendationis notitiam, quoniam Epactæ verè Gregorianæ, & Epactæ cujusvis novi Cycli, pro prædicta emendatione suo loco discutiendi, eumdem diem

Pa-

Paschæ Dominicum designant ab Anno 1735. usque ad Annum 1741. inclusivè.

SEQUUNTUR ALLEGATIONES

Præcitatis Locis Respondentes.

1 *Supra num.* 15. 52. 53. 54. 56. 57.
2 *Supra num.* 16., *&* *Quæst. quarta num.* 31. *&* *seqq.*
3 *Supra num.* 16.
4 *Supra num.* 39. §. Verum, &c., *&* *Quæst. tertia num.* 66., *&* *usque ad num.* 76.
5 *Quæstione tertia num.* 68. *&* 70.
6 *Supra num.* 16. *&* *in Dissert. post tertium Quæstionem num.* 3. *usque ad numerum* 11. *ac etium num.* 14.
7 *Supra num.* 42. *atque Quæstione quintu ex verbis Sancti Leonis Mugni sub num.* 32 *utque ex deductis in Epitome Operis Paschulis pug.* 92.
8 *Supra num.* 18. *&* 19.
9 *Supra num.* 18. *post medium, &* *num.* 45. *usque ad numerum* 52.
10 *Supra num.* 52. 53. *&* 56.
11 *Supra num.* 52. *&* *Quæstione sexta num.* 3. *&* 10.
12 *Ibidem.*
13 *Supra num.* 43.
14 *Supra num.* 45.
15 *Supr num.* 54. *&* *seqq.*
16 *Supra num.* 38. *&* *seqq.*
17 *Supra num.* 42. *utque Quæstione quinta ex verbis Sancti Leonis Magni sub num.* 32.
18 *Quæstione quinta num.* 32. *&* 33.
19 *Quæstione quinta num.* 30. *&* 31.
20 *Quæstioue quinta num.* 34., *&* 37., *&* *seqq.*, *&* *quæstione sexta num.* 10., *&* *quæstione septima num.* 2., *&* 10.
21 *Supra num.* 45., *&* *seqq.*
22 *Oratione prima in Christi resurrectionem circa medium.*
23 *Supra num.* 45.
24 *Supru num.* 21, *&* 45., *pleuissimè uutem post quartam quæstionem in Corollario per tot., atque in Dissertatione post ipsum Corollarium.*
25 *Supra num.* 45.
26 *Supra num.* 15. 21., *&* 45, *latissimè verò post quartam quæstionem in Corollurio, utque in Dissertutione post ipsum.*
27 *Supra num.* 19.
28 *Supra num.* 45.
29 *Libro Numerorum cap.* 9. *ver.* 10., *&* *seqq.*, *&* *Libro* 2. *Paralip. cap.* 30. *ver.* 2., *&* *seqq.*
30 *Supra num.* 20. *ex Puulo Middelburgensi.*
31 *Quæstione quinta num.* 30., *&* 31.
32 *Quæstione tertiu num.* 49., *&* *seqq.*
33 *Epistola ad Romanos cap.* 14. *ver.* 19.
34 *Supra unm.* 36. 45., *&* 49.
35 *Epistola ad Romunos cup.* 14. *vers.* 13.
36 *Quæstione nona num.* 11.
37 *Quæstione tertia num.* 76.
38 *In Dissert. post tertiam quæstionem num.* 7. 10 14. 15. 19., *&* 31., *&* *Concil. Calcedou. urt.* 6. *in fine upud Conciliorum Collect. Reg. Max. tom.* 2. *pug.* 490.
39 *Epistola de Synodo Nicænu relata in prædicta Dissertatioue num.* 15., *&* 16.
40 *Epistola* 64. *ad Martianum Augustum.*
41 *Supra num.* 36.
42 *Epistola prædicta de Synodo Nicæua.*
43 *Supra num.* 36. *atque in Proemio Epitomes pag.* 16. 21., *&* 22.
44 *Quæstione quinta num.* 48., *&* *pluribus seqq.*, *&* *num.* 53.
45 *Ibidem num.* 48.
46 *Ibidem num.* 39. *usque ad numerum* 47
47 *Ibidem num.* 47.
48 *Ibidem num.* 39., *&* *seqq.*
49 *Supra num.* 50.
50 *Supra num.* 45.
51 *Verba Constuntini Magni relata sunt etium num.* 45.
52 *Quæstioue quinta num.* 21. 22., *&* 23.
53 *Supra num.* 18., *&* 19.
54 *Supra num.* 36. 44. 45. 48., *&* 49. *&* *in Dissert. post tertium quæstiouem num.* 42.
55 *Supra num.* 36. 45., *&* 49.
56 *Supra num.* 20. *&* 49., *&* *quæstione quinta n.*
57 *Supra num.* 52. 53., *&* 56.
58 *Supru num.* 54., *&* 55.
59 *In sua Paulina pug.* 10. *t.*
60 *Quæstioue nona num.* 9.
61 *Supra num.* 4.

UTILITAS EMENDATIONIS PATET.

61 Primo, *quia ad omnium salutem pertinet*, sic ait Sanctus Leo Magnus de Pascha loquens [1] *ut Dei cultus nullo errore lædatur*.

Secundo, quia ædificationem, ut requirit Apostolus (omnibus exhiberet Christianorum Pascha.

Tertio, quia exprobrationes, & obtrectationes in Catholicos cessarent.

Quarto, quia perturbationes in ullo Regno amplius timeri non possent propter Paschæ celebrationem.

Quinto, quia amoverentur flagella, quæ Deus minatur propter peccata in ejusdem Festi celebratione [3].

Sexto, quia in celebratione Paschæ tolleretur diffidendi periculum, quod inter nos etiam, qui ritum Romanum sequimur, maximè timere faciunt (4) falsa Calendaria pluribus locis edita, & a Gregoriano substantialiter diversa, nec non per me confutata, uti patet in Epitome *pag.* 2, *&* 211. Hæc namque Calendaria usu præcisè Epactarum, quas adhibemus, Gregorianasque appellamus, Paschalem quartam decimam perpetuò signant uno die citius, quàm in Calendario Gregoriano; & consequenter indicunt Pascha eo mense, atque eo mensis die, in quo idem Festum uniformiter ad cœlestes motus peragendum esset illis Annis, in quibus Calendarium Gregorianum tam enormiter peccat.

Septimo, quia consuleretur decori Ecclesiæ, & Fidelium Paci, ac etiam utilitati totius Orbis. Observantiam enim temporis Mortis, & Resurrectionis Domini ad utilitatem spectare Patres Concilii Arelatensis tradiderunt [5].

Octavo, quia in celebratione Paschæ sperabilis esset exterarum Nationum Unio, tum quia bonum ex se viam sibi parat, ut acceptetur, & cum sit humanæ voluntatis objectum, per se appetibile est; tum quia omnes eandem Fidem profitemur de humana Redemptione, quam celebratione Paschæ recolimus; tum denique quia ipsæmet exteræ Nationes a nobis diffidentes in libro, cujus titulus est: *Nova acta Eruditorum Anno* 1734. *publicata Lipsiæ* Kalendis Septembris, ita loquuntur in fine — *Illud vehementer optamus: ut pacem, & concordiam in celebrandis suis sacris universus deinceps conservet Orbis Christianus*; ac etiam quia hoc labente Anno 1739. apud Anglos, qui veterem stylum adhuc retinentes, Pascha ut ipsimet in Mathematicis, Astronomicisque disciplinis peritissimi, benè agnoscunt, apertissimè celebrarunt secundo mense, & quarta Lunæ hebdomada; apud Anglos, inquam, monitum est (6), ut Pascha legitimo tempore deinceps proclametur.

Nono, quia recepta apud exteras Nationes methodo, quam nos pro indictione Paschæ adhibemus, nihil superest ad Apostolici muneri complementum, nisi illas suaviter reddere ab hæresibus expurgatas.

Decimo, quia cum Gregorianum Calendarium, & Martyrologium variari non debeat, Ecclesiastici nulla librorum comparatione pro divinis Officiis indigerent.

Unde-

Undecimo, quia, ut per universum Orbem servetur Unitas in celebratione Paschæ nullorum indigent (notetur), nullorum indigent librorum Comparatione, etiam qui Calendarium Gregorianum nunquam viderint, & nunquam sermonem de eo audierint, dummodo facillimam servent regulam, quam tradam in Corollario post ultimam quæstionem, etiam quoad ætatis Lunæ pronunciationem in veteris Martyrologii lectione, novo Martyrologio conformem.

Duodecimo, quia usibus etiam civilibus de consequenti consuleretur.

SEQUUNTUR ALLEGATIONES
PRÆCITATIS LOCIS RESPONDENTES.

1 *Epistola* 65. *ad Pulcheriam Augustam*.
2 *Epistola ad Romanos cap.* 14. *vers.* 19.
3 *Quæstione quinta num.* 30., & 31.
4 *Quæstione tertia num.* 49., & *seq.*
5 *Supra numero* 4.
6 *In libro, cui titulus est* -- Mercurio Storico per il mese di Maggio 1739. pag. 75., & seq.

HONESTAS EMENDATIONIS PATET.

62 Primo, quia tolleretur, quod malum est, bonumque Christianæ Religionis causa prosequeremur.

Secundo, *quia quanta possumus cura* [sunt verba Sancti Augustini [1] *error cavendus est non solùm in majoribus, verum etiam in minoribus rebus*.

Tertio, quia Traditio Apostolica, Documentum Pauli Apostoli, Regiique Prophetæ Vaticinium, necnon alii Divinæ Scripturæ textus [2], & Sacrorum Canonum, Patrumque Decreta (3) custodirentur.

Quarto, quia operaremur juxta Apostoli monitum [4]; veterumque Patrum, & Conciliorum sollicitudinem imitaremur (5) & præcipuè imitaremur, quod in Ecclesia non semel factum est; nimirum Anno Æræ vulgaris 198. per Cæsariensis Concilii Patres, qui primum progressum diei Dominici Paschæ, sive clarius quintæ decimæ Paschalis, quæ die 23. Martii, & consequenter Æquinoctii sede, in diem 22. ejusdem mensis transtulerunt (6); atque Anno 260. per Sanctum Dionysium Archiepiscopum Alexandrinum, qui lunarem Cyclum Julii Cæsaris, illucusque in Ecclesia usitatum emendavit [7), & cujus emendationem eadem Ecclesia adhibuit, usque ad Nicæni Ævum [8]; ac denique Anno 325. per Nicænos Patres, qui Cyclum lunarem ediderunt, in Ecclesia servatum usque ad Gregorium XIII. Pontif. Max. (9) confutatis loc. cit. iis, qui huic Historiæ contraria ediderunt.

Quinto, quia ne errorem in celebratione Paschæ committerent, plerique Episcopi Romanæ Ecclesiæ post Ægyptiorum supputationem expectabant etiam (10) sententiam Sancti Ambrosii. Tanta erat priscis temporibus cura rectæ celebrationis Paschæ.

Sexto, quia congruo, quo decet, ſtudio imitaremur, quæ Sanctus Leo Magnus ſollicitè exquiſivit [11], & efflagitabant inter cæteros Romanos Pontifices Leo X. Pontif. Max., & Patres Lateranenſis Concilii, ſub eodem Leone X. congregati [12.

Septimo, quia ſequeremur mentem Gregorii XIII. Pont. Max., qui non tribus diebus, uti præſeferunt in hoc ſæculo Currentes Epactæ, ſed quatuor diebus expreſsè voluit menſis initium verſus elevata novilunia Cycli Paſchalis in Calendario (13).

Octavo, quia non decet, ut Eccleſia deinceps retineat illam Epactarum Æquationem ad præſens adhibitam, quam [uti ſupra expoſitum eſt] Mathematici Gregoriani, & conſequenter Gregorius XIII. Pont. Max. non præſtituit, eoque fortius non decet, quia id contrarium eſt diſpoſitioni Concilii Tridentini, quod prope finem ſeſſionis 25. *Tit. de Indice librorum, &c.* non alteri mandavit Correctionis Negocium, niſi — *Judicio, atque auctoritati Sanctiſſimi Romani Pontificis* — prout etiam ipſemet Gregorius narrat initio ſuæ Bullæ, quæ incipit — *Inter graviſſimas, &c.*

Nono, quia ſequeremur illorum doctrinam [14] & monita (15) qui Gregorianam Correctionem ediderunt; ac etiam doctrinam (16) Chriſtophori Clavii, Gaſſendi, & præcipuè Clementis VIII. Pontif. Maxim.

Decimo, quia ſequeremur multorum clariſſimorum Scriptorum ſententiam, & præcipuè eorum, qui dum diverſas ediderunt methodos emendandi Cyclum currentium Epactarum, quid ſuadent, niſi ejuſdem Cycli emendationem?

Undecimo, quia in condigna extimatione haberetur memoria Alexandri VII. Pontif. Max., qui die 12. Martii 1671., Franciſco Levera, & Dionyſio Varianelli pro emendatione meritò inſtantibus, methodum tamen pro hujuſmodi emendatione, neque Aſtronomiæ legibus reſpondentem, neque aptam proponentibus Congregationem deputavit; ac ſimiliter in condigna extimatione haberetur memoria Clementis XI. Pontif. Maxim. [17] qui licèt hujuſmodi emendationem, deputata præcipua Congregatione exoptaverit, methodum tamen ad hoc opportunam non invenit.

Firmo igitur fundamento innititur reſponſum, quod primæ dedimus quæſtioni. Urgens enim eſt emendationis neceſſitas, atque evidens Utilitas, & Honeſtas, licèt hæc tria omnia generale Concilium Lateranenſe, ſub Innocentio III. celebratum, ad varianda humana ſtatuta, declaret non requiri, ſed solùm [18] *aut urgens neceſſitas, aut evidens utilitas*; quod ipſum docet etiam Divus Thomas [19].

SEQUUNTUR ALLEGATIONES

PRÆCITATIS LOCIS RESPONDENTES.

1 *Tom. 6. in Enchirid. num. 5.*
2 *Supra num. 16.*
3 *Concilium Calcedonenſe, Actione decima quinta apud Conciliorum Collectionem regiam maximam* tom. 2. pag. 602.
4 *Epiſtola ad Romanos cap. 14. verſ. 13.*
5 *Supra num. 1., & ſeq.*
6 *In Diſſertatione poſt tertiam queſt. num. 115.*
7 *Ibidem.*

8 *Ibi-*

8 *Ibidem num. 67. usque ad 73., & 112. & seqq.*
9 *Ibidem num. 125. & seqq., & 166. & seqq., & 202., & seqq.*
10 *Sanctus Ambrosius epistola 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos.*
11 *Supra num. 48.*
12 *Quæstione nona num. 9.*
13 *Quæstione quinta num. 48., & seqq.*
14 *Quæstione quinta num. 16.*
15 *Quæstione tertia num. 60. 61., & pluribus seqq.*
16 *Ibidem num. 60. 65. & 77., & seqq.*
17 *Supra paulo post initium num. 12.*
18 *In cap.* Non decet *de consanguinitate, & affinitate.*
19 *1. 2. quæst. 97. art. 2.*

QUÆSTIO SECUNDA.

ANONYMUS.

„ CÆterum cum ea, quam memorabimus, Ecclesiæ institutio in „ hisce duobus sit posita: alterum, ut Pascha eo die Domi„ nico celebretur, qui quartam decimam Lunam primi mensis pro„ ximè sequitur, alterum, ut mensis ille primus habeatur, cujus Luna „ quarta decima, vel in ipsum diem Verni Æquinoctii Ecclesiastici, „ duodecimo Kalendas Apriles affixi, incidit, vel ab hoc prima suc„ cedit, non una exindè oritur dubitatio; quæ nisi dirimatur, ne„ que de Gregorianis epactis, neque universim de ullius Cycli cum „ Lunaribus temporibus consensu, aut dissensu dijudicare licet.

„ Primum enim certum illud temporis punctum intra naturalis „ diei curriculum constituendum videtur; undè civilis dies ex Eccle„ siæ instituto exordium capere censeatur, de quo sanè aliter aliis „ est persuasum. Quidam enim diei initium ex media nocte, qui„ dam ex præcedenti Solis occasu ducendum putant. Nonnulli etiam „ in quibus Gregoriani Mathematici, licèt dierum articulos in me„ dia nocte constituerint, Plenilunium tamen, aut novilunium, quod „ inter vesperam, ac mediam noctem committitur, succedenti diei „ attribuendum existimarunt, ac nuper JACOBUS BETTAZZIUS in „ Epitome operis paschalis ita arbitratus est: dies quidem Ecclesia„ sticos a Vespera inire, sed cum de paschalibus Cyclis perpendendis „ agitur, interdum rectius fieri, si pomeridianæ horæ in eum, qui „ subsequitur diem imputentur.

„ Hinc igitur altera subnascitur quæstio.

„ Quæ ratio, in taxandis civilium dierum initiis, necnon in „ Lunæ phasibus ad hunc, illumve diem referendis, Ecclesiæ consue„ tudini, ac menti maximè sit consentanea. Qua in re ne fortè a „ regionum discrimine ulla existat ambiguitas, meridiem, ac mediam „ noctem in meridiano Romano, occasum verò Solis, atque ortum „ in Romano horizonte perpetuò accipimus,

SOLUTIO.

N. 1. Antequam sermo sit de dierum civilium initiis, liceat claritatis gratia ob oculos ponere, quid præcise sentiam de horis post meridiem usque ad solis occasum. Virtus *Gnome* jam exposita in Epitome

pag.

pag. 27. quæ eſt altera ex virtutibus prudentiæ potentialibus, vim ex altioribus principiis tribuens judicandi ultra ſenſum verborum legis, & conſequenter licitum neceſſario prænuntiat uſum alterius virtutis, *Syneſis* appellatæ, atque expoſitæ *loc. cit. pag.* 67., quæ eſt altera ex virtutibus Prudentiæ potentialibus, verba legis attendens circa agendorum judicium; virtus, inquam, *Gnome*, qua fit, ut cyclaris luna quarta decima ſignet diem Plenilunii medii contingentis poſt meridiem uſque ad ſolis occaſum, adhiberi nequit, quando medium Plenilunium contingit die Aequinoctii Eccleſiaſtici 21. Martii poſt meridiem uſque ad ſolis occaſum, neque quando contingit die 19. Aprilis ſimiliter poſt meridiem uſque ad ſolis occaſum, quemadmodum pluribus diſcuſſis expoſui *loc. cit. pag.* 10. *& ſeq.* Si enim virtus *Gnome* tunc adhiberetur, prædicti duo dies ſignandi eſſent cum cyclari luna decima quarta, atque inde tria emergerent; *primum* eſt, quod neceſſario fateremur, lunationem, cujus medium Plenilunium fit die 21. Martii poſt meridiem, eſſe abſolutè Paſchalem; Ex quo contra ea, quæ docet Eccleſia ſcateret licitam eſſe Paſchæ celebrationem, aut Æquinoctii die 21. martii in Cyclari luna decima quinta, quando foret Dominica; aut die 28. Martii in Cyclari luna vigeſima ſecunda, quoniam virtus *Gnome* efficit, ut neceſſario fateamur, tunc licitum eſſe uſum virtutis Syneſis, qua prædictus dies 21. Martii ſignari legitimè poſſet cum Cyclari luna decima quinta: *Alterum eſt*, quod lunationem illam fateremur Paſchalem, quæ verè Paſchalis non eſt. Cum enim luna per ſe ipſam nullum ſignum preſeferat, ex quo ipſa ſe manifeſtet primi, vel alterius menſis; ac ſolum primi menſis dicatur ex eo, quia Plenilunium habet in fine Hyberni temporis, initioque vernæ immutationis, ut patebit in Diſſertatione poſt quæſtionem quartam; & cum dies 21. Martii ab Eccleſia præſtitutus ſit finis Hyberni temporis, ſimulque initium vernæ immutationis, ut ibidem patebit, nullo modo prædicta lunatio dici poteſt Paſchalis. *Tertium eſt*, quod neceſſario fateremur Lunationem, cujus Plenilunium fit intra terminos a Nicæno præfixos, die 19. Aprilis poſt meridiem, eſſe ſecundi menſis; quia cyclarem quartam decimam haberet die 19. Aprilis, ultra limites quartæ decimæ Paſchalis a Nicæno definitos; & inſuper diem Reſurrectionis Domini, ſive clarius cyclarem lunam decimam ſeptimam reponeret in ſecundum menſem juxta civilem ſolis curſum, nempe in diem 22. Aprilis contra ea, quæ docet Eccleſia, atque exponam quæſtione quarta num. 7. ac denique diem Paſchæ Dominicum contra Praxim Nicænam protraheret in diem 26. Aprilis, quoties dies 19. ejuſdem menſis foret Dominica. His accedit, quod adhibita *Gnome* tum quando medium Plenilunium contingit die 21. Martii poſt meridiem, tum quando futurum eſt die 19. Aprilis poſt meridiem, Emboliſmorum ratio præſertim Anno Sacro, de quo agitur, corrueret, & Paſcha non raro celebraretur alio menſe, quam primo. Tunc igitur horæ pomeridianæ neceſſario tribuendæ ſunt diei civili, cujus partes ſunt, neque ullo modo imputari poſſunt diei ſequenti; ac propterea hujuſmodi Plenilunia, illis duobus diebus contingentia, ſecundum virtutem *Syneſis* neceſſario ſignanda ſunt cum cyclari luna decima quinta.

2 Exceptis prædictis duobus diebus, quotieſcumque medium Plenilunium pomeridianis horis ante ſolis occaſum contingit, hujuſmodi

Ple-

Plenilunium eidem diei, in quo advenit, imputari poteſt. Cyclus namque propter uſum virtutis *Syneſis* poteſt hanc diem ſignare cum luna decima quinta, quemadmodum reſultat ex actibus Cæſarienſis Concilii, ſub Victore primò celebrati, relati in Epitome *pag.* 33. ac probant ea, quæ ibidem dixi *pag.* 27. *in fine*, *&* *pag.* 28. 67. *&* 111. atque ſuadent Nicæna Exempla ſecundæ Claſſis in Laterculo inferius exhibendo, ac etiam exemplum lunæ decimæ quartæ Paſcnalis Anno 387. de cujus Anni Paſcha Sanctus Ambroſius Magiſtralem ſcripſit Epiſtolam 83. ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos, nullo vitio redarguens, ſed potius commendans Cyclum, qui die Dominico 18. Aprilis præſeferebat lunam decimam quartam Paſchalem, ſcilicet die ante medium Plenilunium, quod tunc contigit Aprilis die 19. hor. 4. min. 14. & ſec. 32. poſt meridiem, currente aureo numero 8. ac Litera Dominicali C. Et præcipue ſuadent exempla Paſchæ realiter celebratæ paulo poſt Nicænum, nempe Annis 330. 350. 370. & 441. in quibus medium Plenilunium ſemper contigit die Paſchæ poſt meridiem, uti manifeſtat ſequens ſchema.

Anni Domini	*Aureus Numerus*	*Litera Dominic.*	*Lun. XIV. Die Menſ.*	*Plenilunium medium D. H. M. Sec. P. M.*	*Paſcha Die menſis.*
330	8	D	18. Ap.	19. 2. 37. 12.	19. Ap.
350	9	G	7. Ap.	8. 3. 58. 17.	8. Ap.
370	10	C	27 Mar.	28. 5. 19. 21.	28 Mar.
441	5	E	22. Mar.	23. 1. 57. 51.	23. Mar.

3 Quamvis medium Plenilunium pomeridianis horis ante ſolis occaſum contingens a die 22. Martii, ad diem 18. Aprilis ſemper incluſive, propter uſum virtutis *Syneſis* ſignari poſſit cum cyclari luna decima quinta; Cyclus tamen Paſchalis rectius procedit, ſi tunc exhibeat uſum virtutis *Gnome*; videlicet, ſi Cyclus ipſe cum luna decima quarta, quæ ultimam quartæ decimæ Aſtronomicæ partem tunc includeret, ſignet civilem diem hujuſmodi Plenilunii, uti probatum eſt in Epitome *pag.* 27 *&* 28., atque ibidem notatur *pag.* 111. & ulterius probant exempla Anni 417. & 444. quos tanquam recte procedentes laudat Paſchaſinus Epiſcopus Lilibetanus in Epiſtola ad Sanctum Leonem Magnum, repoſita inter illas Sancti Leonis *poſt Epiſtolam* 63. quamvis medium Plenilunium Anno 417. in quo currebat aureus numerus 19. ac litera Dominicalis G. contigerit Aprilis die 17. hor. 0. min. 38. & ſec. 10. poſt meridiem, die ſcilicet Cyclaris lunæ decimæ quartæ Paſchalis, Anno autem 444. advenerit, currente aureo numero 8. ac litera Dominicali B. A. advenerit, inquam, Aprilis die 18. hor. 5. min. 51. & ſec. 51. poſt meridiem, die nimirum cyclaris lunæ decimæ quartæ Paſchalis: Immo Proſper Aquitanus apud Labbeum *tom.* 1. *Bibl. m. ſſ. pag.* 53. de hoc Paſcha Anni 444. ſic ait — *Theodoſio XVIII. & Albino Coſſ. hoc Anno Paſcha Domini IX. Kalendas Maii celebratum eſt nec erratum eſt, quia inde XI. Calendarum Majarum dies Paſſionis fuit, ob cujus reverentiam natalis urbis Romæ ſine circenſibus tranſiit* — ac denique probat exemplum Anni 453. quem enunciat ſine ullo Cycli vitio idem Sanctus Leo Magnus *Epiſtola* 64. *ad Mar-*

ad Martianum Augustum, licet medium Plenilunium tunc contigerit Aprilis die 9. hor. 3. min. 21. & sec. 44. post meridiem, die videlicet cyclaris lunæ XIV. Paschalis, dum in usu erat aureus numerus 17.; ac litera Dominicalis D.

4 Hæc vero, de usu scilicet *Synesis*, *&* *Gnome*, quomodo demonstrative procedant, patebit in Corollario post responsum ad tertiam quæstionem; & nihilominus confirmantur Bedæ verbis *lib. de temp. ratione cap.* 41. — ibi — *Si autem post occubitum solis* (*Luna*) *accendatur* — [idest contingat medium Novilunium, hoc enim a computistis appellatur *accensio Lunæ*, *Beda loc. cit. Clarius cap*, 18. *num.* 4.] *non tamen primam priusquam vesperam viderit*, *sed trigesimam potius oportet æstimare*. Beda itaque dum dicit, *quod non oportet æstimare primam*, *sed potius trigesimam* — commendat quidem, si dies Plenilunii medii post meridiem contingentis, qualis est hypothesis Bedæ, propter *Gnomen* signetur cum luna decima quarta, sed non reprobat, si signetur cum luna decima quinta. Quare Clavius cap. 27. num. 5. sic ait — *Quamvis enim Pascha, in quo Plenilunium fit post meridiem ante solis occasum*, *non sit omnino illegitimum*, *ut cap.* 22. *num.* 4. *scripsimus*, *vitari tamen id debet in Cyclo quoad fieri potest*, *ita ut rarissime contingat*.

5 Quando igitur *Gnome*, uti supra, adhiberi potest, non inficior, quod pomeridianæ horæ in eum, qui sequitur diem, imputentur; quoniam vel tunc imputentur, vel non, usus *Gnome* efficit, ut dies hujusmodi Plenilunii signetur cum luna decima quarta, quemadmodum ipsum diem cum luna decima quarta signandum esse præscribunt, qui pomeridianas horas in sequentem diem imputant.

6 His notatis, dico, quod in materia Paschæ, sive cum de Paschalibus Cyclis ordinandis, aut expendendis agitur, non sine gravibus absurdis initia civilium dierum taxantur a media nocte: quæ absurda exposui in Epitome *pag.* 18. *ac primum* est, quod juxta catholicam de Paschali quarta decima doctrinam Cyclus nullo peccato accusari posset, quando medium Plenilunium contingit post solis occasum cyclaris Lunæ decimæ quintæ desinentis, sive diei Paschæ, & ante mediam noctem sequentem: ex quo non solum scateret dissonantia illa ab Evangelio, de qua loquar *Quæst.* 3. *num.* 37. §. *insuper &c.* qui enim dies ex Evangelio accipi debet pro quarto decimo lunæ, acciperetur pro quinto decimo; verum etiam ficret ut juxta eamdem catholicam doctrinam dies nostri Paschæ sola diei lunaris nomenclatura differret, re ipsa tamen posset legitime concurrere cum die, quo Judæi Agnum immolabant, sive clarius cum die Paschæ quartadecimanorum; id quod directe aversaretur literali documento Apostoli Pauli, relato, atque exposito *Quæst.* 3. *num.* 66. *& seqq.* ac vetustissimis Ecclesiæ Canonibus. Apostolus namque prohibet, ne Pascha celebretur luna quarta decima, ac præcipit, ut tale festum peragatur altero ex diebus Azymorum, qui incipiunt non a media nocte, sed ab occasu solis.

Alterum absurdum, quod Cyclus vitio accusandus esset, quando Paschale facit medium Plenilunium contingens post occasum solis diei 21. Martii, & ante mediam noctem sequentem; cum enim ad discernenda Plenilunia Paschalia attendi solum debeat Æquinoctium Ecclesiasticum, uti patebit in Dissertatione, quam exhibebo post quæstionem quartam; hujusmodi Plenilunium, quippe quod contingeret die

die ipsius Æquinoctii, ad ultimum Superioris Anni mensem pertineret, contra Praxim Nicænam & signanter Anni 376. in quo Pascha currente aureo numero 16. celebratum fuit, mense Martio, licet medium Plenilunium tunc contingeret Martii die 21. hor. 11. min. 39. sec. 77. post meridiem. E contra vero Cyclus aliquo modo posset a vitio secundi mensis excusari, quando Paschalia facit media Plenilunia, quæ die 20. Aprilis contingunt nonnullis minutis post ortum solis desinentis diei 21. Martii, nihilominus hujusmodi Plenilunia habenda essent perinde, ac illa Plenilunia, quæ notata sunt columna sexta laterculi per me exhibiti paulo post initium quæstionis septimæ. *Tertium* absurdum est circa Æquationem Anni Solaris quæ aliam formam exigeret, etiam ab ea diversam, quam exponam quæstione quinta, Corollario primo.

7 Hæc verò absurda in mentem iis viris doctissimis non venerunt, qui re funditus non discussa, initium eorumdem civilium dierum auspicantur a media nocte; freti præsertim consuetudine, quæ jam inolevit circa jejunii solutionem, & similia. Hæc tamen consuetudo non inducit necessitatem, ut extendi debeat ad materiam Paschæ, sive cum agitur de Paschalibus Cyclis expendendis, aut ordinandis, quemadmodum probatum est in Epitome *pag.* 25. Imo hujusmodi consuetudinem extendi non posse ad materiam, de qua agitur prædicta absurda satis apertè manifestant. Et quidem Mathematici Gregoriani prædictam Ecclesiæ consuetudinem quoad Jejunii solutionem, & similia, simulque antiquum Ecclesiæ ritum inchoandi civilem diem ab occasu Solis in materia, de qua agitur, studiosè, ac sapienter custodierunt. Dierum enim articulos in media nocte constituerunt non absolutè, sed *juxtà veterem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudinem* — uti legitur in prima Gregoriana Hypothesi per me relata in Epitome *pag.* 24., ac propterea quoad cessationem ab operibus servilibus, & similia. Quæ prima hypothesis hęc est — *Dies, qui* 24. *horis finitur, juxta veterem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudinem a media nocte incipiat, ac doctrinæ causa in quatuor* (*uti olim apud Hebræos*) *dividatur partes, sive quadrantes, quorum quisque sex horas amplectitur*. At ne ex ea consuetudine, uti supra servata quis inferret, antiquatum esse Ecclesiæ ritum inchoandi civilem diem ab occasu Solis in materia, de qua agitur, ita expressè cautum legitur in secunda hypothesi per me relata loc. cit. — *Si Plenilunium in aliquo ex tribus primis diei quadrantibus* [nempe a media nocte ad occasum Solis] *esse contingat, in eamdem diem incidere dicatur; si verò in postremo quadrante id accidat* (scilicet ab occasu Solis ad mediam noctem) *sequentis diei esse intelligatur. In Novilunio autem ratio tam exquisita non est exigenda* --: Quod idem est, ac si dictum fuisset, initia civilis diei non aliter esse accipienda in materia, de qua agitur, nisi ab occasu Solis, ut per se patet, & clarè exposui *loc. cit.*

8 Plenissimam de hac quæstione elucubratus sum dissertationem, quam exhibui in Epitome Operis Paschalis *pag.* 18., *& seqq.*, ubi objecta resolvuntur, atque ex Sacris Canonibus, ex auctoritatibus Sanctorum Patrum, necnon ex veteri, Gregorianaque Ecclesiæ Praxi clarè patet, civilium dierum initia non aliter accipienda esse, nisi a Solis occasu in hac materia. Quod ipsum docet Sanctus Leo Magnus Epi-

stola 81. ad Dioscorum *cap.* 1. dicens, diei Resurrectionis Dominicæ — *a Vespera Sabbati initium constat adscribi* —, ac etiam declarat Textus *in cap.* 1. *de Consecrat. dist.* 3. *&* *in cap.* 1. *de Feriis*. Quorum Canonum dispositio eo magis attendenda est, quia agimus de diebus Lunę civilibus, qui cum Luna creata sit, *ut precesset nocti*, vel (prout alia dicit Sacrę Scripturæ editio apud Bedam *lib.* 5. *Eccles. Hist. Gentis Anglorum cap.* 22. *in incboationem noctis*, incipere non debent, nisi ab occasu Solis; tantoque fortius, quia ab hoc initio civiles dies propriam servant naturam, quippe qui a sensibili signo exordiuntur; Quare.

9 AD PRIMAM PARTEM SECUNDÆ QUÆSTIONIS respondetur QUOD CIVILIUM DIERUM INITIA IN MATERIA PASCHÆ, „ SIVE CUM DE PASCHALIBUS CYCLIS ORDINANDIS, AUT EXPENDENDIS „ AGITUR, NON ALIA RATIONE ACCIPIENDA SUNT, QUAM AB OCCASU „ SOLIS.

10 Quoad secundam partem ejusdem secundæ quæstionis animadverti debet, quòd ad rectam Paschalis Festi celebrationem, ut docet Gregorius XIII. Pont. Max., in Bulla, quæ incipit — *Inter gravissimas* —, necessario requiritur — ibi — *recta positio Lune decime quarte primi mensis, que vel in ipsum Æquinoctii diem incidit, vel ei proximè succedit* —. Gregorius non docuit, quod requiratur Lunę decimæ quartę positio sine ullo adjuncto, æquè ac si liberum esset lunæ decimę quartę diem determinare; sed docuit — *recta positio lune decime quarte primi mensis*; — *Recta*, inquam, uti exposui quęst. prima *num.* 14. — Idque ipse Gregorius sapientissimè docuit, tum quia ipse expresse secutus est veterum Summorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum Sanctiones; tum quia in Textu Hebraico Levitici *cap.* 23. *vers.* 2., *&* 4. habetur) uti exponam quęst. quinta *num.* 27.), habetur, inquam, ut Pascha proclametur, sive indicatur, non quovis tempore, sed *in statuto tempore suo*.

11 Dum ergo loquimur de Lunæ Phasibus, primario, & principaliter ratio habenda est ad rectam positionem ejusdem Lunæ decimæ quartæ, ex cujus recta definitione deinde emergunt ea, quæ ad Lunæ Phases pertinent. Quare de consequenti solùm est, ut de prima Lunæ Phasi sermo fiat. Profecto data Luna decima quarta Paschali, juxta ipsius definitionem per me exhibitam in responso ad tertiam quæstionem, evidenter patet ex Astronomiæ legibus, semper esse possibile, quemadmodum probatum est in Corollario post prædictum responsum in fine, ut ad Vesperam cyclaris Lunæ primę desinentis, post Solis occasum, ut pręcisè exigit Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in Prologo apud Petavium *de doct. temp. tom.* 2. *in Appendice*, Luna nova videatur a Solaribus radiis expedita; quidquid præter Cycli intentionem tunc accidat propter Zodiaci, & Horizontis obliquitatem, ac propter latitudinem, quæ Lunæ congruit, ac denique propter majorem, aut minorem tarditatem motus ejusdem Lunæ, ex quibus causis prima Lunæ Phasis, sive apparitio retardari potest ad tradita communiter per Astronomos apud Ricciolum *lib.* 4. *Almagesti cap.* 3 *num.* 5., *&* *seqq.* Bene igitur cautum fuit in secunda ex hypothesibus Gregorianis superius relata, quod *in Novilunio ratio tam exquisita non est exigenda*, major enim videretur Ecclesiæ cura circa Neo-

Neomenias, quàm circa lunam decimam quartam Paschalem, indeque eveniret, ut hæc a Neomeniis legem reciperet, & primario attendi non deberet; quod etiam Sacræ Scripturæ non congrueret, in qua de Neomeniis non legitur, prout legitur de Pascha in lib. Numerorum *cap. 9. vers. 2. Faciant filii Israel Phase in tempore suo*.

12 Petavius quidem *De Doct. temp. tom. 1. lib. 5. cap. 14., & 15.* prædictis assentitur, sed Bedam graviter arguit, ac Dionysium exiguum, vehementius verò Sanctum Cyrillum nuper citatum, ac Theophilum Patriarchas Alexandrinos, necnon Dionysii exigui ac Bedæ Magistros, eos affirmans tradidisse regulam, non ineptam quidem, sed a Nicæna methodo prorsus alienam, videlicet, ut ad Vesperam cyclaris lunæ primæ desinentis post Solis occasum luna nova videri possit, a Solaribus radiis expedita, & quartadecima Paschalis proximè præcedat diem Plenilunii. Contendit enim Petavius, primam lunæ Phasim, Nicæni Ævo, non contigisse juxtà medios motus die Neomeniæ Cycli decennovennalis, sed luna secunda ejusdem Cycli, Paschalem verò quartadecimam biduo præcessisse medium Plenilunium: Tractu autem temporis propter notam Lunæ præcessionem advenisse, ut ad Vesperam desinentis Neomeniæ Cyclaris Luna nova videri potuerit, a Solaribus radiis expedita; quartadecima verò Paschalis proximè præcesserit diem Plenilunii medii. Petavius tamen injustè arguit prædictos Patres; & si rem accuratius expendisset, ipse vir clarissimus, atque insignis utique illorum Doctrinam, tum Nicenæ methodo, tum Ecclesiæ instituto uniformem agnovisset.

13 De Ecclesiæ enim instituto expressam fidem facit Sanctus Gregorius Nissenus, per me relatus in Epitome *pag. 45.* illudque clarum est in Actibus Cæsariensis Concilii de Anno Domini 198. circiter, relatis, atque luculenter expositis in Epitome *Dissert. 2. Assert. 1.*: Cui Ecclesiæ instituto uniformis omnino est Doctrina prædicti Theophili, & Sancti Cyrilli, quorum verba, etiam inter se se collata retuli *loc. nuper cit. Assert. 5. pag. 45., & tribus seqq.*, adeout ex iis etiam omnibus documentis, quæ exhibui in secunda, & tertia Dissertatione apud Epitomem, atque referam quæstione tertia, idipsum deprehendatur.

14 Quoad methodum verò Nicænam, res Nicæni Ævo sese habet, prout ostendit sequens Laterculus, in quo horæ, horarumque fragmenta sunt post meridiem diei currentis ad meridianum Romanum.

15 Patet igitur evidenter, quòd ex tota decennovennali Periodo, immediatè post Nicænum, Anni tredecim connumerantur, & sunt illi in prædicto Laterculo descripti cum nota *primæ*, *&* *secundæ Classis*, in quibus Paschalis quartadecima semper signat diem immediatè ante medium Plenilunium; Neomenia verò Paschalis in desinente ipsius vespera post Solis occasum novam lunam primò conspiciendam præbet. Hoc enim de novem Annis primæ Classis dubitari nequit. Idipsum probatur in quatuor Annis secundæ Classis.

16 Licèt enim raro accidat, ut in eodem die, quo Luna Soli conjungitur, nova videatur ad Vesperam, attamen falsum est, Lunam novam videri non posse, nisi in secunda die civili post Synodum, sive post ipsius conjunctionem cum Sole. Quo enim Luna nova post Solis occasum videri possit a solaribus radiis expedita, id necessarium est, data conjunctione, aut propè linearum verorum motuum cum lineis mediorum, id, inquam necessarium est, ut a Sole elongetur decem circiter gradibus, quotos, & amplius ab ipsa Luna confici posse non dubitatur spatio horarum duodeviginti, & min. 22. a cojunctionis momento computandarum. De facto non solùm Luna tunc videri potest ad tradita per Ricciolum in Almag. *lib.* 4. *cap.* 3., sed Anno 1734. propè hanc Sancti Hippolyti Plebem realiter visa fuit post Solis occasum diei Dominici 4. Aprilis ab octo Viris diversæ ætatis (me præsente, atque instante) absque ullo instrumento, sed sola oculorum acie; Ego tamen eam non vidi, nec commodè mihi tunc licuit oculorum meorum aciem adjuvare ullo instrumento. Insuper propterea, quæ de illo Paschate scripsi, plures Viri, tum laici, tum Sacerdotes, ac etiam in mathematicis disciplinis eruditi, prout mihi relatum fuit, tunc eam Florentiæ viderunt sola oculorum acie, ac etiam Telescopii usu; quamvis rarissimè accidat, ut tunc videri possit. Verum enim Novilunium, juxtà accuratissimas Eustachii Manfredi Ephemerides, contigit Aprilis die 3. hor. 13. min. 51. post meridiem. Si igitur data conjunctione, aut propè linearum verorum motuum cum lineis mediorum, Luna nova videri potest post horas 18., & min. 22. a Synodi momento computandarum, fortius videri poterat spatio illarum horarum, quæ Annis secundæ classis intercedunt a momento Novilunii usque ad Solis occasum desinentis Neomeniæ Cyclaris.

17 Cæterum non dubito, quod sex illis Annis *tertiæ Classis* Cyclus decennovennalis sese haberet, prout affirmat Petavius; sed animadvertit debet, certum esse, quòd omnis civilis cycli ea est natura, ut interdum a cœlestibus motibus dissentiat; id quod ipsemet Petavius ingenuè fatetur *loc. cit.* Quapropter a majori Annorum numero totius Cycli decennovennalis res dijudicanda est, non autem a minori numero, in quo Cycli error deprehenditur, neque vitari poterat, servatà, uti oportebat, ejusdem regularitate, necnon Nicænæ Ogdoadis, & Hendecadis natura; ac denique veteri methodo colligendi singulis Annis Paschalem quartam decimam. Cum igitur, quantum natura Cycli decennovennalis Nicæni patiebatur, Neomenia Paschalis in desinente ipsius vespera post Solis occasum novam lunam juxtà medios motus primò conspiciendam præbuerit; quartadecima verò Paschalis præcesserit diem Plenilunii medii, constat evidenter de injustitia prædicta reprehensionis Petavii. Quare.

AD

R STATUS CYCLI DECENNOVENNALIS
POST NICOENUM.

...ilunium Medium ... Hor. Min. Sec. ... meridiem mensis.	*Luna XIV. Cycli Die Mens.*	*Plenilunium Medium Die. Hor. Min. Sec. post meridiem mensis.*	*Pascha Die. Mens.*
1. 53' 50" M.	10. A.	10. 20. 15' 51" A.	14. A.
1. 52' 26" M.	27. M.	27. 20. 14' 27" M.	2. A.
.3. 25' 7" M.	15. A.	15. 17. 47' 8" A.	22. A.
.4. 35' 5" M.	12. A.	12. 8. 57' 6" A.	18. A.
3. 23' 43" M.	1. A.	1. 17. 45' 44" A.	3. A.
5. 45' 2" M.	9. A.	10. 0. 7' 3" A.	15. A.
4. 33' 40" M.	29. M.	29. 8. 55' 41" M.	30. M.
2. 6' 22" A.	17. A.	17. 6. 28' 23" A.	19. A.
3. 16' 19" M.	13. A.	13. 21. 38' 20" A.	15. A.
0. 42' 28" M.	30. M.	31. 5. 4' 29" M.	6. A.
8. 15' 10" A.	18. A.	19. 2. 37' 11" A.	19. A.
8. 13' 45" M.	4. A.	5. 2. 35' 46" A.	7. A.
8. 12' 21" M.	21. M.	22. 2. 34' 22" M.	26. M.
9. 32' 31" M.	2. A	3. 13. 54' 32" A.	3. A.
4. 21' 9" M.	22. M.	23. 22. 43' 10" M.	26. M.
7. 3' 48" M.	7. A	8. 11. 25' 49" A.	11. A.
7. 2' 24" M.	24. M.	25. 11. 24' 25" M.	30. M.
0. 55' 0" M.	5. A.	6. 14. 17' 1" A.	11. A.
5. 43' 38" M.	25. M.	27. 0. 5' 39" M.	27. M.

18 AD SECUNDAM PARTEM SECUNDÆ QUÆSTIONIS respondetur -- NULLAM ALIAM RATIONEM CONSUETUDINI, AC MENTI EC„ CLESIÆ MAGIS CONSENTANEAM ESSE, QUAM REFERRE PHASES LUNÆ AD „ ILLOS CIVILES DIES, EX QUIBUS DEINDE EMERGAT RECTA POSITIO „ LUNÆ QUARTÆDECIMÆ PASCHALIS.

COROLLARIUM.

19 Ne fortè a Regionum discrimine ulla existat ambiguitas, Anonymus sapienter monet, prout exposui quæst. prima *num.* 33., *&* 34. meridiem, ac mediam noctem accipiendam esse in meridiano Romano, sed quoad occasum, & ortum Solis, cum ipse Anonymus moneat accipiendum esse in Romano Horizonte, existimo, quod prælaudatus Anonymus intellexerit relativè ad Sphæram rectam, non autem propriè in Horizonte Romano; quoniam rectius est, ut occasus, & ortus Solis accipiatur in Horizonte Sphæræ rectæ, quemadmodum notatum est in Epitome *pag.* 97., *&* 116. Hac enim ratione prospicitur omnibus Regionibus sub eodem meridiano positis, iis etiam in Australi Hemispherio existentibus, ne diversa inter hos omnes occurrat dies, quæ uti supra insigniri debet cum luna decimaquarta. Quoniam diversa Poli altitudo diversitatem parit in arcu semidiurno, ex qua deinde potest interdum emergere diversitas diei civilis, in quo cœleste Plenilunium describitur.

20 Insuper accepto Horizonte propriè Romano, quid boni evenit, quin melius circa Cycli Paschalis constitutionem deprehendatur, accepto Horizonte Spheræ rectæ? Illę enim paucæ Sexagesimæ unius horæ, quibus tempus a meridie ad Solis occasum, juxtà proportionem arcus semidiurni in Horizonte Romano fit longius post diem Vernalis Æquinoctii, si diei sequenti imputentur, sicuti revera sunt diei sequentis in Horizonte Sphæræ rectæ, Cyclus Paschalis relativè ad Horizontem Romanum rectius procedit mediante usu Virtutis Gnome.

21 De facto Mathematici Gregoriani solùm Spheræ rectæ Horizontem acceperunt; idque clarè manifestant Gregorianæ hypotheses superius allegatæ, quæ differentiam sex horarum constanter ponunt a meridie ad Solis occasum, & similiter ab occasu Solis ad mediam noctem. Clavius denique idipsum servavit *cap.* 22. *num.* 4., *&* *cap.* 24. *num.* 13.

22 Id verò tanti faciendum non est, ut in eo discutiendo amplius immoremur, præsertim cum perraro accidat Paschale Plenilunium die Dominico propè occasum Solis ad Horizontem propriè Romanum.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

ANONYMUS.

„ VErum nihil agitur, nisi et de eo satis liqueat; quid demùm „ quartædecimæ Lunæ vocabulo significetur, qui nempè dies, „ secundùm Lunæ ipsius in Cœlo positum, quartus decimus sit ha- „ bendus, quo scilicet hic dies cum eo civili die, qui ex Cyclo „ quartus decimus indicitur, comparari, ac de Cyclo ipso judicium „ ferri queat.

„ Plerique enim ita statuunt, ut quartadecima cœlestis, quam, „ & absolutam, & astronomicam, & mediam vocare licet, unus qui- „ dam sit e dierum civilium censu, nempè, ut cum uno aliquo ci- „ vili die perpetuò incipere, ac porrò cum eo desinere debeat; Hi „ tamen ipsi in eo die definiendo rursùm inter se se discedunt, nam „ aliqui civilem diem, intra cujus spatium Novilunium medium com- „ mittitur; aut certè cui antea commissum attribuitur primam Lunam „ faciunt. atque ab ea deinceps secundam, tertiam, ac reliquas ad „ quartamdecimam computant; alii [Gregoriani præsertim Mathema- „ tici, & qui eos secutus est Bettazzius] non tam novilunii ratio- „ nem habendam existimant, quàm plenilunii, ut quintadecima qui- „ dem Luna perpetuò sit dies civilis, intra cujus fines medium Ple- „ nilunium contingit, aut contigisse putatur, qui verò hunc proximè „ antecedit quartadecima.

„ Quæ sanè ratio a priore illa interdum abludit, quòd spatium „ a novilunio ad plenilunium minimè aliquo solidorum dierum nume- „ ro, sed 14. diebus 18. horis 22. sexagesimis contineatur.

„ Non desunt tamen, qui dies Lunæ aliter accipiendos, neque „ civilium dierum finibus coercendos, sed cum ipsa Lunæ ætate pu- „ tandos velint; cui sententiæ adhæsit Franciscus Blanchinus in solu- „ tione problematis Paschalis, & favisse etiam visus est Joannes Do- „ minicus Cassinus.

„ Qui ergo ita sentiunt, Lunam primam ab ipso novilunii medii „ puncto ineunt, quacumque civilis diei hora contingat, atque ideo „ elapsis ab eo puncto 24. horis secundam Lunam, eademque ratione „ reliquas auspicantur; quo fit quartamdecimam perpetuò 18. horis, „ 22. sexagesimis ante medium plenilunium terminari, neque ullum „ in ejus spatio definiendo discrimen oriri, sive prorsùm a novilu- „ nio, sive retrorsum a plenilunio computetur.

„ Sed quoniam in hac methodo sæpissimè accidit quartamdeci- „ mam [juxtà ac reliquos Lunares dies] diebus duobus civilibus ex „ parte congruere, quorum altero incipiat, altero desinat, consequens „ est, ut qui ejusmodi rationem sequuntur, regula quadam opus ha- „ beant, cujus subsidio alterutrum diem civilem eligant, quem quar- „ tum decimum esse statuant, atque indè Paschæ solemnitatem ante „ omnem Cyclum ex ipso Lunæ positu non ambiguè pronuncient, „ ita enim demum cyclica quartadecima cum cœlesti illa conferri, & „ de Cycli præstantia judicari poterit. Et Blanchinus quidem hanc „ sibi regulam statuit, ut diem illum civilem eligi oporteat, cui

„ ma-

„ major quartædecimæ astronomicæ pars respondeat, a quo die si „ Cycli quartadecima discrepet, vitio illi vertendum existimat.

„ Alii verò licèt diem illum civilem præferri non repugnent, „ quo cum major quartædecimæ astronomicæ pars componitur; in „ Cyclis tamen ad cœlestes motus exigendis non tam exquisitè agen„ dum opinantur, ne cum conditionum difficultatibus Cyclorum erro„ res multiplicentur. Itaque rem hanc omnem ex veterum exemplis, „ præsertim primi post Nicænum Concilium sæculi consuetudine diju„ dicandam arbitrantur, qua sanè ætate decennovennalis Cyclus sat „ commodè Cœlo congruere est habitus, si quartadecima Cyclica par„ tem aliquam cœlestis quartædecimæ interdum sub hujus initium, in„ terdum sub finem attingeret.

„ Tertio igitur in hoc tanto opinionum conflictu quæritur.

„ Quænam ex Catholicæ Ecclesiæ sensu sit Luna quartadecima, „ & quatenus quartamdecimam Cyclicam cum ea quadrare oporteat, „ ut Cyclus rectè sit constitutus.

S O L U T I O.

1 Perdifficile quidem est hoc examen. Oportet enim ex omnium opinionum discussione veritatem eruere, illamque patefacere: sit mecum Dominus. Amen.

2 Legitime procedit illorum sententia, qui decimam quartam Paschalem statuunt civilem illum diem, cum quo cæleſtis quartadecima incipit, & cum eo desinit. Dubium enim non est, quod medium Plenilunium tunc contingit cyclari luna decima quarta. Hæc tamen sententia non definitionem Paschalis quartæ decimæ, sed casum potius particularem profert, atque adeo rarissimum, ut hujusmodi hypothesis prætereunda videatur. Quare non mirum, si qui hanc tenent sententiam, inter sese discedant.

3 Illorum vero sententia, qui civilem diem, intra cujus spatium novilunium medium committitur, aut certe cui antea commissum attribuitur, primam lunam faciunt, atque ab ea deinceps secundam, tertiam, ac reliquas ad quartam decimam computant, duobus tantum casibus legitime procedit. *Primus* est, quando medium novilunium contingit post meridiem, ac diei sequenti attribuitur, tunc enim luna decima quarta signaret civilem diem immediate ante medium Plenilunium, quod legitime tunc reponeretur cyclari luna decima quinta post solis ortum. *Alter est*, quando medium novilunium contingit intra temporis spatium *horis* 5. *min.* 37. *sec.* 58. *ter.* 24. *quar.* 41. rotunde autem *horis* 5. *min.* 37. *& sec.* 59. post solis occasum, quia cyclaris luna decima quarta tunc quoque signaret civilem diem immediate ante medium Plenilunium, sed procederet cum usu virtutis Synesis, utpote quæ ipsum Plenilunium reponeret cyclari luna decima quinta post meridiem. Synodicus enim mensis constat *diebus* 29. *hor.* 12. *min.* 44. *sec.* 3. *ter.* 10. *quar.* 38., medium vero nuvilunium a medio Plenilunio distat *diebus* 14. *hor.* 18. *min.* 22. *sec.* 1. *ter.* 35. *& quar.* 19. ut Mathematici Gregoriani cum Clavio bene firmarunt, & probat Illustriss. Eustachius Manfredi; rotunde autem distat *diebus* 14. *hor.* 18. *min.* 22. *& sec.* 1. quod semper observabitur in sequentibus,

tibus,, ne tales computi ultra minuta secunda, nisi cum necessitate, extendantur. Cęteris verò casibus quotiescumque luna prima signat civilem diem novilunii medii, luna deinde decima quarta, vel majori parti quartæ decimæ Astronomicæ, *ab hujus initio* acceptæ respondet, vel solum initium includit ejusdem quartæ decimæ Astronomicæ; in quibus terminis hujusmodi sententia coincidit in utramque ex quartæ decimæ Paschalis definitionibus, quæ utpotè erroneæ paulo infra confutabuntur.

4 Constat igitur ex dictis, me in hac fuisse, & esse sententia, ut *luna decima quinta Paschalis perpetuo sit civilis dies, intra cujus fines medium Plenilunium contingit, aut mediante usu virtutis Gnome contigisse putatur*; *qui vero hunc proxime antecedit diem quarta decima*; idipsum docentibus Mathematicis Gregorianis, & Clavio. Hanc vero sententiam doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ omnino uniformem esse, liquido patebit ex iis, quæ inferius exhibebuntur.

5 Non desunt tamen, qui lunam decimam quartam Paschalem, aliter accipiendam esse docent, nempe, ut ille dies civilis cum luna decima quarta signari debeat, cui major quartæ decimæ astronomicæ pars respondet. Horum sententiam expendens dico, quod si hæc major pars ita accipiatur, ut ultimas quoque *horas* 5. *min.* 37. *& sec.* 39. *ad ultimum quartæ decimæ cœlestis quadrantem* spectantes includat, vel saltem de eisdem horis, horarumue fragmentis participet, hujusmodi sententia non discreparet a quartæ decimæ Paschalis definitione, quam ponam in responso ad hanc tertiam questionem, quia tunc semper signaret cyclarem lunam decimam quartam in civili die ante medium Plenilunium; non discreparet, inquam, nisi in usu virtutis *Gnome*; de qua locutus sum quæstione secunda, & quam hæc sententia omnino, ac sine ratione reiicit.

6 Si vero major quartæ decimæ astronomicæ pars accipitur tantum ab initio ipsius adeo ut nullo modo participet de prædictis ultimis *horis* 5. *min.* 37. *& sec.* 59. ad ultimum quadrantem quartæ decimæ astronomicæ spectantibus, huic sententię obstant ea omnia, quæ plenissime, atque in præcisis terminis exhibui in secunda ex meis Dissertationibus in Epitome *pag*, 30. *& seqq.* atque Assertio secunda, tertia, & quinta ex Dissertatione tertia in Epitome *pag.* 56. *& seqq.*

7 Quamvis *loc. cit.* patefecerim, esse contra Catholicam doctrinam, ut luna decima quarta Paschalis respondere simpliciter debeat majori parti quartæ decimæ astronomicæ, quæ sicuti, & cæteri omnes lunares dies astronomici incipiunt a momento, in quo contingit medium novilunium; tamen in hujus veritatis confirmationem nonnulla alia audire non tædeat.

Ex Evangelio resultat ut notabitur *num.* 57. §. *Insuper &c.* quod dies lunæ quartus decimus proxime præcedat diem oppositionis Luminarium. Quoties vero Doctrina de Paschali quarta decima docet, ut cum luna decima quarta signari debeat, ille civilis dies cui major quartæ decimæ astronomicæ pars, ab ipsius initio uti supra accepta, respondet; ipsa Doctrina Evangelio directè adversatur. Efficit enim ut isti tres Anni 336. 340. & 341. descripti in Laterculo exhibito *num.* 14. cum errore signarent Paschalem quartam decimam in civili die proxime ante luminarium oppositionem; hi autem duo Anni 331. &

335.

335. rectè procederent, Paschalem quartam decimam, in citato Laterculo habentes biduo ante prædictam luminarium oppositionem; majorem namque partem quartæ decimæ astronomicæ, ab istius initio acceptæ, ipsi duo Anni includunt; illi vero tres Anni excludunt.

8 Insuper Sanctus Leo Magnus in Epistola 68. quam ipse scripsit ad Julianum Episcopum, affirmat — ibi — *De præsentis Anni* [scilicet 454.] *Pascha nulla dubitatio esse nobis potuit, sed futuro*; de Pascha enim tunc futuro nempe Anni 455. dubitatio erat ex eo, quia currente aureo numero 19. nullum Pascha post Nicœni Ævum illucusque celebratum fuit die 24. Aprilis, & videbatur, ut legitur in *Epistola 64. ad Martianum Augustum*, transgressio vetustorum terminorum Paschalium. Anno itaque 454. medium Plenilunium contigit Martii die 29. hor. 12. min. 10. & sec. 22. post meridiem, atque in usu erat litera Dominicalis C., & aureus numerus 18., qui signabat lunam decimam quartam Paschalem die 29. Martii; Pascha autem die 4. Aprilis, luna vigesima. At certum est, quod major pars quartæ decimæ astronomicæ, cujus initium habetur per subtractionem unius diei, & horarum 18. min. 22. & sec. 1., finis verò innotescit per subtractionem horarum 18. min. 22., & sec. 2. ex dato Plenilunio medio, tunc non occupabat diem 29., sed diem 28. Martii, & tamen Sancto Leoni Magno — *Nulla dubitatio esse potuit* —. Luna ergo decimaquarta Paschalis non est simpliciter civilis dies, qui majorem partem quartædecimæ astronomicæ includit, quia aliqua dubitatio tunc esse potuisset, nimirum circa rectam positionem ipsius lunæ decimæquartæ, quæ haud rectè signasset civilem diem 29. Martii; & præcipuè circa rectam positionem lunę vigesimę, quę haud rectè signasset diem illius Paschę. Quota namque luna fuerit die prędicti Paschę individualiter, eidem Sancto Leoni nota erat ex centenario cursu Theophili Patriarchę Alexandrini; quoniam ipse Sanctus Leo in Epistola 64. ad Martianum Augustum affirmat, Pascha illius Anni 454. celebratum fuisse juxta designationem prędicti centenarii cursus, in quo adscripta reperiebatur, quota luna erat die ejusdem Paschę, uti legitur in Prologo Sancti Cyrilli similiter Patriarchę apud Petavium *de Doct. Temp. tom. 2. in Appendice*.

9 Quid amplius? Sanctus Proterius Martyr Patriarcha Alexandrinus loquens de Pascha Anni 455. in Epistola ad eumdem Sanctum Leonem Magnum, quam refert Petavius *loc. cit.*, sic ait — *Æstimare quosdam non diligenter adscriptum diem Festi Paschalis, &c.*, & prope finem — *cognoscant igitur per tuam sanctitatem, qui in illis partibus ambigunt, quod legitimè .... Pascha peragimus*. Undè Sanctus Leo Magnus in Epistola 95. prædictum Pascha annuntiavit die 24. Aprilis juxtà definitionem Sancti Proterii. Sed animadvertendum est, quòd Anno 455. medium Plenilunium contigit Aprilis die 17. hor. 9. min. 43. & sec. 4. post meridiem; atque in usu erat litera Dominicalis B., & aureus numerus 19., qui exhibebat lunam decimamquartam Paschalem die 17. Aprilis. Quomodo ergo peragi *legitimè* potuisset hoc Pascha die 24. Aprilis, cum certum sit majorem partem cœlestis quartædecimæ tunc occupasse civilem diem 16. Aprilis sabbato? Quomodo Romani illi apud Sanctum Leonem Magnum acerrimè instantes, ut Pascha tunc celebraretur die 17. Aprilis, contra definitio-

nem, quam de hoc Pascha tum celebrando in Dominico die 24. Aprilis Theophilus Patriarcha Alexandrinus ante hoc tulerat, silentio præteriissent hanc tam perspicuam insolubilemque difficultatem?

10 Meritò igitur Victorius Aquitanus, qui floruit Anno 457. in Præfatione Paschali apud Petavium *de Doct. Temp. Tom. 2. in Append.*, & apud Ægydium Bucherium *in Comment. ad Cyclum ejusdem Victorii*, lunam decimamquartam appellat illam diem, qua luna oritur plena in inchoatione noctis sequentis, dicens -- ibi -- *Lunæ dinumeratio, quæ die quarta existentis Mundi.......... plena, hoc est, decimaquarta jubente Creatore, in inchoatione noctis exorta est* --. *Vides* (sequuntur verba Petavii in notis post ipsam præfationem) *vides, quo sensu Victorius plenam appellat decimamquartam: videlicet, eo quod in noctem illam desinat, cujus initio Luna Solem ex adverso respiciens pleno Orbe resplendet*; ac propterea Luminaribus nondum in diametralem oppositionem, uti constat ex Parallaxium doctrina, quæ illis etiam temporibus in usu erat apud Astronomos, licet non tam accurate prout ad præsens.

11 Absurda verò, quæ inde emergerent, & paulo infra quisque cognoscet, hanc sententiam manifestius arguunt erroris.

12 Progrediens denique ad illorum sententiam, qui licet diem illum civilem præferri non repugnent, quo cum major quartędecimę astronomicę pars componitur, tamen lunam decimamquartam Paschalem statuunt esse civilem illum diem, qui partem aliquam cœlestis quartędecimę, *interdum sub hujus initium, interdum sub finem attingit*; non inficior, quòd per hanc sententiam errores Cyclorum numero minuantur, sed animadversione dignum est, quòd Catholicam de luna decima quarta Paschali doctrinam Cyclo, non Cyclum ipsi doctrinę famulantem facere videremur. Quare iterum repetam, quod notavi in Epitome *pag.* 30. videlicet -- *Aliud est dicere, quòd Cyclus imperfectione, qua civiles omnes Cycli laborant, signat aliquando lunam decimamquartam Paschalem diebus ante Plenilunium*; quo casu vitium solius Cycli est, & *non doctrinæ Catholicæ. Aliud verò est dicere, quòd Cyclus legitimè signat lunam decimam quartam Paschalem biduo ante Plenilunium; hoc enim casu si aliquid vitii in hac luna decimaquarta inveniretur, vitium hoc solius doctrinæ esset, non Cycli.*

13 Hæc tamen catholica doctrina ex Veterum exemplis non emergit diversa ab ea, quam profert definitio lunæ XIV. Paschalis in responso ad hanc tertiam quæstionem; non emergit, inquam diversa, etiamsi ipsa doctrina elici velit ex tota Periodo Calippica post Nicænum Concilium, immo [uti velle videntur clarissimi auctores prædictæ sententiæ] ex centum etiam Annorum spatio post idem Concilium, dummodo contra communem, ac certam celeberrimorum Astronomorum, & Computistarum sententiam, a doctissimo etiam Anonymo quæstione prima, atque per Clementem VIII. Pont. Max. in Bulla quæ incipit -- *Quæcumque*, comprobatam, dummodo, inquam, non arbitremur Cyclum decennovennalem, ex quo excerpuntur ipsa Exempla, fuisse impeccabilem; ac propterea ipsa doctrina eliciatur, uti decet, ex majori Annorum numero, quem dubitari nequit, esse de illis Annis, in quibus cyclaris luna decima quarta Paschalis signabat diem immediate ante medium Plenilunium. Illo enim centum Annorum spatio Cyclus decen-

decennovennalis Nicęnus procedebat eodem fere modo, ac videtur in Laterculo, quem exhibui quęstione secunda, excepto unico tantum Anno 360., in quo aureus numerus 19. signabat lunam decimam quartam Paschalem die 17. Aprilis, medium verò Plenilunium contigit *Aprilis die 16. hor. 23. min. 0. sec. 51.* post meridiem, ac propterea luna decima quarta Paschalis de Astronomica non participabat, quamvis hic Cycli error per literam Dominicalem, quę tunc in usu erat B. A fuerit correctus; nec non exceptis Annis 396. 412. 416. & 417. legitimè procedentibus usu virtutis Gnome, quia medium Plenilunium hisce Annis contigit nonnullis horis post meridiem cyclaris lunę decimæ quartæ Paschalis.

14 Cæterum non dubito, quod illa ætate Cyclus decennovennalis sat commode Cælo congrueret, quia servata Cycli regularitate, ut plurimum rectè designabat lunam decimam quartam, scilicet pridie ante medium Plenilunium; adeo ut ipse Cyclus, bene expensa ratione Ogdoadis, & Hendecadis, quas Nicæni Patres constituerunt partes principales ejusdem Cycli, & insuper bene expensa methodo inde colligendi singulis Annis lunam decimam quartam Paschalem, de quibus partibus, & methodo nonnulla exposui in Epitome *pag.* 153. *& seq.* rectius procedere non potuerit. Unde Sanctus Proterius Martyr Patriarcha Alexandrinus in allegata Epistola ad Sanctum Leonem Magnum affirmat — ibi — *Beatissimi Patres nostri . . . . in revolutione sæpè memorati decennovennalis circuli decimas quartas Paschales lunas diligentius adnotarunt*.

15 Hic vero non quæritur, an Cyclus sat commode Cœlo congrueret, sed quænam recta sit lunæ decimæ quartæ Paschalis definitio. Itaque ad rectam Paschalis quartæ decimæ definitionem non sufficit affirmare, quod ipse Cyclus sat commode Cœlo congrueret; sed si illi Anni, uti sunt Anni tertiæ Classis notati in citato Laterculo, quæstione secunda exhibito, in quibus luna decima quarta Cycli decennovennalis solum attingebat quartæ decimę astronomicę initium, tanquam rectè procedentes reputentur, necesse est, ut qui huic sententię adhęrent, probationem undequaque concludentem pręmittant, quod Cyclus decennovennalis errare non potuerit; quod esset contra omnium Cyclorum naturam, Scriptorumque sententiam; vel saltem de facto Annis illis non erraverit; quod tantum abest, ut probari possit, ut potius apertissimis documentis per me exhibitis in tertia Dissertatione apud Epitomen *pag.* 55. *& seqq.* sit manifeste contrarium, hoc nec dixit, neque dicere poterat Sanctus Proterius nuper citatus. Quoniam regularitas, quam Patres Nicæni sapientissime in Cyclo Paschali posuerunt, propter horas Anno lunari communi abundantes ultra solidos dies, ac propter horas, complemento Anni Embolimi deficientes; ac denique proper Bissextos, qui Anno Solari inseruntur per se solam non permittebat, ut ipse Cyclus decennovennalis, & quivis alius civilis Cyclus a cęlestibus lunę motibus nunquam dissideret; eoque fortius, si varię, & inconstantes animadvertantur propter diversitatem tum sedis, tum numeri Annorum Bissextilium, quos usque dum tota absolvatur Periodus Calippica, includunt singulę revolutiones Cycli decennovennalis; si varię inquam, & inconstantes animadvertantur mediorum Pleniluniorum distantię, a quolibet dato temporis momento, exempli gratia,

a meridie in correſpectivis Annis earumdem revolutionum.

16 His prænotatis, ſententia, de qua loquimur, licet primo intuitu videatur omnium elegantiſſima, ex eo maxime, quia conſonantiam quamdam cum Niceni decimæ quartæ Paſchalis limitibus præſeferre exiſtimatur; tamen non ſolum includit ſententiam, quam nuper reprobavi, docentem *Paſchalem quartam decimam eſſe civilem illum diem cui major quartæ decimæ Aſtronomicæ pars reſpondet*; verum etiam præcisè deſignat ſententiam illam, quam patefeci erroneam in Diſſertatione tertia apud Epitomen *pag.* 55. *&* *ſeqq.* docentem, Paſchalem quartam decimam eſſe civilem illum diem, qui aliquo modo participat de Cæleſti quarta decima, & ſignanter de hujus initio, aut fine.

17 In hujus Diſſertationis confirmationem dicam breviter abſurda, quæ hæc ſententia involuit, & primo, quoad menſem.

18 Quando ipſa ſententia procedit, legitimam faciens Paſchalem quartam decimam, quæ includit *majorem partem cæleſtis quartæ decimæ*, a Paſchalibus excludit contra rei veritatem, & contra Nicenum exemplum præcisè Anni 376. excludit, inquam, lunationem, cujus medium Plenilunium contingit a ſolis occaſu deſinentis diei 21. Martii uſque ad mediam noctem ſequentem, & ultra; quia tunc major pars cæleſtis quartæ decimæ ſemper contingeret pridie Æquinoctium, ſcilicet die 20. Martii, uti evidenter conſtat adhibita regula ſuperius notata num. 8. ad habendum initium, & finem cæleſtis quartæ decimæ. Quare illud neceſſario ſequitur, ut primi menſis legitima imputari debeat lunatio tunc ſequens, quæ non ſolum ullo primi, & cujuſvis alii poſt Nicænum ſæculi, exemplo (re ſerio expenſa loquor) Paſchalis dici nequit, verum etiam certo ſecundi menſis eſt; ſequens enim medium Plenilunium non contingit, niſi multo poſt ortum ſolis civilis diei 20. Aprilis, ut quiſque deprehendet, ſi prædicto Plenilunio menſis Martii Synodicus menſis addatur, notatus ſupra num. 3.

19 Quando autem procedit, legitimam faciens Paſchalem quartam decimam, quæ partem aliquam cæleſtis quartæ decimæ attingit *ſub hujus initium*, a Paſchalibus rejicit contra rei veritatem, & contra præciſa Nicena exempla Anni 357. & 376. reicit, inquam, lunationem, cujus medium Plenilunium contingit civili die 22. Martii a præcedente ſolis occaſu uſque ad meridiem, & ultra; quia tunc initium cæleſtis quartæ decimæ ſemper advenit pridie Æquinoctium, nempe die 20. Martii. Rurſus explicite primi menſis facit lunationem, cujus Plenilunium contingit poſt ortum ſolis -- diei 20. Aprilis, & ſucceſſivis horis uſque ad meridiem, & ultra; initium enim cæleſtis quartæ decimæ tunc contingit intra terminos decimæ quartæ Paſchalis a Nicæno præfixos, nempe in civili die 18. Aprilis. At hujuſmodi lunatio ullo primi, aut cujuſvis alterius poſt Nicænum ſæculi exemplo Paſchalis dici non poteſt, ac certo ſecundi menſis eſt, cum Plenilunium illi præcedens tunc contingat in civili die 22. Martii.

20 Hinc clarè cognoſcitur, quid dicendum ſit de hac ſententia circa prædictam aſſertam conſonantiam cum limitibus decimæ quartæ Paſchalis, a Nicœno præſtitutis; habet enim hæc ſententia, nullo extante intra eoſdem limites Pleniluuio, habet, inquam, hæc ſententia quem diem intra hoſce Paſchales fines tunc ſignet cum luna quartadecima, ſed Paſchalem, ſive primi menſis ſimul facit etiam prædictam lunationem, quæ certò eſt ſecundi menſis. Quan-

21 Quando denique ipsa sententia procedit, legitimam faciens Paschalem Quartam decimam, quę cœlestem quartam decimam attingit *sub hujus finem*; Paschalem quoque lunationem, quę ultimi mensis est Anni superioris, sicuti plenissimè probavi, atque exposui in Epitome Operis Paschalis *pag.* 10., *& seqq.*, neque dubitare videntur clarissimi Auctores hujus sententię, Paschalem, inquam, facit lunationem, cujus medium Plenilunium contingit paulo post meridiem civilis diei 21. Martii usque ad Solis occasum, quia finis cœlestis quartę decimę contingit ipso Æquinoctii die, quem subsequi necessariò debet Plenilunium Paschale, omnino legitimum.

22 Dixi absurda quoad mensem, nunc quoad diem. Quando ipsa sententia procedit, legitimam faciens Paschalem quartam decimam, quæ *majorem cœlestis quartædecimæ partem* includit, ab hujus initio computandam, absque eo quod de eadem includat plusquam horas 18. min. 22. & sec. 1. Paschalis quartadecima semper biduo præcederet civilem diem, in quo contingit medium Plenilunium. Quare hujusmodi doctrina docet, reponendum esse ipsum Plenilunium in cyclari luna decima sexta, non autem in cyclari luna decima quinta, ac propterea cum in hac luna quinta decima, concurrente scilicet cum die Dominico, Pascha Christianorum celebrari debeat, ipsa Doctrina esset contra Christiani Paschatis institutionem, de qua præcisè fidem facit Sanctus Gregorius Nissenus apud Epitomen *pag.* 45., & contra communem doctrinam Sanctorum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum apud Epitomen *pag.* 31., *& seqq.*, *& pag.* 44., *& seqq.* Imo eadem doctrina de Quartadecima Paschali efficeret, ut prædicta cyclaris quartadecima, sola diei lunaris nomenclatura, non autem re differret a die Paschę Quartadecimanorum, quos Victor primus Papa, & Martyr, ad relata per Eusebium *loc. cit.* damnavit: ac etiam efficeret, ut eadem cyclaris quartadecima re ipsa contingeret *tempore fermenti veteris*, quod expresse prohibet Apostolus Paulus, quem inferius exponam post responsum ad primam partem hujus tertiæ Quæstionis §. *Imo*, *&c.*, *& seqq.* Si verò Paschalis Quartadecima includat de cœlesti quartadecima plusquam enunciatas horas 18. min. 22., & sec. 1., ipsa sententia semper rejiceret usum Virtutis *Gnome*, de qua locutus sum Quæstione secunda.

23 Quando verò eadem sententia procedit legitimam faciens Paschalem quartam decimam, quæ attingit partem aliquam cœlestis quartædecimæ *sub hujus initium*, ipsa Paschalis Quartadecima evidentius semper biduo præcederet medium Plenilunium; ac propterea hujusmodi sententia manifestius prædicta omnia absurda tunc involveret. Et insuper Evangelio directè adversaretur ut resultat ex dictis *num.* 7., exemplo scilicet de duobus Annis 331., & 335., atque exemplo cæterorum Annorum tertiæ classis, descriptorum in Laterculo exhibito *Quæst.* 2. *numero* 14.

24 Quando demum ipsa sententia procedit legitimam faciens Paschalem Quartam decimam, quæ cœlestem quartam decimam attingit sub hujus finem, eadem sententia sine ratione semper excludit usum virtutis *Synesis*, de qua locutus sum Quæstione secunda.

25 Visis absurdis, rectissimum de hac sententia audiamus judicium Patrum in terminis præcisè, in quibus ipsa aliquibus videtur elegantius pro-

procedere, nempe quando legitimam facit Paschalem quartam decimam, quæ partem aliquam cœlestis quartæ decimæ atttingit *sub hujus initium*. Ad clariorem sequentium intelligentiam quisque reminiscatur, quod quæ participatio de cœlesti quarta decima tribuitur cyclari quartæ decimæ, tribuitur etiam cyclari lunæ primæ de cœlesti luna prima, & sic de reliquis; hoc memorato, quòd cœlestis luna prima incipit ipso novilunii medii momento.

26 Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in Prologo apud Petavium *de Doct. Temp. Tom. 2. in Appendice*, hanc sententiam acriter arguit, dicens — ibi — *Qualis ergo est cæcitas mentis, vel dementia, ut cum videri non possit luna trigesima, videatur adhuc deficiens?* Profecto præmemorata sententia visibilem facit lunam die lunæ trigesimæ cyclaris, lunationem Paschalem præcedentis. Data enim conjunctione, aut prope linearum verorum motuum cum lineis mediorum, luna tunc deficiens, atque valde diluculo oriens mane lunæ trigesimæ, nondum regulariter immersa est sub radiis Solis propter magnam temporis distantiam ab hoc lunæ ortu usque ad luminarium conjunctionem, proximè sequentem; quæ temporis distantia extenderetur usque ad horas fere 36. quotæ in hac sententia tunc intercedunt dato cœlesti novilunio ante occasum Solis cyclaris lunæ primæ desinentis. Hoc Sancti Cyrilli de prædicta sententia judicium eo venerabilius reputandum est, quo execrabilior fuit Novatianorum praxis, quos Sanctus Doctor præcipue arguebat.

27 Quid plura? contra ipsam sententiam extat etiam Decretum Sancti Innocentii Primi. Hic Summus Pontifex Epistolam de Ratione Paschali Anni 414. scripsit ad Aurelium Africæ Primatem, relatam a Labbe *Tom. 2. Concil. pag.* 1264., & Harduino *Tom. 1. Concil. pag.* 1010., atque ab Ægydio Bucherio *loc. cit. pag.* 480.; necnon citatam cum speciali nota in Bibliotheca Pontificia *Tom.* 14. *pag.* 168.

28 Hallucinati sunt Paulus Middelburgensis, Stoefflerus, & alii, reponentes hoc Sancti Innocentii Pascha in Annum Domini 403. Licet enim veritati consonum sit, quod ipsi affirmant, nempe Anno 403. in usu fuisse aureum numerum 5. & literam Dominicalem D.; tamen aureus numerus 5. quem Nicæni Patres diei 9. Martii affixerunt, signare nullo modo poterat lunam decimam sextam, neque lunam decimam quintam die Dominico 22. Martii, de quibus lunis, ac de die 22. Martii fit mentio in ipsa Epistola. Si vero prædicti Scriptores intellexerint de aureo numero 5. quem iidem scriptores imputant Romanæ Ecclesiæ, ternario minorem aureis numeris Alexandrinorum; respondeo, falsum est, quod Romana Ecclesia hujusmodi aureos numeros usurpaverit, ut evidenter patefaciam in Differt. post tertiam *Quæst. num.* 125. *& seqq.* At dato per modum hypothesis, quod Romana Ecclesia illos aureos numeros adhibuerit, nihilominus falsum est, quod istud Sancti Innocentii Pascha reponendum sit in Annum 403., quoniam ipse aureus numerus 5. rediisset in orbem una cum aureo Alexandrinorum numero VIII. qui non Anno 403., sed 406. fuit in usu. Quare in ista hypothesi non solum dies lunares a Sancto Innocentio memorati discordarent ex eo, quia iidem scriptores aureum numerum quintum Romanæ Ecclesiæ imputatum adscribunt diei sexto Martii, ut patebit *loc. cit. num.* 126., verum etiam dies 22. Martii tunc non concurrisset

curriſſet cum die Dominico, ſed cum feria quinta. Anno enim 406. in uſu fuit litera Dominicalis G. Inſuper medium Plenilunium Anni 403. quod contingit Martii *die* 23. *hor.* 16. *min.* 42. *& ſec.* 58. poſt meridiem, clare manifeſtat, ne poſſibile quidem fuiſſe, ut dies 22. Martii cum altera ex prædictis Lunis a Sancto Innocentio memoratis concurreret. Bene ergo Eminentiſs. Noris *in Diſſert. ad Faſtos Conſulares & de Paſchali Latinorum Cyclo* reponit hoc Paſcha in Annum 414. in quo omnia optime procedunt, ac diverſo Anno Pontificatus Sancti Innocentii attribui non poſſunt.

29 Verba itaque prædictæ Epiſtolæ, cum magni momenti ſint, & plura ſuis locis notanda declarent, referam, deinde explicabo & ſucceſſive videbimus quid emergat circa prædictam ſententiam; quę verba ſunt hęc — *Has ergo literas de ratione Paſchali alterius* (*dico futuri*) *Anni præſcripſi. Nam eum ante undecimum Kalendarum Aprilium pene luna decima ſexta colligatur* (*nam quippiam minus eſt*) *itemque cum ante diem quartam Kalendarum earumdem veniat vigeſima tertia, exiſtimavi undecimo Kalendarum memoratarum die Feſta Paſchalia celebranda, quoniam in vigeſima tertia luna nullum Paſcha unquam ante hoc Paſcha factum eſſe cognovimus.*

30 Unde unde civilium dierum initia ſumi velint, ipſi dies non patiuntur diviſionem. Quare illa particula — *Nam quippiam minus eſt* — Significat lunam decimam quintam; quod enim quippiam minus eſt luna decima ſexta, vocatur luna decima quinta. Hunc autem eſſe germanum ejuſdem Epiſtolę ſenſum comprobat cauſa, ob quam Sanctus Innocentius certiores antea reddidit Africanos de ratione Paſchali Anni 414. Quęnam fuit iſta cauſa? quia die tunc Dominico 22. Martii colligebatur luna decima ſexta, die autem Dominico 29. ejuſdem menſis veniebat juxta hanc computationem luna vigeſima tertia, quoniam verbum — *eum* — quando jungitur ſubjunctivo, denotat cauſam: Quam cauſam Sanctus Innocentius expreſſe declaravit, ſe non admittere quoad utramque partem, dicens contra primam partem, nimirum contra lunam decimam ſextam, quæ colligebatur die 22. Martii — *nam quippiam minus eſt* — quod eſt idem, ac ſi contra eamdem lunam decimam ſextam dixiſſet, nam *eſt luna decima quinta*. Contra vero ſecundam partem, ſcilicet contra diem Dominicum tunc ſequentem 29. Martii, qui propter prędictam lunę decimę ſextę deſignationem in præcedenti Dominica 22. Martii, neceſſario concurriſſet cum luna vigeſima tertia, dixit — *Quoniam in vigeſima tertia luna nullum Paſcha unquam ante hoc Paſcha factum eſſe cognovimus.*

31 Sanctus Innocentius ſapientiſſime, uti ſupra, noluit ut Paſcha celebretur luna vigeſima tertia. Anno autem 1744. omiſſis aliis Annis, futurum eſt Plenilunium die Sabbati 28. Martii, ac propterea proximus dies Dominicus ſecundum *Syneſim* eſt luna decima ſexta, alter vero dies Dominicus tunc ſuccedens eſt luna vigeſima tertia. Anno igitur 1744., cum Cyclus currentium Epactarum non indicat Paſcha die 29. Martii, ſed die 5. Aprilis, hoc feſtum celebraturi ſumus luna vigeſima tertia. Id vero Cœlo demonſtrante, non erubeſcimus?

32 Nunc videamus, quid emergat circa prædictam ſententiam. Anno 414., in quo currebat aureus numerus 16. ac litera Dominicalis D. medium novilunium ad meridianum Romanum contigit Martii die 7,

min.

min. 22. *&* *sec.* 9. post meridiem, medium vero Plenilunium fuit Martii die 21. *hor.* 20. *min.* 44. *&* *sec.* 10. post meridiem. Quare si rite procederet prædicta sententia, legitimam faciens Paschalem quartam decimam, quæ partem aliquam cęlestis quartæ decimæ attingit *sub hujus initium*, certum esset, qood dies 22. Martii signari tunc legitime potuisset cum cyclari luna decima sexta, quia hæc partem aliquam, nempe horas 3. *min.* 37. *&* *sec.* 51. includebat de sexta decima astronomica, uti constat ex dictis; ac certum esset, quod Sanctus Innocentius nullum Cyclum commemorans, sed solum de ratione Paschali loquens, absolute non dixisset diem 22. Martii esse lunam decimam quintam, sed saltem dixisset, tunc melius colligi lunam decimam quintam. Cum ergo Sanctus Innocentius absolute dixerit, diem 22. Martii esse lunam decimam quintam, certum est, legitimam non esse Paschalem quartam decimam, quæ partem aliquam cęlestis quartę decimæ attingit *sub hujus initium*.

DIGREDIMUR AB ANONYMO

EXPENDENTES PRIMO, AN DIES IN QUO CONTINGIT MEDIUM PLENILUNIUM POST MEDIAM NOCTEM ANTECEDENTEM USQUE AD MERIDIEM, SIGNARI DEBEAT CUM LUNA DECIMAQUARTA.

33 Licet Paulus Middelburgensis Episcopus Forosempronienſis *lib.* 5. *suæ Paulinæ*, & Joannes Stoefflerus in suo Calendario *Prop.* 35. litera *E.* fidem faciant, qnod -- ibi -- *Vulgus quoque diem oppositionis vocat lunam quintamdecimam* --; adeout ipse Episcopus Forosemproniensis *lib.* 12. *ejusdem Paulinæ*, & Stoefflerus *loc. cit.* sic affirme:t -- *apud omnes Nationes tam Latinas, tam Græcas, tam Hebræas, quàm Barbaras quintadecima luna accipi solet pro plenilunio, & oppositione Luminarium* --: Et licet in qua hora præcise [notetur præcise] contigit medium plenilunium Paschale Anno 1734., contigerit etiam Anno 414., tribus nempe horis ante meridiem, in quo Anno Sanctus Innocentius Papa primus in Epistola nuper allegata declaravit, hujus plenilunii diem 22. Martii, fuisse lunam decimam quintam, atque in eo celebrandum fuisse Pascha; Quisnam confringere, aut parvipendere audeat decretum Sancti Innocentii, de quo Sanctus Hieronymus Demetriadi Virgini scribens, sic ait -- *Sancti Innocentii, qui Apostolicæ Cathedræ, & beatæ memoriæ Anastasii Successor, & filius est, teneas fidem; nec peregrinam, quamvis tibi prudens, caltidaque videaris, doctrinam recipias* --? Insuper, licet medii plenilunii dies, quod contingit post mediam noctem antecedentem usque ad meridiem, nullo modo (notetur nullo modo) de quartadecima astronomica participet, uti clarè constat ex dictis *num.* 8.: nonnulli tamen sunt, qui existimant medii Plenilunii diem, uti supra contingentis post mediam noctem antecedentem, usque ad meridiem, signandum esse cum luna decima quarta.

34 Contra hujusmodi opinionem sapienter scripsit Clavius in egregia Explicatione Calendarii *cap.* 18. *num.* 2. *pag.* 381., *&* *cap.* 24. *num.* 3. *pag.* 594., *&* *cap.* 27. *num.* 1. *&* *num.* 5. §. *In omnibus pag,* 619. ac

ac plura elucubratus sum in citata Epistola ad Illustrissimum, & Clarissimum Dominum Senatorem, & Equitem Franciscum Mariam Buondelmonti, neque obscurè locutus est Anonymus Quæstione quinta §. *Qui ergo &c.* enuncians, Epactas Currentes hoc sæculo, *duodecies differre Pascha in lunam secundam, & vigesimam*; hoc enim duodecimo Annorum numero includuntur etiam illi Anni, in quibus medium Plenilunium die Dominico Paschalis quartæ decimæ per ipsas Epactas designatæ contingit a præcedente media nocte usque ad meridiem, uti manifestat Tabula, quam exhibui Quæstione prima.

35 Quo autem veritas evidentius elucescat, dico, quòd prædicta opinio tacitè redarguit Nicœnos Patres. Si enim Nicœnis Patribus indignissimum visum fuit Pascha eodem cum Judæis die celebrare, ut declarant verba Epistolæ Constantini Magni ad Ecclesias de Nicęna Synodo apud Eusebium *in Vita Constantini lib. 3. cap. 18*, & apud Socratem *in Hist. Eeclef. lib. 1. cap. 9.*, quæ sunt -- *primum quidem visa est omnibus res esse prorsus indigna, ut in sanctissimæ hujus solemnitatis celebratione consuetudinem Judæorum sequeremur* --; & ipsi tamen Patres ita decimam quartam Paschalem disposuerunt in Cyclo decennovennali, ut nunquam signaret diem Plenilunii medii, sed ut plurimum, diem ante medium Plenilunium in quacumque diei civilis hora contingeret, uti clarum est in Laterculo, quæstione secunda exhibito; quis non videt prædictam opinionem ita cum Nicęnorum Patrum judicio pugnare, ut eosdem redarguat, quasi male eamdem decimam quartam Paschalem disposuerint? Id verò facere quis audeat, aut cujus verecundiæ sit? Quod si quis velit etiam ejusdem Cycli revolutiones expendere spatio centum Annorum post Nicęnum Concilium, rem non aliter esse deprehendet, atque a me in præcedentibus est exposita.

36 At ne verisimile quidem est, quod ipsi Nicęni Patres ita accęperint lunam decimam quartam Paschalem, ut nullo modo participet de quarta decima astronomica, quemadmodum de hac nullo modo participaret, quotiescumque opinaremur, ut supra, uti constat ex dictis *num.* 8. Doctrina enim de Paschali quartadecima, non solùm produceret quartamdecimam, a cœlestibus motibus dissidentem contra ea, quæ docet Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit -- *Inter gravissimas*, dicens -- *annuos Paschæ .... recursus, Solis, & Lunæ motibus metiendos*; verùm etiam contraria esset documento Apostoli Pauli, post responsum ad primam partem hujus tertiæ Quæstionis *numero 66., & seqq.* quippe quæ efficeret, ut Pascha legitimè celebrari posset extra tempus Azymorum, nempe luna vigesima secunda. Dato namque hujusmodi Plenilunio die Dominico, hic dies necessariò signari deberet luna decima quarta, & Pascha differendum esset in sequentem diem Dominicum, qui nihil participat de cœlesti luna vigesima prima, sed solùm includit finem cœlestis lunæ vigesimæ secundæ. Quod quisque evidenti demonstratione cognoscet, si diebus 14. hor. 18. min. 22., & sec. 1., qui sunt medietas mensis Synodici, addat tempus, quod intercedit a dato Plenilunio medio usque ad occasum Solis diei Sabbati tunc futuri. Summa enim ætatem lunæ manifestat in occasu Solis diei desinentis Sabbati. Exemplum rem facit clariorem. Contingente medio Plenilunio, exempli gratia, qua-

tuor horis ante meridiem diei Dominici, tempus, quod intercedit ab hoc dato Plenilunio usque ad occasum Solis diei Sabbati tunc futuri, est ——————————— Dies 6. hor. 10. 0. 0.
quibus additis ——————————— Diebus 14. — 18. 22. 1.
Summa exhibet ætatem
Lunæ in occasu Solis diei
Sabbati tunc futuri, nempe ——— Diebus 21. — 4. 22. 1.

37 Eoque fortius verisimile non est, Nicenos Patres accepisse, uti supra, Paschalem quartam decimam, quia ex catholica doctrina de luna decima quarta Paschali statim emergeret primi mensis esse medium plenilunium contingens die Æquinoctii 21. Martii post mediam noctem antecedentem usque ad Solis occasum, quod est absurdissimum; Secundi verò mensis esse medium plenilunium contingens die 19. Aprilis *saltem* nonnullis minutis post meridiem usque ad Solis occasum, contra clara Niceni exempla Annis 330., & 387. in Epitome *pag.* 72. Qui Annus 387. eo magis præcipua dignus est nota, quia Sanctus Ambrosius de hoc Pascha Magistralem scripsit Epistolam 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos, in qua Sanctus Doctor ne dubitat quidem, ipsum plenilunium esse primi mensis. Dixi -- *saltem*, quia licet sine controversia primi mensis sint, quæ plenilunia contingunt ipso civili die 19. Aprilis a præcedente media nocte, usque ad meridiem, tamen ex ipsa catholica doctrina statim emergeret, ut secundi mensis reputanda essent hujusmodi plenilunia, quippe quæ quartam decimam clarè haberent die 19. Aprilis, nempe ultra terminos decimæ quartæ Paschali a Niceno præstitutos; id quod frequenter contingit, ac propterea seria animadversione dignissimum.

38 Nec solum Nicenos, sed etiam multos alios Sanctos Patres, ipsa opinio tacitè redarguit, quorum auctoritates ipsi opinioni contrarias retuli in secunda, & tertia ex meis Dissertationibus apud Epitomen Operis Paschalis; quod quisque clarè cognoscet, ipsas aptando substratæ materiæ, sicut ibidem factum est. Imo tacite redarguit etiam Sanctum Innocentium Primum Papam, quasi erroneè ipse decreverit, ut supra, diem 22. Martii, in quo contingit medium Plenilunium tribus fermè horis ante meridiem, fuisse lunam decimam quintam, atque in eo fuisse Pascha celebrandum.

39 Hæc omnia erroneam quidem faciunt prædictam opinionem; quod adeo verum est, ut Venerabilis Beda *lib. de temp. ratione cap.* 41. ita docuerit, Lunam -- *Cum paulo ante vesperam accendi a sole contigerit, mox sole occidente primam computari, & esse necesse est*. Beda non dixit trigesimam, sed *primam computari*, & esse necesse est, quoties medium Novilunium quod a computistis, ut probavi quæstione secunda num. 4. accensio Lunæ appellatur, contingit paulo ante vesperam, & consequenter medium Plenilunium futurum est paulo ante meridiem, sive etiam in ipso meridie, quod præcise est casus, de quo agitur in fortioribus terminis, quemadmodum quisque deprehendet addita prædicto Novilunio medietate mensis Synodici diebus 14. *hor.* 18. *min.* 22. *& sec.* 1. sed nihilominus videamus fundamenta, quibus prædicta opinio inniti potest.

Hanc

40 Hanc doctrinam protulit Joseph Scaliger, qui ad probandam suam sententiam utitur verbis Canonis Sancti Hippolyti Martiris, in quo Canone apud eundem Scaligerum *de Emend. temp. lib.* 2. *pag.* 153. *& lib.* 7. *pag.* 723., & apud citatum Bucherium, & etiam apud Illustriss. Blanchinum *de Cyclo Sancti Hippolyti*, legitur -- ibi -- *Anno primo Regiminis Alexandri Imperatoris facta est quarta decima Paschæ idibus Aprilibus Sabbato, cum mensis Embolimæus fuisset. Erit sequentibus Annis sicut in Tabula subjectum est. Evenit vero in præteritis, sicut indicatum est. Solvere autem oportet jejunium, ubi Dominica inciderit* -- Non inficior, quod Annus primus Imperii Alexandri concurrat cum Anno Æræ vulgaris 222., & quod dies 13. Aprilis cum cyclari quarta decima concurrens, tunc contigerit Sabbato, atque in eo advenerit medium Plenilunium, ut ipse Scaliger, & quidam Recentiores, qui eum sequuntur, affirmant, sed dico, quod medium Plenilunium ipso Anno contingit post meridiem ejusdem diei 13. Aprilis, quod negari nequit, nec ipsi negant, nempe *hor.* 5. *min.* 42. *& sec.* 27. post meridiem; ac propterea etsi prædicta Sancti Hippolyti verba historice merito accipiantur, nihilominus Scaligero, Recentioribusque ejus sequacibus, non favent, quoniam hujusmodi quarta decima legitime procedit usu virtutis *Gnome*, de qua locutus sum quæstione secunda.

Cæterum tantum abest, ut ex Sancto Hippolyto probari possit, quod contenderat Joseph Scaliger, ut qoties ex ejusdem Sancti Hippolyti Cyclo, quem tamen Romana Ecclesia, uti patefaciam in allegata Differt. *num.* 272. *& seqq.* numquam adhibuit, contrarium manifeste resultat: quemadmodum ostendam in sequenti Laterculo, ubi dies quartæ decimæ Cyclaris accepi ex prædicto Cyclo, uti jacent apud citatum Blanchinum *pag.* 92. respondentque iis, quos refert Scaliger. Plenilunia vero sunt ad meridianum Romanum; & horæ sunt post meridiem diei currentis.

Annis	*Luna XIV. Cycli S. Hippolyti.*	*Medium Plenilunium D H. M. Sec.*	
222	13. Ap.	13. 5. 42. 27. Ap.	Usu Gnome
223	2. Ap.	2. 14. 31. 5. Ap.	
224	21. Mar.	21. 23. 19 43. Mar.	
225	9. Ap.	9. 20. 52. 25. Ap.	
226	29. Mar.	30. 5. 41. 3. Mar.	Usu Synesis

Quid clarius esse potest, ut luna decima quarta Paschalis signanda non sit die Plenilunii medii, excepto usu virtutis Gnome? Merito igitur opinantes, quod prædicta luna quarta decima debeat indefinite signare diem Plenilunii, reiiciuntur a Clavio, præsertim *cap.* 18. *num.* 2. *pag.* 381. *& cap.* 27. *n.* 1. *& n.* 5. §. *In omnibus &c. & pag.* 619.

Si tamen veritatem fateri volumus, ipse Scaliger vel sibimet contradicit, vel potius se correxit, dicens *eodem lib.* 7. *pag.* 724. *editionis Genevens.* Quod -- ibi -- *Quarta decima luna proprie ea est, quæ proxime antecedit Plenilunium.*

41 Ante Scaligerum Joannes Stoefflerus in suo Calendario putavit quidem, Pascha celebrandum esse die Dominico post luminarium oppositionem: & Lucas Gauricus Episcopus Civitatensis in suo Calendario *pag.* 86. hanc sibi regulam statuit, ut contingente medio Plenilunio die Sabbati post mediam noctem, aut in ipsomet die Dominico, Pascha tunc differri possit in sequentem diem Dominicum; sed licet ambo fuerint viri doctissimi, nihil tamen eorum, quæ dicta sunt, viderunt, ac nulla auctoritate propriam sententiam firmarunt. Immo Stoefflerus *Proposit.* 39. *litera D. d.* suum Canonem de celebrando Paschate die Dominico post Luminarium oppositionem, non statuit absolute, sed committit arbitrio, seu definitioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

42 Verum quidem est, quod ipse Stoefflerus *Propositione* 35. *litera E.* allegat nonnulla verba Sancti Cyrilli, quasi hic Sanctus Doctor, ac Theophilus, ambo Patriarchæ Alexandrini senserint, quod luna decima quarta Paschalis signare debeat diem Plenilunii medii, sed prælaudatus Stoefflerus eadem verba serio expendens, post quam plura elucubratus est, quibus prædicta Sancti Cyrilli verba cum demonstrationi, tum æstimationi vulgi, quod quintam decimam appellat diem oppositionis luminarium, non respondebant, concludit, & quidem recte; quod veteres Patres, de luna decima quarta loquentes, intelligendi sunt de quarta decima desinente. Hoc ipsum docet Petavius de Doctr. Temp. *tom.* 1 *lib.* 5. *cap.* 14. *&* 15. ac denique id ipsum de iisdem Patribus concludit Paulus Middelburgensis Episcopus Forosempronienfis *lib.* 12. *suæ Paulinæ paulo post initium*, qui tamen absolute affirmat lunam decimam quartam Paschalem esse civilem diem immediate ante medium Plenilunium. Cum itaque prædicti Patres, ut rei veritas habet, intelligendi sint de quarta decima desinente, certum est, quod Sanctus Cyrillus, & Theophilus Alexandrini tradiderunt, quartam decimam Paschalem signandam non esse die Plenilunii, sed die ante medium Plenilunium. Ne res forsan alicui foret ambigua, id ipsum planum feci in Epitome *pag.* 45. *& tribus seqq.* collatis inter sese verbis Sancti Cyrilli, ac etiam verbis hujus Sancti Doctoris, cum illis prædicti Theophili, atque ibidem clare patet, Sanctum Cyrillum, & Theophilum eadem omnino sensisse, scilicet lunam decimam quartam Paschalem esse civilem diem immediate ante medium Plenilunium, sive clarius ante mediam luminarium oppositionem; ac etiam patet quid senserit Sanctus Cyrillus quibusdam aliis verbis, ibidem per me relatis *pag.* 48., ex quibus perperam interpretatis Clavius in Apologia contra Mœstlinum *lib.* 2. *cap.* 6. *& in Explic. Calendarii cap.* 18. *num.* 9. quandam elicit Theophili, & Sancti Cyrilli sententiam ab horum mente prorsus alienam circa lunam decimam quartam Paschalem, quamvis ibidem tacuerim ejusdem Clavii nomen in obsequium huic præclarissimo, insignique viro jure debitum, qui rursus in referenda *loc. cit.* Pauli Middelburgensis, & Joannis Stoefflerri, sive Stoefflerini sententia, circa prædicta Sancti Cyrilli verba, omisit, quæ ipsi, uti supra concludunt.

Quo-

QUODDAM SCRUPULUM, ET NONNULLI EJUSDEM FAUTORES CONFUTANTUR.

43 Non desunt tamen, uti accepi, qui plus æquo errorem Quartadecimanorum formidantes, timent, se esse quartadecimanos in matutino, quando medium Plenilunium contingit die Paschæ, post ortum solis. Id esse merum scrupulum omnino abjciendum, ipsi cognoscent, si animadvertere dignentur, quod civiles dies non patiuntur divisionem. Quare si confecto Plenilunio medio putant se tunc non esse Quartadecimanos, nec antea tales sunt eodem labente die civili. Revera contingente medio Plenilunio die Paschæ, etiam in meridie, certum est, quod dies Paschæ nullo modo tunc participat de quarta decima astronomica, cujus finis, uti supra exposui, illico innotescit per subtractionem *horarum* 18. *min.* 22. *& sec.* 2. ex dato medio Plenilunio. Ex his necessario sequitur, quod quartadecima astronomica tempore mediæ noctis antecedentis jam præteriit, quando medium Plenilunium contingeret etiam prope occasum solis diei Paschæ,

44 Omne autem scrupulum, omnemque formidinem depellit, tum Venerabilis Beda supra relatus *num.* 39. tum Decretum Sancti Innocentii Primi Papæ, de quo locutus sum. Sanctus enim ille Pontifex, nullum Cyclum commemorans, sed *de ratione Paschali* loquens declaravit diem 22. Martii Anno 414. esse lunam decimam quintam, atque in eo celebrandum esse Pascha, medio plenilunio contingente Martii die 21. hor. 20. min. 44., & sec. 10. post meridiem, scilicet tribus fermè horis post ortum Solis diei Paschæ, atque eadem præcisè hora [notetur eadem præcisè hora], in qua medium Plenilunium contigit Anno 1734.; diximus namque medium hujus Anni Plenilunium contigisse Aprilis die 17. hor. 20. min. 16. post meridiem.

45 Sed neque antehac dubitarunt eodem præcisè modo celebrare Pascha Sanctus Damasus, Siricius, ac Sanctus Anastasius Summi Romani Pontifices, ut clarum erit per ea, quæ inferius dicturus sum in Dissertatione post hanc tertiam Anonymi Quæstionem. Anno enim 374, currente aureo numero 14. ac litera Dominicali E., Pascha a Sancto Damaso celebratum fuit die 13. Aprilis luna decima quinta, medio Plenilunio tunc contingente Aprilis die 12. hor. 18.. min. 2., & sec. 0. post meridiem. Anno autem 394., dum in usu erat aureus numerus 15. ac litera Dominicalis A. Pascha a Siricio celebratum fuit die 2. Aprilis luna decima quinta, mediumque Plenilunium contigit Aprilis die 1. hor. 19. min. 23., & sec. 5. post meridiem. Anno denique 401., currente aureo numero 3. ac litera Dominicali F., Pascha a Sancto Anastasio celebratum fuit die 14. Aprilis, luna similiter decima quinta, die scilicet, in quo medium Plenilunium contigit paulo ante meridiem, nempe Aprilis die 13. hor. 23. min. 15., & sec. 41. post meridiem. Quid ergo clarius, quid evidentius, quid fortius induci potest, ne timeamus, ubi non est timor?

46 Prædictum scrupulum fovent quidam Recentiores, dicentes, Pascha Anni 1734. ritè celebratum fuisse die 25. Aprilis, quia *Romæ die* 18. *Aprilis Hebraicum Pascha peractum est*. Ergo ne erramus, quoties Christianorum Pascha concurrit cum illo recentiorum Judæorum? Ergo ne hoc vitare præcipiunt nobis Sacri Canones? Equidem Christophorus

rus Clavius Christianæ Reipublicæ optimè meritus, quæ ipsi Recentiorès affirmant, non docuit; quoniam *in Explicat. Calend. cap.* 18. *num.* 1. *pag.* 380. sic ait — *neque enim interdictum fuit unquam Christianis, ne in luna decima quinta, sive in Plenilunio medio Pascha celebrent, etiamsi Judæi tunc Solemnitatem Paschæ legalis peragant, sed solùm ne luna decima quarta Pascha celebretur, quando Judæi ad Vesperam Agnum immolant: alioquin cadente Luna decima quinta, sive Plenilunio medio, in Dominicum diem, si alius dies Dominicus expectandus esset, celebraretur Paschale Festum luna vigesima secunda, hoc est in quarta hebdomada mensis lunaris: quod Sanctionibus Conciliorum, atque Pontificum repugnat* —. Itaque prætercam errata, quæ Judæi tum quoad mensem, tum quoad diem sæpe committunt in celebratione sue, si fas est dicere, Paschæ, jam narrata in Epitome *pag.* 124., & solùm commemorabo, quod immolatio Agni Paschalis ad Vesperam lunæ quartæ decimæ præseferebat proprium Pascha Judæorum, uti patet in Exodo *cap.* 12. *vers.* 6. *Levit. cap.* 23. *vers.* 5., & Libro Numerorum *cap.* 9. *vers.* 3., *& cap.* 28. *vers.* 16. ac fidem faciunt Philo, & Josephus Hebræi de tempore, quo Hierosolyma a Tito, & Vespasiano nondum subversa erat, relatis ejusdem Philonis, & Josephi verbis in Epitome *pag.* 42. At cum apud eosdem Judæos defecerit ipsa Agni immolatio propter ea, quæ refert Alphonsus Tostatus *in Comment. in Levit. cap.* 23. *quæst.* 20., defecit etiam eorumdem Judæorum Pascha. Ad præsens igitur Judæi non faciunt Pascha, sed recolunt tantum solemnitatem Azymorum, quæ in Levitico *cap.* 23. *vers.* 6. præcepta erat luna decima quinta — ibi — *Mense primo quarta decima die mensis ad Vesperam, Phase Domini est: & quintadecima die mensis hujus Solemnitas Azymorum Domini est* —. De facto Hebræi diem suæ Paschæ ad præsens non vocant lunam decimam quartam, nec Pascha absolutè, sed vocant *lunam decimam quintam*, & Pascha *Azymorum*.

47 Bene apprehensa differentia inter diem propriè Paschæ Judæorum, & diem Solemnitatis Azymorum, ac etiam cognito, quod Judæi ad præsens non celebrant Pascha, sed solùm recolunt Azymorum Solemnitatem; illico patet, quod nos non erramus efficientes, ut dies nostri Paschatis Dominicus concurrat cum Paschate, quod rectè procedat, recentiorum Judæorum. Hi enim, ut dictum est, non raro errant; neque hoc vitare debemus; quia nostrum Pascha tunc non contingeret luna decima quarta, sed luna decima quinta, custodiretque præceptum Concilii Romani sub Victore primo Papa, & Martyre celebrati, atque inferius referendi, quod expressè præcipit, *ut Pascha celebretur non luna decima quarta, sed die Dominico post lunam decimam quartam*. Immo graviter erraremus quotiescumque luna decimaquinta primi mensis die Dominico contingit, & in eo Pascha non celebremus, ut vitetur concursus Paschæ recentiorum Judæorum, quoniam vere, & realiter tunc non vitaremus solùm concursum propriè Paschæ Judæorum, quod, uti supra, præceptum erat luna decima quarta, sed vitaremus etiam concursum diei Solemnitatis Azymorum, in quo Pascha nostrum (ut dixit Apostolus Epistola prima ad Corinthios cap. 5.) *immolatus est Christus*; & in quo omnes Sacri Canones relati in prædicta Dissertatione, Vaticinium David exponendum post responsum ad primam partem hujus tertiæ Quæstionis *num.* 66. *& seqq.* ac etiam documentum

tum

tum Apoftoli Pauli *eodem loco* exponendum, ac denique Praxis Ecclefiæ hucufque fervata clarè docent, Pafcha a Chriftianis celebrandum effe, quoties ipfa dies Solemnitatis Azymorum, quæ uti fupra eft luna decima quinta, concurrit cum die Dominico. Sapienter igitur Ceolfridus Abbas, & Venerabilis Beda relati in Epitome *pag.* 60. docent, quòd — *Si fieri poffet, ut femper in diem quintum decimum primi menfis, ideft, in lunam decimam quintam, Dominica dies incurreret, uno femper, eodemque cum Antiquo Dei Populo, quamquam Sacramentorum genere difcreto; ficut una eademque fide, Pafcha celebrare poffemus. Quia vero dies feptimanæ non æquali cum luna tramite procurrit, decrevit Apoftolica traditio, quæ per Beatum Petrum Romæ prædicata, per Marcum Evangeliftam, & interpetrem ipfius Alexandriæ confirmata eft, ut adveniente primo menfe, adveniente in eo vefpera diei quartæ decimæ, expectetur etiam dies Dominica, a quarta decima, ufque ad vigefimam primam diem ejufdem menfis* —. Quid plura? Dionyfius exiguus in ea jam allegata, quam de ratione Pafchæ fcripfit ad Proterium, Epiftola, fic inquit — *Si luna decima quinta Sabbato contigerit, fequenti die Dominico luna decima quinta celebrandum Pafcha eadem Sancta Synodus* (nempe Nicæna) *fine ambiguitate firmavit* —. Quam Nicæni Concilii definitionem a primis Ecclefiæ temporibus femper fuiffe ab Alexandrina, Romanaque Ecclefia obfervatam ita aperta res eft in Differtatione, quam elucubratus fum poft hanc tertiam Quæftionem contra Eminentiffimum Noris, ut in pofterum de ea dubitari nequeat. Idque fortius, quia Adrianus Primus Pont. Maxim. fub finem octavi fæculi duas fcripfit perutiles Epiftolas aliquibus Hifpaniæ Epifcopis, relatas a Labbè *tom.* 6. *Concil.*, & ab Harduino, & a Muratori *tom.* 3. *part.* 2. *Italicarum rerum, Epift.* 96. & 97. In quarum prima inter cætera fic legitur definitum —, *In eodem quippe Magno Nicæno Concilio decemnovennali Cyclo, Patrum confirmato fententia, ita inter cætera ibidem fertur promulgatum: quod non amplius, quàm ufque ad vigefimam primam lunæ diem hujus Sanctæ Feftivitatis Solemnia dilatentur* —; & poft pauca — ibi — *Nam fi Sabbato quarta decima luna advenerit, non eft intermittenda fubfequens Dominica, quinta decima videlicet lunæ dies, venerantes eamdem Dominicam &c.* Undè cum ita fe fe res habeat, incuffus timor ubi eft?

QUÆDAM ALIA REFELLUNTUR EORUMDEM RECENTIORUM.

48 Nonnulla alia proferunt iidem Recentiores, quæ ne videantur neglecta, referam, deinde fingillatim expendentur. Ipfi dicunt, quòd binæ quartæ decimæ Cyclares Calendarii Gregoriani, fcilicet Anni 1700., & 4200. *cum in Sabbatum juxta vetuftiffimum Latinæ Ecclefiæ ritum, quem eruditè, ac folidè probat Eminentiffimus Henricus Noris tom.* 2. *pag.* 683. *rectius Pafcha differunt in* 11. & 20., quàm fi 4., & 13. *Aprilis die celebraretur. Græcis enim fatentibus Chriftum Dominum paffum luna quintadecima, Latini exhorrebant, lætum, ac Feftum diem Refurrectionis ea luna recolere, qua Mundi Salvator Cruci affixus*

affixus fuit, ac sepultus. Et licet post Sancti Leonis tempora Latini studio unitatis, & pacis acquieverint calculis Alexandrinorum, eaque de causa Pascha sæpius luna quintadecima, & celebratum fuerit, & sit in posterum celebrandum; in Sacrorum tamen castigatione fastorum piaculum nullum fuit, sed facinus laude dignum tam Sanctæ consuetudinis aliquam habere rationem, Gregorio XIII. inculcante, ut antiqui Ecclesiastici ritus (quod in primis hac in re curandum est) incolumes servarentur. Ritus tamen iste, Græcia nunc tacente, culpatur a Latio. Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas!

49 Hisce verbis ipsi Recentiores, *de cohærentia Calculi Astronomici cum Æquationibus Gregorianis loquentes* (consultius dixissent — *cum Æquationibus currentium Epactarum*), primo patefacere videntur, se ignorare genuinam Calendarii Gregoriani constructionem. Cyclaris enim quartadecima Anni 1700., & 4200. in Sabbatum incidit non in Calendario Gregoriano, sed in falsis Calendariis, quæ confutavi, pluribus locis impressa, & per Orbem diffusa, atque a Gregoriano substantialiter diversa, jam notata in Epitome *pag.* 2., & 211., & sunt ea omnia, quæ pro Asterisco * affixam habent Kalendis Januarii Epactam XXIX. In Calendario namque Gregoriano Cyclaris quartadecima Anni 1700., quippe quæ producta est ex Epacta IX., atque Anni 4200. quæ producta est ex Asterisco *, contingit die Dominico, non autem Sabbato, ut quisque faciliter potest deprehendere; Anno enim 1700. fuit in usu litera Dominicalis C., Anno autem 4200. in usu futura est litera Dominicalis E.

50 Hinc duo, qui præsunt, animadvertere dignentur. *Primum* est, periculum, quod prædicta falsa Calendaria præseferunt dissidendi in celebratione Paschæ. Si enim errant Doctores, falsum Calendarium pro vero Gregoriano adhibentes, quid imperiti? *Alterum* est, quod eadem falsa Calendaria manifestissime accusant, Ecclesiam Catholicam hoc labente sæculo errare in celebratione Paschæ, hoc Festum facientem tum luna vigesima secunda, tum ultimo superioris Anni mense.

51 Miror sanè, quod iidem Recentiores etiam contra Christophorum Clavium deinde affirment, Pascha Anni 1700. rectius dilatum fuisse in diem undecimum, quàm si die 4. Aprilis celebratum fuisset. Si namque currentem Epactam IX. Anni 1700., & Epactam 30., sivè Asteriscum * Anni 4200. velimus expendere, tanquam familiam ducentes omnium Epactarum illorum sæculorum, quid absurdius excogitari potest? Nonnè Quæstione prima probavimus *num.* 18. & 19., quòd ex Epacta IX., quæ in usu fuit Anno 1700., producuntur hoc sæculo Epactæ, quæ toties peccant indictione Paschæ, quoties peccare possunt, tum quoad hebdomadam, tum quoad ultimum mensem? Idipsum evidens est in sæculo post Annum 4200. uti maifestat Tabula, quam exhibui eadem Quæstione prima: Quod adeo enorme est, ut hoc præcisè modo Nicæni Patres Cyclum decennovennalem aureorum numerorum commodè disponere potuerint, & non disposuerunt, ut evidenti demonstratione probabitur Quæstione quinta *num.* 21. & *seqq.* Dilato igitur Paschate Anni 1700. in diem 11. Aprilis, Anni verò 4200. in diem 20. Aprilis, non rectius factum est, sed pejus fieri non potuit.

Si

52 Si verò Currentes Epactas Anni 1700., atque Anni 4200. seorsum a cæteris, quæ ex illis producuntur, expendamus, diversum utique non emergit judicium. Anno enim 4200. medium Plenilunium futurum est Aprilis die 12. hor. 21. min. 51., & sec. 46. post meridiem; ac propterea duabus, & amplius horis ante meridiem diei 13. Aprilis. Quare ne eadem repetamus, quæ dicta sunt sub titulo -- DIGREDIMUR, &c., tantum abest, ut Pascha tunc rectius differetur in diem 20. Aprilis, quin potius hoc in præcisis terminis apertissimè contrarium est tum verbis Bedæ superius allegatis *numer.* 39. tum definitioni Sancti Innocentii primi superius relatæ *num.* 29., *&* *num.* 44. Anno denique 1700. medium Plenilunium Paschale, ut ipsi etiam recentiores fatentur, contigit Aprilis die 3. & hor. 11. post meridiem, & consequenter ante mediam noctem antecedentem. Constat verò ex dictis, erroneam esse illorum opinionem, qui Paschalem quartam decimam faciunt civilem diem in quo contingit medium Plenilunium a media nocte usque ad meridiem; quid ergo dicendum est de prædicto Anno 1700., in quo medium Plenilunium contigit ante mediam noctem antecedentem? Ultra enim ea, quæ dicta sunt, rejiceretur a die Paschæ dies ille Dominicus, cujus nox antecedens, *sicut dies illuminatur*, mutua Solis, & Lunæ successione tum Vespere antecedenti, tum mane ipsius diei Dominici, ut assumatur alius dies Dominicus, in quo propter absentiam lunæ, tenebræ sunt per universam terram usque ad mediam noctem ferè; rejiceretur, inquam; non solùm contra celebrandi Paschatis apud Christianos institutionem, & observantiam, de quibus fidem facit Sanctus Gregorius Nissenus apud Epitomen *pag.* 45. verum etiam contra ea, quæ Catholica Ecclesia canit in Paschali Præconio præcipuis rationibus exposito in Epitome *pag.* 58., *& seqq.*, ac denique contra Divinam Scripturam in libro Ecclesiastici *cap.* 43. *vers.* 7. ubi legitur -- *a Luna signum diei Festi* -- supple, *accipitur*, ut docet Nicolaus de Lyra apud Glossam ordinariam; etenim *diei Festi* appellatione per Antonomasiam intelligitur Solemnitas Azymorum, sive clarius luna decima quinta primi mensis, uti probatur post responsum ad primam partem hujus tertiæ Quæstionis *num.* 68. Neque id ambiguum est; Enunciatum enim Lunæ signum ab omnibus, etiam Astronomiæ prorsus ignaris cognoscitur; ipsumque tunc rejiceretur a cyclari luna quinta decima, quemadmodum evidenter patet data conjunctione, aut prope, linearum verorum motuum cum lineis mediorum. Quid plura? Prædictus dies Dominicus rejiceretur contra ea etiam, quæ resultant ex Evangelio, cujus verba referam *num.* 57. §. *Insuper &c.*

53 Fulcitur eorumdem Recentiorum opinio ex quodam asserto vetustissimo Romanæ Ecclesiæ ritu, erudite contra Christophorum Clavium vulgato per Eminentissimum Noris in Dissertationibus ad *Fastos Consulares*, *& de Paschali Latinorum Cyclo*; scilicet Romanam Ecclesiam usque ad Sanctum Leonem Magnum consuevisse Paschæ celebrationem nunquam in cyclari luna decima quinta, quoties in ea concurrisset dies Dominicus, sed in cyclari luna vigesima secunda. Hoc autem injuria imputatum esse Romanæ Ecclesiæ, sicuti etiam falsum esse, quod eadem Romana Ecclesia exhorruit lætum ac festum Resurrectionis diem recolere luna decima quinta, evidenter patefaciam in præcipua

Differtatione, quam in hisce præcise terminis elucubratus sum, atque reponam post hanc tertiam quæstionem. Sed dato per modum hypothesis hujusmodi vetustissimo ritu, ipsimet Recentiores, quippe qui ad sustentandam suam sententiam hujusmodi ritum inducunt, necessario fateri coguntur, quod dies prædictorum Pleniluniorum, nempe Dominicus dies quartus Aprilis Anno 1700., ac Dominicus dies 13. ejusdem mensis Anno 4200., proprie sit, quemadmodum revera est, luna quinta decima; dies vero Dominicus tunc succedens, nempe dies 11. & respective 20. Aprilis sit, sicuti revera est luna vigesima secunda; alioquin hujusmodi ritus frustra fuisset inductus. Peto igitur, an Pascha sit præcise celebrandum luna decima quinta, concurrente scilicet cum die Dominico, vel non. Si non est celebrandum luna decima quinta, ergo Catholici efficerentur Novatiani, qui, uti patebit in prædicta Dissertatione, contra Praxim Romanæ, & Alexandrinę Ecclesię illum ritum in usum invexerunt. Et insuper currentes Epactæ prędictorum Annorum nihilominus male procederent, signantes cum luna quarta decima diem illum, qui signandus esset cum luna quinta decima —; si vero celebrandum est luna decima quinta, ut Apostoli documentum inferius exponendum, sacrique Canones omnes, nec non Sancti Patres pręcipiunt, & ipsimet Recentiores ingenue fatentur, ergo Pascha non rectius, sed male differtur in sequentem diem Dominicum, qui est luna vigesima secunda, atque contingit tempore Fermenti, non autem, ut requirit Apostolus, tempore Azymorum.

54 Obstupesco quidem, dum ipsi Recentiores nullum piaculum, sed facinus laude dignum putant, aliquam habere rationem de consuetudine desumpta ex prædicto ritu, eoque magis obstupesco, dum iidem Recentiores *Sanctam* appellant hujusmodi assertam consuetudinem. Execrabile enim esse, non laude dignum, aliquam habere rationem de consuetudine desumpta ex prædicto ritu; hancque consuetudinem non *Sanctam*, sed impiam esse profecto manifestant ea, quæ exhibebo in prædicta Dissertatione post hanc tertiam Quæstionem, & præcipue ex OEcumenicis Conciliis Ephesino, & Calcedonense sub *num.* 243; & insuper Venerabilis Beda *lib. de temp. ratione cap.* 57. sic ait -- *hi, qui Dominicum Paschæ diem a decimasexta luna, usque ad vigesimam secundam celebrandum existimant, DUPLICI MISERIA laborant, quia, & legitimum Paschæ principium nunquam habent, & crebro evenit, ut nullum dierum, qui in lege præscripti sunt, in sua Paschali observatione consequantur*. Et Ceolfridus Abbas apud eumdem Bedam *lib. 5. Hist. Gentis Anglorum cap. 22. circa medium*, ita loquutus est -- *iidem pœnam erroris sui in semetipsos recipientes cum in vigesimo secundo die mensis Paschæ diem statuunt Dominicum, legitimos usque terminos Paschæ aperta transgressione violant* —. Piaculum ergo grave est, & facinus quidem execrabile, illius consuetudinis aliquam habere rationem. Id enim Vaticinio David, documento Apostoli Pauli, de quibus loquar post responsum ad primam partem hujus tertiæ Quæstionis *num. 66., & seqq.* ac etiam Sacris Canonibus, & Patribus adversatur.

55 Gloriosa tamen Gregorii XIII. memoria obscurari non debet, quasi æque senserit, ac ipsi Recentiores. Dixit quidem ipse Summus Pontifex in Bulla, quæ incipit -- *Inter gravissimas* -- ibi — *quod ratio-*

tiones emendandi Calendarii, quæ a cœlestium motuum peritis proponebantur, propter magnas, & ferè inextricabiles difficultates, quas hujusmodi emendatio semper habuit, neque perennes erant, neque antiquos Ecclesiasticos ritus incolumes (quod in primis hac in re curandum erat) servabant. Sed ex hisce postremis verbis, quæ ipsi Recentiores, uti supra inducunt, nihil resultat, quo eorum sententia fulciatur. Quod enim post Sanctum Leonem Magnum juxta falsam prædictorum Recentiorum sententiam fuisset antiquatum, ad omne pejus in usum revocabile fuisset, non autem incolume servari potest. Prorsus igitur alienum a Gregorii mente, ac verbis fuit prædictorum Recentiorum commentum. Quod adeo verum est, ut ipse Summus Pontifex in eadem citata Bulla §. *Considerantes* contra prædictos Recentiores expresse docuerit, quinam sint antiqui ritus servandi incolumes. Ibi enim sic legitur — *Considerantes igitur nos ad rectam Paschalis Festi celebrationem juxta Sanctorum Patrum, ac Veterum Romanorum Pontificum, præsertim Pii, & Victoris primorum, necnon magni illius OEcumenici Concilii Niceni, & aliorum Sanctiones, tria necessario conjungenda, & statuenda esse, primum certam Verni Æquinoctii sedem, deinde rectam positionem decimæ quartæ lunæ primi mensis, quæ vel in ipsum Æquinoctii diem incidit, vel ei proximè succedit, postremo PRIMUM QUEMQUE DIEM DOMINICUM, qui eamdem decimam quartam lunam sequitur*.

56 Merito igitur assertus ritus, cujus aliquam recentiores perperam putant habendam esse rationem, culpatur a Latio; nec Græcia tacet. Hæc enim scriptis committit nostri Paschatis errata; idque, ut audivi, præcipuum est quorumdam doctissimorum Virorum officium. At ne quidquam a longiuqua vetustate in hac re mutatum videatur, exteræque Christianæ Nationes, quæ Calendarium Gregorianum adhuc amplexæ non sunt, talia de Romana Ecclesia audientes, ullo modo tardiores fiant ad Unionem, hanc discutiendam proponam Quæstionem in prædicta Dissertatione.

An Romana Ecclesia prioribus quinque Christi sæculis exhorruerit celebrationem Paschæ luna decima quinta; & consueverit hoc Festum recolere luna vigesima secunda, dimissa decima quinta. Quæ dicentur ne ullo modo in dubium revocari possint; in eadem Dissertatione agetur etiam de dissidiis, quæ in celebratione Paschæ fuerunt ante Nicœni Ævum, & usque ad Sanctum Leonem Magnum; & sic intelligemus genuinam Sacrosancti Concilii Niceni primi dispositionem, & insuper veram illorum perintricatorum temporum ordinationem, Chronologiam, & Historiam assequemur.

REGREDIMUR AD ANONYMUM.

57 Resolutis controversiis, quibus quasi obscura caligine offundi videbatur quartæ decimæ Paschalis doctrina, regredimur ad Anonymum, rationem reddentes de ejusdem quartæ decimæ Definitione, quam protuli paulo post initium hujus tertiæ Quæstionis *num*. 4., & quam exhibiturus sum in responso ad hanc Quæstionem. Paschalis enim quarta decima, juxta nostram definitionem accepta, nullum involvit absur-

dum, adeout meritò proferre possimus illa Constantini Magni verba prope finem suæ Epistolæ de Synodo Nicœna — ibi — *præstat eam sequi sententiam, in qua nulla est alieni erroris, scelerisque societas, atque communio* —; non abscedit ab iis, quæ ut plurimum, vetustissimus Cyclus Judaicus, a me repertus, designabat ab Annò proximè post Christi Nativitatem incæpto, usque per totam illam Periodum, ut patebit in Dissertatione post quintam Quæstionem in Laterculo *sub num.* 93., *& seqq.*; neque ab iis, quæ, ut plurimum, præseferebat Cyclus decennovennalis Julii Cæsaris a me contra multorum clarissimorum sententiam vindicatus, atque ab Apostolorum temporibus in Ecclesia usurpatus, ut patebit in Dissertatione post hanc tertiam Quæstionem in Laterculo *sub num.* 77. *& seqq.*; ac denique ab iis, quæ, ut plurimum, resultant in Correctione, quam non sine perdifficili indagine reperii, prædicti Cycli Julii Cæsaris, peracta Anno 260. Æræ vulgaris a Sancto Dionysio Archiepiscopo Alexandrino, & observata in Ecclesia Romana usque ad Nicenum Concilium, ut notatum est *Quæst. Prima num.* 30., ac respectivè patebit in Dissertatione nuper allegata in Laterculo *sub num.* 74., *& seq.*; incolumem servat Praxim Nicenam de Paschali quartadecima, superius expositam *num.* 13., *& seqq.* atque exhibitam in Laterculo *Quæstione secunda num.* 14.; Ultimas horas 5. *min.* 37., *& sec.* 59. ad ultimum cœlestis quartæ decimæ quadrantem spectantes includit, vel saltem de hisce horis, horarumve fragmentis perpetuo participat, ut evidenti demonstratione patefaciam in Corollario, sive clarius *num.* 85., *& seqq.* ubi sub *num.* 90. doctrina de hisce horis, ex Sacris Paginis excerpta, exponitur. Insuper Paschalis quarta decima, juxta nostram definitionem accepta, data conjunctione, aut prope, linearum verorum motuum cum lineis mediorum, non solùm primam Lunæ Phasim reponit in Cyclari luna prima, ut exponam *num.* 91. verùm etiam concordat cum Evangelio. Imo ex ipso Evangelio resultat, quartam decimam Paschalem, non aliter esse accipiendam. Sanctus enim Lucas *cap.* 22. *vers.* 7. diei, qui crucifixionem Christi proximè præcessit, hæc verba affixit — *in qua necesse erat occidi Pascha* —; quæ verba una cum aliis cæterorum Evangelistarum clarius exposita sunt in alio meo Opere, cujus Titulus est — *De Christo suum Ultimum Pascha eum Judæis celebrante, simulque de vero Anno Incarnationis, atque Passionis ejusdem D. N. J. C.* —; Cum ergo dies, in quo necesse erat occidi Pascha, sive Agnum Paschalem, præstitutus fuerit dies quartus decimus primi mensis in Exodo *cap.* 12. in Levitico *cap.* 23. & in Libro Numerorum *cap.* 9, *& cap.* 28., ac etiam cum prædicta dies, Crucifixionem Christi præcedens, certò fuerit dies, qui proximè præcedebat luminarium oppositionem, ut evidenter probatum est in eodem Opere; Paschalis quarta decima, non aliter, quam diximus, est accipienda; alioquin in ea die Crucifixionem præcedente, necessarium non fuisset occidi Pascha.

Denique Paschalis quarta decima, prout diximus, accepta, declarat, quod dies Paschæ Dominicus, cum cyclari luna quinta decima concurrens, *primo* est dies, qui, ut legitur in libro Ecclesiastici *cap.* 43. *vers.* 7. superius exposito *num.* 52. signum habet a luna, quæ intuentibus eam, non occultat diem suæ oppositionis cum sole. *Secundo* est dies, qui reponit in reliquos ejusdem lunationis dies Lunam crescen-

ſcentem, ac reſpective imminutam, includitque lunam plenam, qualem die Paſchæ in cyclarem quintam decimam incidente, requirunt tum Actus Concilii Cæſarienſis, quod celebratum fuit Anno circiter 198., relati in Epitome *pag.* 33. tum Sanctus Hieronymus, vel quivis alius ſit vetuſtiſſimus ſcriptor in Epitome *pag.* 50. ac denique Sanctus Athanaſius Archiepiſcopus Alexandrinus de ratione Paſchæ vel quivis alius ſit *tom.* 2. *in fine editionis Pariſienſis*, dicens — ibi — *cum in hoc menſe & luna, & dies convenirent, luna ſcilicet plena, & Dominica dies, tunc Paſcha cenſitum eſt celebrandum*. *Tertio*, eſt dies, qui omnino congruit verbis Paſchalis præconii, quod canit Eccleſia poſt ignis benedictionem in Sabbato Sancto, atque exponitur in Epitome *pag.* 58. *Quarto*, eſt dies, in quo luna ſtat ſoli ex adverſo, atque ex diametro oppoſita; uti Sanctus Anatholius Laodiceæ in Syria Epiſcopus, qui floruit circa Annum Domini 277. regnante Probo, docuit ex vetuſtiſſimis Hebræis Ariſtobulo, & Philone, & Joſepho, quos præcipua ratione expoſitos retuli in Epitome *pag.* 111. *Quinto*, eſt dies in quo tenebræ penitus excluduntur mutua ſolis, & lunæ, tum veſpere antecedenti, tum mane ſucceſſione, ut exigit Sanctus Gregorius Niſſenus, de inſtitutione, & obſervantia Chriſtiani Paſchatis fidem faciens, apud Epitomen *pag.* 45. & prælaudatus Sanctus Anatholius apud Epitomen *pag.* 49. & Sanctus Joannes Chryſoſtomus ibidem *pag.* 48., & Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus ibidem *pag.* 46., ac denique Sanctus Maximus Taurinenſis Epiſcopus ibidem *pag.* 50. quibus concordat Philo Judæus non ſolum ubi ſupra, ſed etiam loquens de feſto Tabernaculorum in libro de ſeptemnario, & feſtis *pag.* 1196. ubi ſic inquit — *Initium hujus feſti* (nempe Tabernaculorum) *decima quinta menſis appetit propter dictam etiam in verna tempeſtate cauſam, ut non interdiu tantum, ſed etiam noctu plenus ſit mundus luminis pulcherrimi, ſolis, & lunæ radiis ad illam diem ſibi invicem exadverſo exorientibus, ſine notarum diſcrimine, quibus confinium caligo non diſcernit* — Sexto, eſt dies, qui cunctis præclarior, atque a tenebris remotiſſimus eſt, ut declarat præcitatus Sanctus Gregorius Niſſenus *loc. cit.*, & Sanctus Laurentius Juſtinianus ibidem relatus *pag.* 50. *Septimo*, eſt dies, in cujus antecedenti Veſpera Luna *in fulgore plenum habet globum proprium*, ut exigit Theophilus Patriarcha Alexandrinus in Epitome *pag.* 47. *Octavo*, eſt dies, in cujus antecedenti veſpera Luna *pleno Orbis circulo eodem momento oritur, quo occidit Sol, eademque nocte tranſacta, Luna occidente, Sol oritur*, ut docet Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus apud Epitomen *pag.* 46., ubi etiam alia verba ejuſdem Sancti Cyrilli alleguntur, ac deinde cum verbis prælaudati Theophili conferuntur, quæ omnia concordant cum noſtra quartædecimæ Paſchalis definitione. Initio tamen prædictæ paginæ 46. Typographi incuria, mendoſa ſunt illa Sancti Cyrilli verba — *Viginti autem, & ſemis dies*, atque corrigenda — *Viginti autem novem, & ſemis dies* — quemadmodum benignum Lectorem ex Lunationum magnitudine, atque ex illorum verborum collatione cum originali jam correxiſſe exiſtimo. *Nono*, eſt dies, qui cum ab utroque Luminari ſit præ omnibus Lunæ diebus illuminatus, appellatur *Lux* a Sancto Anatholio apud Epitomen *pag.* 49., ab aliis verò apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum ibidem relatum dicitur *dies lucis*. *Decimo*, eſt dies, in quo ſit Lunæ converſio ab exterioribus

ad

ad interiora, quemadmodum ex Sancto Augustino, & Rabano in Epitome *pag.* 49., & ex Venerabili Beda, & Sancto Hisidoro Hispalensi *ibidem pag.* 51. esse debet. *Undecimo*, est dies, qui propriè spectat ad tertiam lunæ hebdomadam, quam in die Paschæ præcisè requirunt memorati Sanctus Augustinus, Sanctus Isidorus Hispalensis, & Venerabilis Beda *loc. cit. Duodecimo*, est dies, quem vulgus quoque, uti supra, ex Paulo Middelburgensi, & Stoefflero notavimus, *quintamdecimam* appellat; & quem esse quintam decimam definiunt Hypotheses Gregorianæ apud Epitomen *pag.* 54.; Petrus Pitatus *in Compendio Proposit.* 4. *pag.* 8. *t.* Joannes Lucidus *de vero die Passionis Christi cap.* 9. Paulus Middelburgensis Episcopus Forosempronienfis *in sua Paulina lib.* 12. Joseph Scaliger, seipsum corrigens *De Emend. Temp. lib.* 7. *pag.* 724. *Edit. Genevcn.*, & Christophorus Clavius *in Explic. Calend. cap.* 18. *num.* 2. *pag.* 381., & *cap.* 24. *num.* 3. *pag.* 594., & *cap.* 27. *num.* 1., & *num.* 5. §. *In omnibus pag.* 619. *Decimo tertio* denique est dies, quem esse quintam decimam, & in quo celebrandum esse Pascha declaravit Sanctus Innocentius Primus Papa, uti expositum est antequam ab Anonymo superius digrederemur *num.* 27., & *seqq.*; firmo igitur fundamento.

58 AD PRIMAM PARTEM TERTIÆ QUÆSTIONIS respondetur, „ QUOD EX CATHOLICÆ ECCLESIÆ SENSU LUNA QUARTADECIMA EST ILLE „ CIVILIS DIES, QUI IMMEDIATE' PRÆCEDIT CIVILEM DIEM, IN QUO „ CONTINGIT MEDIUM PLENILUNIUM, SALVO USU GNOMÆ, ut dictum est „ in Epitome *pag.* 81.

DE ALTERA PARTE TERTIÆ QUÆSTIONIS.

59 Quo verò ad alteram partem ejusdem tertiæ Quæstionis, animadverti debet, quòd Cycli Paschalis officium est, designare [quantum fieri potest, ac natura civilis Cycli patitur] lunam decimam quartam Paschalem, juxta sensum Ecclesiæ Catholicæ. Per Cyclum enim dies Paschæ indicitur, pro cujus recta celebratione Gregorius XIII. Pont. Max. in Bulla, quæ incipit -- *Inter gravissimas* non quamlibet decimæ quartæ primi mensis positionem, sed *rectam* necessariò requiri docet. Et quidem in Textu Hebraico Levitici *cap.* 23. *vers.* 4. non legitur solùm, ut Festivitas Paschæ proclametur, sed proclametur *in statuto tempore suo*, uti exponam *Quæstione Quinta num.* 27.; Et Apostolus Paulus, ut videbimus, infra *num.* 66., & *seqq.* non dixit solum, ut *diem Festum celebremus*, sed Paschæ diem designavit, exclusione temporis fermenti veteris, & inclusione temporis Azymorum.

60 Sapienter igitur Christophorus Clavius *in Explic. Calend. cap.* 22. *numer.* 4. *pag.* 562. a me allegatus in Epitome, docuit -- ibi -- *Illud summopere curandum est, ut is Cyclus præ cæteris eligatur, qui pauciora continet errata*; & Petrus Gassendus *Tom.* 5. *in tract. de Roman. Calend. summariè exposito part. poster. cap.* 5. §. *Notandum*, a me allegatus in Epitome, dixit -- *Omnis Cycli ea est natura, ut sit semper vitio alicui obnoxius; ac felicitatis est in illum incidere, qui vitii quàm minimum habet*. Horum insignium Virorum verba convalidat, Clemens VIII. Pont. Max. in Bulla, quæ incipit -- *Quæcumque* -- dicens ibi --

nec

nec mirandum esse, quòd Cyclus nostrarum Epactarum in dies Calendarii distributus, interdum in noviluniis, ac decimis quartis Paschalibus non omnino cum motibus Cœlorum consentiat, cum hoc in omni Cyclo necessariò eveniat, satisque sit, quòd error hic, qui vitari nequit, multo rarior deprehendatur in novo hoc Calendario, quàm in nullo alio —. Quibus postremis verbis Summus Pontifex necessariò supponit, quòd is Cyclus adhibendus sit, qui pauciora continet errata, ut ratio etiam suadet, & Praxis etiam Mathematicorum Gregorianorum evidenter ostendit Clarissimi enim viri ad Gregorianam Correctionem delecti, posthabita Liliana Epactarum Æquatione, jam a celebrioribus Europæ Academiis, Principibusque Christianis probata, statuerunt præterito prorsus ulteriori earumdem Academiarum, & Principum judicio, quidquid fidenter (uti patebit *Quæst. quinta num.* 47.) nonnulli recentiores dicant, statuerunt, inquam, alteram Epactarum Æquationem, rectius Liliana procedentem in reali Paschæ indictione, uti clarum erit Quæstione quinta *num.* 5[illegible], & Quæstione septima in Laterculo sub *num.* 2. Profecto si res aliter esset, iidem viri in relatione sive libello, quem prælaudato Gregorio XIII. exhibuerunt, omnium subscriptione firmatum die 14. Septembris Anno 1580., atque relatum ab Illustrissimo Blanchini *in Solutione Problematis Paschalis*, necnon a Clarissimo Quartaironio *in responsionibus, &c.* non dixissent, uti notavi in Proemio Epitomes *pag.* 14. — ibi — *Si quis novus perennis Cyclus a quopiam proponatur, ille per easdem hypotheses diligenter examinandus est; qui si Cyclo Epactarum verior, aptiorque fuerit, cum ipsi Epactarum Cyclo anteferendum existimamus.*

AN MATHEMATICI GREGORIANI PROPOSITIONEM PROXIME ALLEGATAM DIXERINT MODESTIÆ CAUSA.

61 Ipsi Recentiores infirmare videntur hanc validissimam Mathematicorum Gregorianorum auctoritatem, dicentes, quòd id — *Congregatio Gregoriana modestè affirmaverit* —. Ipsi tamen recentiores animadvertere dignentur, quòd prælaudati Viri ad Correctionem Gregorianam delecti, quippe qui sapientia, morum integritate, ac respectivè primariis Ecclesiæ Dignitatibus præeminebant, ostentare illis verbis modestiam suam non indigebant; sed propriè locutos esse, prout revera sentiebant in Domino, ex eo maximè patet, quia Summo Romano Pontifici vehementer inculcarunt in allegato Libello, ut pro indictione Paschæ eligendus sit Cyclus civilis, qui pauciora continet errata. In ipso enim Libello *in fine primi Tituli* hæc leguntur — *Non aliud deesse videtur, quam ut Sanctissimus D. N. ni sibi melior Cyclus fuerit oblatus (qui tamen iisdem hypothesibus probari potest) Calendarium suo Decreto confirmet, & a cunctis observandum præcipiat.*

62 Succedit alter Titulus — ibi — *De recta examinandorum Cyclorum ratione* — & sub hoc Titulo affirmant — ibi — *Cycli lunares in Calendario ad sacrum diem Festum Paschatis perpetuò inveniendum constitui sine errore nequeunt* —; & quòd — ibi — *tantum diriguntur ad normam mediorum motuum* — Deinde verò concludunt in §. *Cum igitur, &c.* — ibi —

ibi -- *Cum igitur duorum, vel plurium inter se Cyclorum rationem expendere volumus, ea tantum regula utendum est, ut Cyclus, qui ad ipsius medii motus numerum propius accedit, is minora contineat errata, idemque præ cæteris sit eligendus; ad id autem judicandum has Hypotheses, assumere oportet*. Sequuntur immediatè hypotheses, eæ scilicet, quas in præcedentibus memoravi.

63 Postremò legitur hic Titulus -- ibi -- *Quæ de Calendarii emendatione omnium consensione determinavimus usque ad diem 14. Septembris Anni 1580. hæc sunt* -- sub hoc Titulo legitur -- ibi -- *Cyclum Epactarum Cyclis omnibus, qui ad hunc usque diem editi sunt, antecettere existimamus, cum inter cæteros solus sit perennis in Calendario adhibita interdum æquatione, ut in Explicatione Calendarii declaratur. Quocirca nisi alius Cyclus perennis inveniatur, qui Novilunia, Pleniluniaque verius ostendat; is Summi Pontificis Decreto pro Correctione Calendarii promulgandus est* --. Deinde exponitur in quo consistat Gregoriana Correctio. His positis; Clarè constat, ipsos Mathematicos non modestè, sed seriò, non semel, sed iterum, atque iterum inculcasse Summo Romano Pontifici, ut pro indictione Paschæ eligendus sit Cyclus civilis, qui pauciora continet errata. Imo quasi nihil horum dixissent, sub hoc eodem ultimo Titulo hunc paragraphum addiderunt -- *Si quis novus perennis Cyclus a quopiam proponatur, ille per easdem hypotheses diligenter examinandus est; qui si Cyclo Epactarum verior, aptiorque fuerit, eum ipsi Epactarum Cyclo anteferendum existimamus*. Clarissimi ergo viri ad Gregorianam Correctionem delecti non modestiæ causa, sed pro veritate prædicta affirmarunt.

64 Dum locutus sum de allegato Correctionis Libello, præterire non debeo, quod in Proœmio Epitomes, & in Epitome *pag.* 148. dixi Aloysium Lilium *Veronensem*, quia hunc fuisse Veronensem legeram apud Ricciolum *in part. 2. Chronici*, & apud Eminentissimum Noris *in Dissert. de Paschali Latinorum Cyclo prope finem pag.* 137. & apud Muratori in præclaro suo Opere, cui Titulus est -- REFLESSIONI SOPRA IL BUON GUSTO, *part. 2. cap. 14. pag.* 281. At Antonius Lilius ejusdem Aloysii frater prædictum Correctionis Libellum ita subscripsit -- *Calaber* -- Videram quidem hujusmodi diversitatem, sed utrumque a veritate alienum non fuisse censui, Veronensem scilicet origine, Calabrem autem domicilio. Monitus verò, quòd Aloysius Lilius revera fuit Calaber; amicum Veronensem rogavi, ut de hac re diligentius exquisita me certiorem redderet; ab eodem amico accepi, Aloysium Lilium non fuisse Veronensem, sed Umbraticensem in Calabria, & quodam alterius Lilii Mathematici Veronensis æquivoco, ab illis clarissimis Viris factum fuisse Veronensem.

ALIA EORUMDEM RECENTIORUM PROPOSITIO REFELLITUR.

65 Ipsi tamen Recentiores quidquam pejus addiderunt, dicentes, quòd eadem prædicta Mathematicorum Gregorianorum verba, quæ sunt. -- *Si quis novus perennis Cyclus &c.*, ac etiam verba Clavii, & Gassendi nuper allegata *num.* 60. -- *non ita sunt accipienda, ut etiam unius diei diffe-*

differentia inter Computum Ecclesiasticum, & calculum astronomicum sub eodem meridiano, quandoque intercedens, quantum fieri potest, excludatur -- Difficultas in hac propositione ex eo maximè emergit, quia insertum est -- *quantum fieri potest* -- quibus verbis ablatis, sive expunctis, hujusmodi propositionem non arguerem; quoniam Clemens VIII. Pont. Max.. & communiter omnes scriptores, cum nostro Anonymo docent, quod in omni Cyclo evenit, ut quartæ decimæ Paschales cum cælestibus motibus interdum non consentiant. Sed cum ipsi recentiores inseruerint -- *quantum fieri potest* -- sentire videntur, quod Cyclus Paschalis *quantum fieri potest*, excludere non debeat prædictam unius diei differentiam; quod est absurdum. Hoc enim quid importat, nisi libertatem Cyclo tribuere designandi Catholicum Pascha cum Quartadecimanis Hereticis die ante Plenilunium, vel cum Hæreticis Novatianis in quarta hebdomada lunæ; & ulterius mense ultimo Anni Superioris, ac etiam mense secundo labentis Anni? Quid absurdius excogitari potest? Et tamen ex iis, quæ discussa sunt in prima parte hujus tertiæ quæstionis certum est, quod id omne producit illa unius diei differentia. Hæc quidem non docent Sacri Canones; non Sancti Patres; non Divina Scriptura.

66 Imo Apostolus Paulus Epistola prima ad Corinthios *cap.* 5. *ver.* 8. duo documenta circa Pascha nobis reliquit. *Primum* est, ut -- *diem festum celebremus* -- licet Vulgata, alludens ad solemnes epulas, quibus in signum letitiæ solebant festa celebrari, vertat -- *epulemur*. Id enim docet communis sacrorum Expositorum sententia; ac revera Sanctus Augustinus *lib.* 3. *contra Parmenianum num.* 5. legit -- *diem festum celebremus*, quem admodum ita vertit Sancti Gregorii Nisseni interpres. *Oratione prima in Christi Resurrectionem*, & Origenis interpres *Homil.* 5. *super leviticum*; & Sancti Joannis Chrysostomi interpres *tom.* 1. *recentioris editionis orat.* 3. *in eos qui Pascha jejunant*.

67 Hoc Apostoli documentum respondet vaticinio David *in Psalm.* 75. *ver.* 11. desumpto ex Vulgatæ litera, quæ concordat cum Greca versione LXX., & quam in hoc Psalmi versu tuentur Biblia Sacra Gordoni, Bellarminus in Psal. & Lorinus *in comment. in lib. Psal.* §. *Quoniam &c.* Vulgata enim sic ait -- *cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi* -- Prædicit David, ut docet D. Jacobus de Valentia *in Explicat. Psal.* debitum esse Christo a Fidelibus Divinum Cultum Latriæ pro beneficio Redemptionis. Quare horum verborum sensus est -- *cogitatio hominis* -- Scilicet consideratio, & contemplatio, quæ sine mœrore in Christum, & sine indignatione, ac sine sensibus iræ in Judæos esse nequit, de miraculis, & Passione Christi -- *confitebitur tibi* -- nempe efficiet, ut homines propter hujusmodi considerationem, & contemplationem confessuri corde sint, Te Christe, esse Deum verum, & Redemptorem, ac dignum cultu Latriæ. *Et reliquiæ cogitationis* -- Nempe & omnes Christi Fideles, qui sunt reliquiæ cogitationis interne Fidei [Sic bene exponit idem D. Jacobus de Valentia] *diem Festum agent Tibi*, scilicet in Tui cultum.

68 At cum luna quarta decima primi mensis non fuerit apud Hebræos festiva, ut animadvertit etiam Sanctus Proterius Martyr Patriarcha Alexandrinus in Epistola ad Sanctum Leonem Magnum apud Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Appendice* -- *Dies Festus* per Anto-

 nomasiam

nomasiam designat diem primam, sive solemnitatem Azymorum; tum quia per hanc recolebatur memoria celebrioris liberationis Israel ab Ægyptiaca servitute; tum quia ex ipsa Azymorum solemnitate pendebat Festivitas Pentecostes, ut patet in Levitico *cap.* 23. *vers.* 15. *& seqq.* tum denique quia apud Evangelistas *per diem Festum* sepe intelligitur eadem Azymorum solemnitas, & signanter apud Marcum *cap.* 15. *vers.* 6. & apud Lucam *cap.* 2. *vers.* 42. *& cap.* 23. *vers.* 17. & apud Joannem *cap.* 4. *vers.* 45. *& cap.* 11. *vers.* 56., *& cap.* 12. *vers.* 12. *& alibi*: Quæ Azymorum solemnitas dicebatur Pascha; uti legitur in Evangelio Lucæ *cap.* 22. *vers.* ibi — *appropinquabat autem dies Festus Azymorum, qui dicitur Pascha* — & concordat Josephus *de Bello Judaico lib.* 2. *cap.* 1. *& de Antiquit. Judaic. lib.* 10. *cap.* 5. *in fine, & lib.* 17. *cap.* 11. *& lib.* 18. *cap.* 3. Quare recitata Apostoli verba — *diem Festum celebremus* -- perinde significant, *ac diem Paschæ celebremus*.

69 Alterum Apostoli documentum est, ut diem Festum celebremus — *non in fermento veteri . . . . sed in Azymis . . . . .* Apostolus hosce terminos — *in Fermento* — *in Azymis* -- adhibuit pro tempore, in quo Hebræi domibus retinebant fermentum, & respectivè Azymis vescebantur, æquè ac si dixerit, Pascha celebremus non tempore, quo apud Judæos est fermentum vetus, sed tempore, quo Azyma præcepta sunt. Apostolus enim non præcipit, ut nos Paschæ Festum celebrantes, rejiciamus fermenti usum, & utamur Azymis, sive Azyma comedamus; neque præcipit, ut stare debeamus in loco, ubi Azyma ab Hebræis comedebantur. Cum igitur allegata Apostoli verba intelligenda non sint quoad usum, neque quoad locum, superest, ut accipienda sint quoad tempus fermenti veteris, & respectivè Azymorum; & consequenter ipsa taxativè ostendunt tempus, quo Pascha celebrandum est, scilicet non decima quarta luna primi mensis, in qua fermentum erat vetus; hac enim die Hebræi domos suas, omnesque fines, ac terminos suos omninò expurgare a fermento debebant juxta Dei præceptum in Exodo *cap.* 12. *vers.* 15., *&* 19. *atque cap.* 13. *vers.* 7. atque *in* Deuteronomio *cap.* 16. *vers.* 3. *& seqq.*, sed a luna decima quinta primi mensis usque ad vigesimam primam ejusdem mensis inclusis terminis; quemadmodum sacri Canones ita celebrandum esse Pascha præcipiunt. Quoniam in sacris Paginis, ut infra patebit *num.* 77., & latius *quæstione quarta num.* 31., certum est tempus, in quo Hebræis expressè prohibitus erat usus, atque retentio fermenti, & respective præcepta erat Azymorum commestio, scilicet a decima quinta primi mensis usque ad vigesimam primam inclusis terminis. Sapienter igitur Sanctus Gaudentius Brixiæ Episcopus, de Ratione Paschali loquens, *sermone primo pag.* 27., monuit — ibi — *nec intra quartam decimam, nec ultra vigesimam primam celebrare possumus; quia septem tantum dies sunt Azymorum Paschalium, in quibus Dominicum quærimus diem: Vult enim nos Christus promulgator legis, & gratiæ, neque legitimos juxta tunc cursum computatos præterire dies, neque diem suæ Resurrectionis otio ingrato transcendere.*

70 Huic verborum Apostoli expositioni consona sunt allegata verba Regii Prophetæ. Hæc enim cum non retineant Paschæ nomen, quod sine ullo adjuncto acceptum, reddidisset obscurum, & æquivocum diem

Pa-

Paschæ Christianorum, sed exprimant prædictam — *diei festi* — Antonomasiam, quæ præcisè diem solemnitatis Azymorum, sive lunam decimam quintam primi mensis ostendebat, utique designant, quòd Christifideles Pascha acturi erant diem ipsum Solemnitatis Azymorum, nempe lunam decimam quintam primi mensis; ; quemadmodum ita celebrandum esse statuunt sacri Canones, quinta decima primi mensis in diem Dominicum incidente ; Pascha, inquam, acturi erant diem illum, licet sacramentorum genere ab ipsa Azymorum solemnitate discretum, ut tradit Ceolfridus Abbas ; & Venerabilis Beda relati in Epitome *pag.* 60., & clarè manifestat adjunctum verbum — *Tibi*.

Rursus prædictam verborum Apostoli expositionem confirmat Ecclesia, quę in Missa Sabbati Sancti post septimam Prophetiam hæc verba profert in oratione — *Deus, qui nos ad celebrandum Paschale Sacramentum utriusque Testamenti paginis instruis* —. Id enim nullibi literaliter patet in novo Testamento, nisi per allegata Apostoli verba, uti supra exposita.

71 Si quis verò peteret, an hæc ipsa Oratio fuerit in Veteri Liturgia, Albinus, sive Alcuinus de Divinis Officiis *Tit. de Sabbato Sancti Paschæ* eandem Orationem post septimam Prophetiam commemorat his verbis — *Deus, qui nos ad celebrandum Paschæ sacramentum &c.* Edmundus Martene in Tractatu de antiqua Ecclesiæ Disciplina *cap.* 24. *pag.* 423. ex manuscripto Codice Bibliothecæ Regię, cujus character ad Annos 900. accedit, eandem Orationem post septimam Prophetiam citat his verbis — *Deus, qui nos ad celebrandum &c.* Demum in celebri Medicea Sancti Laurentii Bibliotheca *Scan.* 21. *num.* 29. pervetustum vidi Missale manuscriptum, in quo post septimam Prophetiam legitur ipsa Oratio iisdem verbis, ac in novis Missalibus, excepto verbo — *instruis* — cujus loco in prædicto Missali manuscripto legitur — *instruxisti*.

72 Rediens ad convalidandam verborum Apostoli expositionem, dico, quòd Sanctus Gregorius Nissenus Oratione *prima in Christi Resurrectionem pag.* 709. loquens in terminis de Institutione Paschæ Christianorum, atque, ut refelleret quorumdam Judæorum Objectum, tunc accusantium institutum nostrum, & signanter studium, quod in die observando ponimus, inducit prædicta Apostoli verba ; ac propterea eo literali sensu, ut designent tempus, quo Pascha celebrari debet.

73 In Epistola verò Constantini Magni de Synodo Nicæna ad absentes Episcopos apud Eusebium *lib.* 3. *de Vita Constantini cap.* 18. *Socratem lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 6., Theodoretum *in Histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 10. legitur — *Unum enim libertatis nostræ Festum diem, hoc est diem Sacratissimæ Passionis*, qui est luna decima quinta primi mensis, *Servator noster nobis reliquit* : & Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in Prologo apud Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* sic ait — *Sanctum Paschæ mysterium ejusque sacra solemnitas, sicut est a Salvatore nostro Apostolis tradita, illibata mansisset, si eam quorumdam* [scilicet Quartadecimanorum, & deinde Novatianorum] *perversitas inter cætera Fidei Sacramenta minimè temerasset*. Cum igitur libertatis nostræ festus dies, a Salvatore nobis relictus luna decimaquinta primi mensis, sive Paschæ Solemnitas a Salvatore Apostolis tradita non aliunde pateat in sacris Paginis, nisi per allegata Apostoli verba, hæc

 Con-

Constantinus Magnus, & Sanctus Cyrillus accepisse videntur, tanquam demonstrativa temporis, quo Pascha a Christianis celebrandum est. Id ipsum sensisse videntur Patres Concilii Romani, sub Victore Primo Papa, & Martyre celebrati, qui, uti patebit in sequenti Dissertatione *num. 6.*, præcipientes ut Pascha celebretur post Æquinoctium, ac die Dominico post decimam quartam lunam, hanc particulam in eodem Decreto addiderunt -- *Prout ab Apostolis traditum est*,

74 Ita prolixus fui, quoniam circa hæc Apostoli verba sacri Expositores illustrant potius sensum Moralem, quàm Literalem; ex pluribus tamen a me lectis nullum vidi, qui prædictæ expositioni adversetur. Imo Cornelius a Lapide eidem expositioni favere videtur dicens -- *Sensus* [nempe prædictorum verborum Apostoli] *ergo est, Christus pro nobis quasi Phase immolatus nos redemit, nobisque initiavit solemnitatem Azymorum* --. Christus enim nobis non initiasset Azymorum solemnitatem, si prædicta Apostoli verba non designarent tempus eorumdem Azymorum.

Venerabilis denique Beda *tom. 8. in Epistolam primam Apostoli Pauli ad Corinthios*, expositionem nostram præsupponit; ac propterea eidem assentitur. Progrediens enim ad exponenda ista Apostoli verba -- *Itaque epulemur: non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: sed in Azymis sinceritatis, & veritatis* -- utitur præcisis verbis, quæ Sanctus Augustinus *tom.* 8. protulit contra Faustum *lib.* 32. *num.* 11. *pag.* 323. Faustus hereticus Manicheus nobis objiciebat Paschę celebrationem, insultabatque, quòd ita ut Judęi non celebramus. Sanctus Augustinus verò, postquàm plures alios Fausti errores patefecerat, ejusdem Fausti inscitiam volens vehementius arguere, sic ait -- *Quid quod & Pascha a nobis objicit celebrari, nec quod ita ut Judæi celebramus, insultat, cum ovem magis nos habeamus in re præsentis Evangelii, non umbra futuri, ejusque occisionem tum quotidie, tum maximè in Anniversaria Solemnitate non veteram præsignemus, sed factam commemoremus. Ideo sanè dies Paschæ Solemnitatis nostræ ad diem celebrationis umbraticæ Judæorum non occurrit, ut et Dominicum diem, quo Christus resurrexit complecteremur . . . . si vultis ergo nosse quare celebramus Pascha: quia tunc pro nobis immolatus est Christus. Si vultis nosse quare non illud ritu Judaico celebramus: quia illa erat venturi veri præfiguratio, hæc completi commemoratio* --. Hęc autem omnia ipsa verba profert Beda pro expositione prædictorum verborum Apostoli Pauli, addita solum interrogationis interpunctione [prout vidi in diversis Bedæ editionibus] post verbum -- *commemoremus* --; propter quam interrogationis interpunctionem, verba Sancti Augustini sensum variant, adeout apud Bedam hunc sensum pręseferant: nunquid Apostolus Paulus Pascha a nobis objicit celebrari? & insultat quod ita ut Judęi non celebramus? Beda enim interrogationem adhibens, duo precipuè negat, scilicet, quòd Apostolus Paulus objiciat, quòd a nobis Pascha celebretur; & quòd ipsemet Apostolus insultet, quòd non celebremus ita ut Judæi celebrabant. Beda igitur prædicta duplici negatione utique supponit, Apostoli verba tum manifestare præceptum celebrationis Paschæ, tum designare tempus, quo Pascha celebrandum est, scilicet non quartodecimo die Lunæ, quo Judæi, Agnum immolantes, Pascha agebant, sed tempore quo Azyma comedebantur, uti nuper exposui.

Nec

75 Nec aliter dici debet ex contextu cæterorum verborum Apostoli, quæ sunt *Pascha nostrum* [idest Pascha nobis Sacrificium, ut egregie exponit Sanctus Anselmus] *immolatus est Christus. Itaque diem Festum celebremus: non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: sed in Azymis sinceritatis, & veritatis* -- Illud enim -- *neque in fermento malitiæ, & nequitiæ* -- quod est membrum Sermonis [notetur] a præcedenti membro -- *non in fermento veteri* -- distinctum, atque postrema verba -- *sinceritatis & veritatis* -- quæ sunt opposita prioribus illis verbis -- *neque in fermento malitiæ, & nequitiæ* -- ad dispositionem Animæ pertinent eorum, qui Pascha celebrant. Priora enim verba scilicet -- *neque in fermento malitiæ, & nequitiæ* -- allusiva sunt præcedenti prohibitioni, & sensus est, sicuti Pascha celebrare non debetis tempore fermenti veteris, ita neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, quia fermentum corruptionem præsefert. Posteriora autem verba, nempe -- *Sinceritatis, & veritatis* -- allusiva sunt præcepto celebrandi Pascha tempore Azymorum; adeo ut sensus sit, sicuti Pascha celebrare debetis Azymorum tempore, ita sinceritate cordis, & veritate figurati, quia Azyma puritatem significant.

76 Obiter notare liceat, quod expositum Apostoli documentum, Regiique Prophetæ vaticinium pluralitatem Paschæ non admittunt, quod ipsum præcipiunt vetustissimi Ecclesiæ Canones, ac deinde proclamarunt Patres Calcedonensis Concilii *Actione 6. in fine apud Conciliorum collectionem Regiam maximam tom. 2. pag.* 490. *unus* (enim) *est Dominus* (ut dixit Apostolus in Epistola *ad Ephesios cap.* 4. *vers.* 5.) *una Fides, unum Baptisma, unus Deus*, & una est totius humani generis Redemptio, quam celebratione Paschę recolimus. Non ergo plura sint Paschata, sed, ut proclamarunt prædicti Calcedonenses Patres -- *unum Pascha orbi terrarum* -- Quare Sanctus Leo Magnus Epistola 64. ad Martianum Augustum, de Pascha loquens, sapientissime docuit, quod -- ibi -- *non leviter delinquitur, si in principio Sacramenti veritas, & unitas non tenetur* -- Quoniam -- *multi*, ut dixit idem Apostolus *ad Romanos cap.* 12. *vers.* 5. *unum Corpus sumus in Christo* -- Merito igitur Constantinus Magnus in Epistola nuper allegata de Synodo Nicena ad absentes Episcopos dixit -- ibi -- *Nefas esse, ut in tanti momenti negotio, & hujusmodi Religionis solemnitate dissensio reperiatur: Unum enim libertatis nostræ Festum diem, hoc est diem Sacratissimæ Passionis Servator noster nobis reliquit, unamque esse voluit Catholicam Ecclesiam.*

77 His ita discussis, quotiescumque unius diei differentia inter Computum Ecclesiasticum, & calculum astronomicum, sub eodem meridiano quandoque intercedens, *quantum fieri potest*, ut dicunt prememorati Recentiores, excludenda non esset, efficeretur, ut Christianorum Pascha non solum non contingat, prout ex vaticinio David, & Apostoli documento contingere debet, tempore Azymorum, quorum usus precise a decima quinta primi mensis usque ad vigesimam primam inclusis terminis, preceptus erat in Exodo *cap.* 12. *vers.* 15. 18. & 19. *Levitic. cap.* 23. *vers.* 6. & *libro numerorum cap.* 28. *vers.* 17., sed etiam contingat contra ipsum Apostoli documentum, tempore veteris fermenti, cujus usus, atque retentio prohibita Judęis solum erat illis septem Azymorum diebus, *Exodo loc. cit. & Deuter. cap.* 16. *vers.* 3. & 4. Est ne, qui de hoc dubitet? Demonstrabitur.

Quoties

78 Quoties enunciata unius diei differentia est per abundantiam, medíumque Plenilunium contingit die Lunę, sive feria secunda, Pascha celebraretur pridie ante ipsum Plenilunium; quoniam Computus Ecclesiasticus lunam decimam sextam pro decima quinta tunc signaret die Lunę; si vero idem Plenilunium contingit die 20. Aprilis, una, vel pluribus horis post ortum solis, Pascha apertissime celebraretur secundo mense; tum quia computus Ecclesiasticus lunam decimam sextam pro decima quinta tunc exhiberet die 20. Aprilis; tum quia medium Plenilunium, tunc pręcedens, uti patet ex dictis quęstione secunda, contingit in civili die 22. Martii.

Quoties autem ipsa unius diei differentia est per defectum, mediumque Plenilunium contingit die Dominico a pręcedente solis occasu, usque ad meridiem, Pascha celebratur cęlesti luna vigesima secunda, quoniam Computus Ecclesiasticus lunam quartam decimam pro decima quinta signaret illo die Dominico; si vero idem Plenilunium contingit Æquinoctii die 21. Martii a pręcedente solis occasu usque ad sequentem occasum solis, Pascha celebraretur ultimo Superioris Anni mense, quia Computus Ecclesiasticus lunam decimam quartam pro decima quinta tunc exhiberet prędicto Æquinoctii die 21. Martii.

79 Quapropter, si prędicta unius diei differentia; *quantum fieri potest* excludenda non esset, sequi videremur Novatianorum errorem, qui in Sangariensi Conciliabulo commemorato per Socratem *in Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 21., & Sozomenum *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 18. Suis licitum fecerunt -- ibi -- *eam consuetudinem in hoc Festo celebrando pro arbitratu sequi, quam sequi animo instituissent*. Pro arbitratu enim nostro id sequi videremur, ut nostrum Pascha alligatum non sit diei Dominico, qui quartę decimę primi mensis proxime succedit; sed pro arbitratu nostro vagare possit tam in ultimum Superioris Anni mensem, quam in secundum mensem, ac etiam in secundam, & quartam Lunę hebdomadam. Quis vero tantis est ignorantię tenebris involutus, ut rem adeo claram, sacrisque Canonibus repugnantem non videat? Quid amplius? Veteribus illis Judęis etiam indulgeremus, quos Christianorum institutum, & signanter studium, quod in die observando ponimus, dolose accusantes, Sanctus Gregorius Nissenus *loc. nuper citato* doctissime confutavit.

80 Sapienter igitur Paulus Middelburgensis Episcopus Forosempronienfis *lib.* 14. *suæ Paulinæ* prædictam unius diei differentiam non docuit, sed monuit -- ibi -- *unius horæ, quinimmo unius momenti differentiam in Paschæ celebratione magnam varietatem posse inducere*.

Atque ut magis, ac magis veritas elucescat, & gloriosa insignium Virorum memoria illibatè servetur, recitata verba Mathematicorum Gregorianorum, Petrique Gassendi, & Cristophori Clavii prædictam Recentiorum interpretationem non patiuntur. Mathematici enim Gregoriani in Libello, quem Gregorio XIII. Pontif. Max. exhibuerunt, aptissimè declararunt, uti patet ex verbis ejusdem Libelli relati *num.* 62., & 63. quòd in Cycli examine -- ibi -- *ea tantum regula utendum est, ut Cyclus, qui ad ipsius medii motus numerum propius accedit, is minora contineat errata, idemque præ ceteris sit eligendus*. Petrus verò Gassendus ea solùm compendiosè refert, quæ Clavius affirmat, & postea concludit, absolutè proferens allegata verba. Denique Cristopho-

81 phorus Clavius tantum abest, ut prædictam Recentiorum interpretationem admittat, ut potius ipse, volens Currentes Epactas cum illis Francisci Vietæ comparare, hoc sapienter præmittat fundamentum *cap.* 29. *num.* 13. *pag.* 584. -- ibi -- *In lunis decimis quartis ritè constituendis tota desudare debet industria ejus, qui Epactas in Calendario ordinare in animum inducit. Scio equidem, nullum Cyclum in Calendario quavis sedulitate, ac diligentia digestum ita calculo Astronomico congruere posse, ut interdum per diem fermè integrum ab eo non dissentiat .... Tantùm magnopere enitendum est, ne lunæ decimæ quartæ Cycli oppositiones medias pluribus diebus, quàm uno antecedant: Item ne (nisi valde raro, & hoc ob imperfectionem Cycli) citissima oppositio Paschalis diem* 22. *Martii præveniat* --. Insuper idem Clavius *cap.* 27. *num.* 4. §. *Adscribimus &c. pag.* 614. easdem Epactas conferens cum illis Josephi Scaligeri sic monet -- ibi -- *Illud curare summo studio debemus, ut Cyclus ita disponatur, ut quàm paucissima errata contineat.*

ALIA EXPENDITUR EORUMDEM RECENTIORUM PROPOSITIO.

82 Propositioni jam confutatæ aliam propositionem ipsi Recentiores proponunt dicentes -- *Unius diei differentia quandoque occurrens inter calculum astronomicum, & computum Ecclesiasticum, non est nova, atque emendanda, sed antiqua, & retinenda* --. Pro recto hujus propositionis examine exquirendum est, cui non nova, sed antiqua sit unius diei differentia, QUANDOQUE OCCURRENS inter calculum astronomicum, & computum Ecclesiasticum? Hoc enim cognito deinde emergit, an hujusmodi differentia emendanda sit, vel retinenda. Notissimum est, quòd Ecclesia pro indictione Paschæ civilem Cyclum adhibuit, ad cujus normam directus est Computus Ecclesiasticus. Quare cum ea sit cujusvis Cycli natura, ut cœlestibus motibus interdum non consentiat, uti supra probatum est verbis etiam Bullæ Clementis VIII. Pont. Max., prædicta differentia ideo non est nova, sed antiqua, quia Ecclesia Cyclo usa est pro indictione Paschæ. Dum igitur expenditur, an hujusmodi differentia retinenda sit, vel emendanda, hæc quæstio non respicit materiam, de qua agimus, nempe Cycli ordinationem, vel examen; sed solùm respicit Cyclorum usum, an scilicet Cyclorum usus in Ecclesia retineri, vel antiquari debeat. Quoties enim antiquaretur prædicta differentia, necessariò antiquaretur etiam Cyclorum usus, quorum natura est illa includere. His positis, prædicta Recentiorum Propositio, quatenus respicit solùm retentionem usus Cyclorum, non arguitur; quemadmodum ipsi Recentiores illam in hisce terminis protulisse videntur, quoniam præter morem, Propositionem prædictam convalidant pluribus rationibus, quæ solùm probant, antiquandum in Ecclesia non esse usum Cyclorum.

83 Cæterum si quis ex prædicta Propositione forsan inferret, Currentes Epactas esse retinendas, utique erraret; tum quia rectitudinem in celebratione Paschæ contra ea, quæ dicta sunt, non curaret; tum quia doctrinæ etiam Mathematicorum Gregorianorum superius allegatæ adversa-

verfaretur, qui Cyclum, rectius Epactis etiam verè Gregorianis procedentem, anteferendum esse docent; tum denique quia illa unius diei differentia, quatenus respicit Cycli Paschalis directionem, esset nova, & non antiqua, uti constat non solùm ex correctione, quam de Cyclo Julii Cæsaris, longè rectius Epactis Currentibus olim procedente, peregit Sanctus Dionysius Archiepiscopus Alexandrinus, memoratam Quæst. prima *num.* 30., verùm etiam ex Cyclo, quem Nicæni Patres ediderunt; ac demum ex methodo, qua iidem Nicæni Patres, ut evidenti demonstratione patefeci Quæstione quinta *num.* 21., *&* *seqq.*, suum Cyclum disponere poterant, uniformem scilicet, Epactis Currentibus, at non disposuerunt. Quare ipsę Epactę, quippe quę prędictam unius diei differentiam præseferunt, quo præcise modo Nicæni Patres efficere potuerunt, & non fecerunt, antiquandæ omnino sunt, non
84 autem retinendæ. Patres enim Concilii Calcedonensis sub Sancto Leone Magno celebrati, *Actione decima quinta* apud Conciliorum Collectionem Regiam maximam *tom.* 2. *pag.* 602. ita decreverunt -- *Regulas a Sanctis Patribus in unaquaque Synodo usque nunc prolatas teneri statuimus*. Sanctus verò Leo Magnus pronunciat, dicens apud Dionysium Exiguum in Epistola ad Proterium, relata a Petavio *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Appendice* -- ibi -- *Contra statuta Canonum Paternorum, quæ ante longissimæ ætatis Annos in Urbe Nicæa spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur; ita ut si quis diversum quid velit decernere, se potius minuat, quàm illa corrumpat. Quæ si, ut oportet, a cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias pax erit, & firma concordia*. Et iterum: *In omnibus, inquit, Ecclesiasticis causis his legibus obsequimur, quas ob pacificam observantiam omnium Sacerdotum per* 318. *Antistites Spiritus Sanctus instituit, ita ut etiamsi multi plures aliud, quàm illi statuère decernant, in nulla reverentia sit habendum quidquid fuerit a prędictorum constitutione diversum*. Hæc verba vere fuisse Sancti Leonis Magni dubium non est, quia leguntùr in ejusdem Epistola 55. ad Pulcheriam Augustam. Usque adeo igitur verum est, Epactas, quas adhibemus, retinendas non esse, ut contra ipsas pronunciet Calcedonense Concilium, & Sanctus Leo Magnus.

His ita discussis

AD SECUNDAM PARTEM TERTIÆ QUÆSTIONIS respondetur, quod -- CYCLICAM QUARTAMDECIMAM (QUANTUM FIERI POTEST,
„ AC NATURA CYCLI CIVILIS PATITUR) CUM ILLA EX SENSU CATHOLI-
„ CÆ ECCLESIÆ UTI SUPRA ACCEPTA QUADRARE OPORTET, UT CYCLUS
„ RECTE' SIT CONSTITUTUS.

C O R O L L A R I U M.

QUO RESOLUTIO TERTIÆ QUÆSTIONIS CONFIRMATUR, EXPLICATA DEMONSTRATIVE' MATERIA.

85 Undique gravissimis difficultatibus intricatam vidimus Lunæ decimæ quartæ Paschalis definitionem; & cum ab illis omnibus eam vindicaverim optarem, ut ex vindiciis ipsis quisque colligat, quod civiles

les Lunæ dies nos quoque nostra jam exhibita Paschalis quartæ decimæ definitione putamus cum Lunæ ætate, quemadmodum id per alios effici, disertè declarat doctissimus Anonymus §. *Non desunt*, *&c.* sed cum cœlestes, sive astronomici Lunæ dies, qui incipiunt a momento medii Novilunii, duobus diebus civilibus fere semper ex parte congruant, altero scilicèt incipientes, altero desinentes, ut èleganter explicat ipse Anonymus §. *Sed quoniam &c.*, civiles Lunæ dies nos putamus cum illa Lunæ ætate, propter quam cyclaris quartadecima includat ultimas horas 5. *minut.* 37., *&* *sec.* 59. ad ultimum cœlestis quartædecimæ quadrantem pertinentes; vel saltem de hisce horis horarumque fragmentis participet; aut prorsum a cœlestis quartæ decimæ initio, usu scilicet Virtutis *Synesis*, aut retrorsum quartæ decimæ fine, usu nempè Virtutis *Gnome*: illud, claritatis gratia, nos adnotantes, quod in definiendo fine cœlestis quartæ decimæ nullum discrimen oritur, sivè prorsum a novilunio, sivè retrorsum a plenilunio, computetur, dummodo ex hoc horæ 18. *min.* 22., *&* *sec.* 2. perpetuò subtrahantur. Hac ipsa regula lunam primam, ac reliquas ad quartamdecimam computamus; & hanc regulam implicitè profert nostra Paschalis quartæ decimæ definitio, quod erit breviter demonstrandum.

86 Finis cœlestis quartæ decimæ a quolibet dato Plenilunio medio distat, distat, inquam ———— D. o. hor. 18. 22, 2"
Quibus addendæ sunt prædictæ horæ nempe — D. o. 5. 37. 59"

Summa, quæ est ———— D. 1. o. o. 1"
Subtrahi debet ex quolibet dato medio plenilunio, & illico innotescet, quòd civilis dies, qui proximè præcedit civilem diem Plenilunii medii, perpetuò includit prædictas horas 5. *min.* 37., *&* *sec.* 59. ad ultimum cœlestis quartæ decimæ quadrantem pertinentes, vel saltem de hisce horis, horarumve fragmentis prorsum ab ipsarum initio participat. Rursus illico innotescet, quòd usus Virtutis *Gnome* quem nostra definitio amplectitur, & quam explicavi *Quæstione secunda*, de eisdem horis horarumve fragmentis elegantius participat, nempe retrorsum ab ipsarum horarum fine. Hæc vero omnia exemplis fient clariora.

87 Quando medium Plenilunium contingit initio civilis diei, scilicet hora 6. min. o. & sec. 1. post meridiem, civilis dies, qui huic Plenilunio proxime præcedit, prædictas horas, horarumve fragmenta præcise includit, quemadmodum memorata subtractio unius diei & hor. o. min. o. & sec. 1. clare manifestat. Fortius ergo ipse civilis dies proxime ante Plenilunium, easdem horas quinque, horarumque fragmenta includit, quando medium Plenilunium contingit successivis horis usque ad meridiem, ac minutis 22. & sec. 2. post meridiem.

88 Quando vero medium Plenilunium contingit in fine civilis diei, nempe horis 6. min. o. & sec. o. post meridiem, si ex eo fiat præmemorata subtractio unius diei hor. o. min. o. & sec. 1., manifestum est, quod civilis dies, qui huic Plenilunio proxime præcedit, insigniturque usu virtutis *Synesis*, de qua locutus sum quæstione secunda, unicum minutum secundum includit de prædictis horis quinque, horarumque fragmentis prorsum ab earumdem initio. Hinc est, quod eo ma-

jorem partem includit de prædictis horis 5. min. 37. & sec. 59., quò major erit medii Plenilunii distantia ab occasu solis meridiem versus.

89 Quando denique medium Plenilunium contingit, uti proxime expositum est, in fine civilis diei, adhibeturque usus virtutis *Gnome*, civilis dies, in quo continget medium Plenilunium, de prædictis horis retrorsum ab ipsorum fine includit horas 5. min. 37. & sec. 58. atque eo minorem partem includit de hisce horis, horarumque fragmentis, quo major est medii Plenilunii distantia ab occasu solis, meridiem versus.

90 Nostra igitur Paschalis quartæ decimæ definitio perpetuo spectat illum solum diei civilis quadrantem, in quo, exorta cęlesti quarta decima cum die civili, Hebręis *in Exodo cap. 12. Levit. cap. 13, ver. 5. & Libro numerorum cap. 9. ver. 3.* Phase, sive Agni immolatio pręcepta erat; ac pręcipue hunc diei quadrantem spectat, non in ea pręcise parte, qua sol, moraliter saltem, in meridiano moratur [hoc enim temporis spatium potius ad meridiem pertinet, quam ad vesperam] sed in ea parte, qua sol inclinationem suam occasum versus, propter pomeridianas umbras ex parietibus ad normam lineę meridianę edificatis, manifestat; & in qua Hebręi defacto Agnum immolabant, ut refert Philo Judęus *in lib. de septemnario & Festis pag. 1189. in fine, & seq.* dicens — *Hebræi quartodecimo die Lunæ sacrificant per coetus populares exorsi a meridie ad vesperam usque* — Quare perpetuo circumeuntibus per totum civilem diem ultimis illis cęlestis quartę decimę horis, quę [dato simul initio cęlestis quartę decimę, civilisque diei] respondent prędicto ultimo civilis quartę decimę quadranti, eadem Paschalis quartę decimę definitio efficit, ut cyclaris quarta decima semper illas horas quinque, harumque fragmenta includat, ut saltem in hisce horis, horarumque fragmentis, uti supra, participet.

91 Itaque consequens est, ut quam participationem de cęlesti quarta decima habet, uti supra, cyclaris quarta decima, habeat etiam cyclaris luna prima, & cęteri cyclares Lunę dies de cęlestibus Lunę diebus. Quapropter data conjunctione, vel prope, linearum verorum motuum cum lineis mediorum, dubium non est apud peritiores Astronomos, possibile semper esse, ut ad vesperam desinentis Cyclaris lunę primę, uti supra acceptę, Luna nova videatur a solaribus radiis expedita; quidquid circa tardiorem, vel celeriorem apparitionem Lunę primam emergere possit propter ea, quæ dicta sunt *Quæstione secunda, num. 11.* Spatio enim horarum 18. & min. 22. quæ a momento novilunii ad finem cyclaris lunæ primæ, uti supra acceptæ, ad minus intercedunt, Luna tot gradibus a Sole elongatur, ut videri possit ad vesperam ejusdem desinentis lunæ primæ cyclaris.

92 Nostra igitur quartæ decimæ Paschalis definitio tum iis omnino congruit, quæ congesta sunt *num. 57.*, tum verbis Gemini *cap. 16.*, qui Ciceronis tempore floruit, atque apud Langium *de Annis Christi lib. 1. cap. 12. pag. 147.* sic loquitur — ibi — *Secundum Lunam vero dies agere tale est, ut congruant cum Lunæ illuminationibus appellationes dierum. Nam a Lunæ illuminationibus appellationes dierum sunt denominatæ. In qua enim die apparet nova, ea per Synaleophen numenia, sive novilunium est vocatum. Qua vero die secundam facit visionem, secundam appellarunt.*

IN-

INDEX

PRÆCIPUORUM ARGUMENTORUM,

Quæ in Dissertatione post Quæstionem tertiam habentur.

DISSERTATIO.

N.1 Dum agebam de tertia Anonymi quæstione, dixi *num.* 53. contra quosdam Recentiores, merum esse commentum, quod Romana Ecclesia usque ad Sanctum Leonem Magnum exhorruerit celebrationem Paschæ luna decima quinta; ac etiam falsum esse, quod ipsa Ecclesia tunc consueverit hoc festum recolere luna vigesima secunda, dimissa decima quinta. Nimis a proposito digressus fuissem, si hæc etiam undique explorata ibidem exhibere studuissem. Quamobrem ne quidquam a vetustissimo Ecclesiæ ritu in hac re circa tempora Sancti Leonis Magni immutatum videatur, ut disertissime tradit Eminentiss. Noris; exteræque Christianæ Nationes, quæ Calendarium Gregorianum adhuc amplexæ non sunt, varietatem ab iisdem Recentioribus proclamatam *num.* 48. audientes, ullo modo tardiores fiant ad unionem, proposui *num.* 56. in præcipua Dissertatione peragere de hac questione.

An Romana Ecclesia prioribus quinque Christi sæculis exhorruerit celebrationem Paschæ luna decima quinta, & consueverit hoc Festum recolere luna vigesima secunda, dimissa luna decima quinta. Ne vero, quæ dicentur, ullo modo in dubium revocari possint, proposui etiam peragendum de dissidiis, quæ in celebratione Paschę fuerunt ante Nicæni Ævum, & usque ad tempora Sancti Leonis Magni; & sic intelligemus genuinam Sacrosancti Concilii Nicęni primi dispositionem; & insuper veram illorum perintricatorum temporum ordinationem, & consequenter veram Chronologiam, & Historiam assequemur. Iis, quæ proposui, quam diligentissime satisfaciam, nulli parcens labori.

AN ROMANA ECCLESIA PRIORIBUS QUINQUE CHRISTI SÆCULIS EXHORRUERIT CELEBRATIONEM PASCHÆ LUNA DECIMA QUINTA.

2 Prædictam quæstionem pro parte affirmativa primus edidit Joseph Scaliger, deinde confirmavit Ægidius Bucherius, ac denique amplissime

in

in Differt. ad Faftos Confulares, & in Differt. de Pafchali Latinorum Cyclo vulgavit contra Chriftophorum Clavium Eminentifs. Noris, quem prędicti Recentiores citant, atque fequuntur. E contra vero Illuftrifs. Euftachius Manfredi quem totius olim Italię decus, fempiternę nunc felicitatis compotem fperare fas eft, & qui rude meum Pafchale Opus, nondum pręlo commiffum ex pręcipua deputatione legit, fic de ipfo Opere loquitur in fua Relatione apud Epitomen *pag.* 213. — ibi — *ponendofi fpecialmente in tutta l' evidenza contro il parere di alcuni dottiffimi Uomini non effere ftato aborrito, anzi fempre praticato dalla Chiefa Romana il celebrar la Pafqua nella luna decima quinta, e di prendere il principio del mefe Pafquale uniformemente alla Chiefa Aleffandrina* — Quod ipfum a me fuiffe expofitum in Epitome *pag.* 109. *& feq.* non preterierunt clariffimi viri, qui *nova Acta, Eruditorum*, literarię Reipublicę valde utilia Lipfię accuratiffime publicant, fignanter Anno 1734. Kalendis Septembris. Nunc vero quoad primam partem quæftionis propofitæ fic procedo.

3 In Concilio Romano, quod celebratum fuit circa Annum Domini 198. fub fancto Victore primo Papa, & Martyre, apud Labbe *tom.* 1. *Concil. pag.* 596. legitur ita fuiffe ftatutum — ibi — *Decretum eft, Pafcha non decima quarta luna primi menfis, fed potius die Dominico poft decimam quartam Lunam, & vernale Æquinoctium occurrente, prout AB APOSTOLIS TRADITUM EST, celebrandum effe* — Quomodo ergo Romana Ecclefia exhorrebat — *lætum ac Feftum diem Refurrectionis* — recolere luna quinta decima, fi clare ftatuit, Pafcha celebrandum effe die Dominico poft quartam decimam lunam primi menfis.

4 Hoc Concilium memorat Eufebius Pamphili *lib.* 5. *Eccl. Hift. cap.* 23., atque vita ejufdem Sancti Victoris in libro Anaftafii Bibliothecarii de vitis Pontificum Romanorum nuper edito cum egregiis notis Illuftrifs. Blanchini *tom.* 1. *pag.* 16. *& tom.* 2. *pag*, 133. Tenorem vero ejufdem Decreti quoad *primam* partem comprobant tum verba Apoftoli Pauli fuperius expofita *Quæft.* 3. *num.* 69. *& feqq.* tum notiffima quorundam Orientalium pertinacia, qui deinde Quartadecimani appellati fuerunt; tum verba Sancti Ambrofii in Epiftola 83. ad Epifcopos per Æmiliam conftitutos — ibi — *Hæc Lex Pafchæ nobis fervata eft, ut NON QUARTAM DECIMAM obfervemus in die Refurrectionis.*

5 Quo autem ad *alteram* Decreti partem comprobat Dionyfius Archiepifcopus Alexandrinus, qui floruit circa Annum Domini 267. in Epiftola ad Domitium *apud Eufebium Pamphili in Hift. Ecclef. lib.* 7. *cap.* 20., dicens — ibi — *Feftum Pafchæ non nifi poft Æquinoctium vernum celebrari oportere* — Et Sanctus Epiphanius *ad Herefim* 70. affirmans — *Pafcha ante celebrari non poteft, quam Æquinoctium confectum fit; quod Judæi nequaquam obfervant, apud quos depravata funt omnia*; ac denique inter cæteros latinos Patres venerabilis Beda *lib. de Temp. ratione cap.* 28. ubi leguntur hæc verba — *Catholicæ inftitutionis regula præcipit, ut ante vernalis Æquinoctii tranfgreffum Pafcha non celebretur.*

6 Denique Decreti tenorem quoad illud adjunctum — *prout ab Apoftolis traditum eft* — comprobant pręcife verba Apoftoli Pauli expofita poft refponfum ad primam partem tertiæ quæftionis Anonymi *num.* 66. *& feqq.*, nec non ea, quæ Eufebius Pamphili *in Hift. Ecclef. lib.* 5. *cap.* 23.

cap. 23., Synodos commemorans tempore Sancti Victoris Primi Papæ celebratas, scriptis commisit — ibi *Episcopi vero Palestinę . . . . . . & qui simul cum ipsis convenerant, postquam de TRADITIONE diei Paschalis, quem jam inde ab Apostolis, ad ipsos continua successione manaverat, multa in suis literis disseruerunt, tandem ad finem Epistolę his utuntur verbis*; *Date operam, ut Epistolę nostrę exemplaria per omnes Ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui animas a recto veritatis tramite facile abducunt* — Cæsariensis ergo Concilii Patres non perfunctorie, sed *multa* de prædicta diei Paschæ Traditione disseruerunt. Quomodo ergo illud Decreti adjunctum ad præsens in dubium revocari potest? Rursus ejusdem adjuncti tenorem comprobant verba Constantini Magni in Epistola de Synodo Nicæna ad absentes Episcopos, quam refert Eusebius *de vita Constantini lib.* 3. *cap.* 18. *Socrates lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 6. Theodoretus *in Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 10. — ibi — *Unum enim libertatis nostrę Festum diem, hoc est diem Sacratissimę Passionis* [nempe lunam decimam quintam] *Servator noster nobis reliquit, unamque esse voluit Catholicam Ecclesiam* — ac etiam verba Sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini in Prologo apud Petavium de Doct. Temp. tom. 2. in Append., & apud Ægidium Bucherium *in Comment. in Cyclum Victoris Aquitani* — ibi — *Sanctum Paschę Mysterium, ejusque Sacra Solemnitas, sicut est a Salvatore nostro Apostolis tradita, illibata mansisset, si eam quorumdam perversitas inter cetera Fidei Sacramenta minime temerasset* — Et insuper verba Sancti Proterii Martyris, similiter Patriarchæ Alexandrini in Epistola ad Sanctum Leonem Magnum apud Petavium, & Bucherium *loc. cit.* — ibi — *Magisterium Beatissimi Apostoli Petri esse computum Paschalis Solemnitatis, quod ab initio per Beatum Marcum ejus Discipulum didicerunt Ægyptii, quod etiam primum didicerunt Romani* —; ac denique ea, quæ refert Socrates *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 21. — ibi — Romani vero, & qui Occidentis Partes incolunt, consuetudinem, quæ apud ipsos viget, a Paulo, Petroque Apostolis accepisse se dicunt.

7 Cognita veritate dispositionis prædicti Romani Concilii, annon ex ea manifestum est, Romanam Ecclesiam non abhorruisse, sed expresse voluisse celebrationem Paschæ luna decima quinta? Hoc ipsum insuper confirmat Epistola Sancti Victoris Primi Papæ ad Theophilum Cæsariensem in Palestina Episcopum, relata a Labbe *tom.* 1. *Concil. pag.* 191., & Harduino *tom.* 1. *Concil. pag.* 103., atque reposita in cap. *Celebritatem*. *De Consecratione dist.* 3., ubi sic legitur — *Celebritatem sancti Paschæ die Dominico agi debere, & Prædecessores nostri jam statuerunt, & nos illud eadem die solemniter celebrari mandamus; quia non decet, ut membra a Capite discrepent, aut aliter gerant. A quartadecima verò luna primi mensis usque ad vigesimam primam ejusdem mensis eadem celebretur Festivitas*. Quid clarius dici poterat, ut certò constet, Romanam Ecclesiam non abhorruisse Paschæ celebrationem luna decima quinta?

8 Hanc Epistolam extitisse constat ex Eusebio *in Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 23., dicens — *alia item extat Epistola Synodi Romanæ, cui Victoris Episcopi nomen præfixum est*. Ejusdem verò Epistolæ tenorem comprobat non solum consonantia, quam ipsa habet cum allegato Romano Concilio, sed etiam Vita Sancti Victoris apud Anastasium Bibliothe-

bliothecarium *loc. citat.* in qua cum eadem allegata verba legantur, dubitandum non est, ipsa desumpta fuisse ex prædicta Epistola; & demum comprobat Cæsariense Concilium, Præsidente prælaudato Theophilo, qui memorato Concilio Romano interfuerat; atque authoritate, & hortatu ejusdem Sancti Victoris celebratum. In Synodali enim hujus Concilii Epistola, quam Eusebius *in Hist. Eccles. lib. 5. cap. 23*, & Sanctus Hieronymus *in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorum tom. 4. pag. 114.* memorant; Beda verò *lib. de Vernali Æquinoctio*, nonnullique Conciliorum Collectores, & Clavius *in Explicat. Calendarii cap. 1. num. 5.* referunt, decretum legitur, Pascha die Dominico agendum esse; & insuper -- ibi -- *De Luna divinum præceptum teneatur; mandatum per Moysen sit vobis observatum a decima quarta luna usque ad vigesimam primam* --; ac propterea non secus, ac in prædicta Epistola Sancti Victoris.

9 In prædictorum confirmationem, nota dignum est, quod ait Rufinus Aquilejensis *in Hist. Eccles. lib. 5. cap. 6.* Ipse postquam nonnulla summatim retulit statuta Nicæna, in fine sic loquitur -- *Igitur cum de his, prout Divinarum Legum reverentia poposcerat, decrevissent, sed & de observatione Paschæ ANTIQVVM CANONEM, PER QVEM NVLLA DE RELIQVO VARIETAS ORIRETVR, Ecclesiis tradidissent, omnibus ritè dispositis, Ecclesiarum pax, & fides in Orientis, atque Occidentis partibus una, atque eadem servabatur* --. Rufinus expresse non loquitur de prædicto Canone Sancti Victoris, sed nullus alius assignari potest antiquus Canon hoc speciali caractere signatus, *per quem nulla de reliquo varietas oriretur*, nisi allegatus Canon Sancti Victoris; cursu enim septem dierum, quoti sunt a luna decima quarta exclusivè ad vigesimam primam inclusivè, una solùm Dominica perpetuò invenitur. Ergo Rufinus tacitè, sive per antonomasiam loquitur de Sancti Victoris, aut (quod in idem recidit) prædicti Romani Concilii Canone, quem Nicæni Patres observandum Ecclesiis tradiderunt. Si ergo Nicæni Patres aliis Ecclesiis observandum tradiderunt hunc Sancti Victoris Canonem de celebrando Paschate luna decima quinta, quomodo id abhorruit Romana Ecclesia?

10 Nec temerè prædicta affirmavit Rufinus; concordat enim non solùm cum iis, quæ dixit Acesius apud Socratem, & Sozomenum inferius sub *num.* 224., verum etiam cum verbis Epistolæ Constantini Magni sub *num.* 20. §. *Deinde &c.*, & *num.* 21., ac denique cum verbis Decreti Nicæni. Quod enim, uti supra, a Sancto Victore primo, & Concilio Romano statutum est, idipsum revera Ecclesiis traditum fuisse habemus in Nicæno primo Concilio. Hujus Concilii Decreta ex quatuor Regum ad Constantinum libris excerpta, interpetre Abrahamo Ecchellense Maronita è Libano refert Labbe *tom. 2. Concil. pag.* 376., atque Harduinus *in Actis Concil. tom. 1. pag.* 517., quorum Decretorum alterum est *cap.* 21., ubi sic legitur -- *Orta est inter nos* (A) *maxima contentio de instantis Paschatis celebratione. Compertimus enim* (F) *tria præcipua Orbis Climata una cum reliquo universo sub Sole Orbe concorditer eundem celebrare Paschatis diem; Asiam* (h) *verò solam, & subjectas ei Regiones, quæ minima respectu cæterarum pars est, in hoc dissidentem. Quamobrem bene nobis visum est, ut Asiatici, & qui ad eos attinent* (g), *Romanorum; & Alexandrinorum, ac reli-*

reliquorum sequentes exemplum, cæteris conformentur Orbis habitatoribus, & concorditer Pascha celebrent, una (b] *eademque die, qua Dominus* (c) *resurrexit a mortuis, quæ* [d] *quartam decimam lunam primi mensis subsequitur.*

11 Prælaudatus Abrahamus in sua Dissertatione relata *tom. 2. Concil. ad Regiam editionem exaratorum Lutetiæ Parisiorum Anno* 1671. *pag.* 39, *& seqq.* utique non contemnenda plura pereruditè congerit, quibus suspicionem suppositionis prædictorum Nicænorum Canonum avertere nititur. Quidquid verò sit de genuino illorum Canonum textu; nos veritatem solius allegati Decreti Nicæni ostendimus solùm quoad substantiam dispositionis ipsius tum in genere, tum in specie; deinde verò agemus de dissidiis, quæ ante Nicæni Ævum extabant in celebratione Paschæ, ac denique de genuino sensu dispositionis Nicænæ.

UNDE APPAREAT VERITAS ALLEGATÆ DISPOSITIONIS NICÆNÆ TUM IN GENERE, TUM IN SPECIE.

12 Dubium non est propter hæc duo, scilicet, propter celebrationem Paschæ, ac propter Arrii hæresim, primum Nicænum Concilium fuisse convocatum. De hoc inter cæteros fidem facit Sanctus Athanasius, qui *tom. 1. part. 2. de Synodis pag.* 719. *novæ editionis*, sic ait — *Nicæna Synodus non temerè, sed ex urgente necessitate, & ex legitima causa coacta est; nam Syriæ, Ciliciæ, & Mesopotamiæ Populi circa Festi celebrationem claudicantes, cum Judæis Pascha celebrant. Arriana quoque hæresis adversus Catholicam Ecclesiam insurrexerat .... Quæ causa fuit æcumenicæ convocandæ Synodi, ut ubique una Festi dies celebraretur, & hæresis, quæ pullularat, anathemate damnaretur*; ac etiam fidem facit Epistola Episcoporum Ægypti, & Libiæ nonaginta, necnon Sancti Athanasii contra Arrianos ad Episcopos Africanos apud Sanctum Athanasium *tom. 1. part. 2. pag.* 892. *num.* 2., ubi sic legitur — *Illa* (nempe Nicæna Synodus) *ob Arrianam hæresim, & ob Paschatis solemnitatem convocata fuit; quia Syri, Cilices, & qui in Mesopotamia degunt, a nobis dissidebant, & tempore* (notetur, quod in versione Latina additum fuit — *eodem* —, in textu enim Græco solùm legitur — tempore) *quo Judæi celebrant, ipsi quoque celebrabant. Sed gratia Domino, quòd cum de Fide, tum de sancta illa solemnitate, omnium una mens fuit. Et hæc quidem Nicænæ Synodi causa.* Nec solùm propter enunciatas causas ipsum Concilium convocatum fuit, sed in eo etiam Decreta de Pascha edita fuerunt, uti fidem facit idem Sanctus Athanasius, qui eidem interfuit Concilio, *tom. 1. part. 2. in Synodis pag.* 719. dicens — ibi — *de Paschate quidem ita scripsere: Decreta sunt, quæ sequuntur: tunc enim decretum est, ut omnes morem gererent* —. De veritate igitur Dispositionis Nicænæ saltem *in genere* dubitari nequit, quam veritatem confirmat Concilium Antiochenum Anno 341. celebratum apud Labbe *loc. cit. pag.* 581., & Harduinum *loc. cit. pag.* 592., in quo ita sancitum fuit — *Omnes, qui audent dissolvere regulam sancti, & ma-*

& magni Concilii Niceni, quod celebratum est in presentia Dei amantissimi Constantini Imperatoris de sancta, & salutari Festivitate Paschali Salvatoris nostri excommunicatos, & ejectos ab Ecclesia esse debere.

13 Veritatem autem *in specie* allegatæ Nicænæ Dispositionis ostendit, silentio præteritis auctoritatibus Sancti Ambrosii in Epistola 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos, Dionysii exigui in Epistola ad Proterium Isidori Hispalensis, Bedæ, & aliorum quibus clare constat Nicænam Synodum præstituisse Paschæ celebrationem die Dominico proximè post quartam decimam primi mensis, ut habetur in allegato Decreto; ac etiam præteritis iis quæ leguntur in lectione Officii Sancti Victoris die 28. Julii; ostendit, inquam.

14 *Primo*, Concilium Romanum sub Sancto Sylvestro Papa cum interventu 275. Episcoporum eodem Nicæni Anno 325. celebratum, relatumque a Labbe *loc. cit. pag.* 410., & Harduino *loc. cit. pag.* 527. In hoc enim Concilio sic legitur — *Sylvester Episcopus Sancte, & Apostolice Sedis Urbis Rome dixit: Quidquid in Nicea Bitinie constitutum est ad robur Sancte Matris Ecclesie Catholice, & Apostolice a sanctis Sacerdotibus tercentis decem, & octo, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes autem, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti, & magni Concilii, quod apud Niceam congregatum est sub presentia piissimi, ac venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes; Placet.*

De Pasche solemnitate omnibus Episcopis, & Presbiteris preceptum est, Pasche observantiam custodire a luna decima quarta usque ad vigesimam primam, ita ut Dominicus dies coruscet. Et dixerunt Episcopi; Placet. Quid clarius, quid validius induci potest, ne de veritate allegatæ Nicænæ dispositionis ambigamus? Hoc ipsum enim præcisè concordat cum postremis verbis ejusdem Nicænæ Dispositionis. Dies namque Dominicus, qui quartam decimam lunam subsequitur, perpetuò est luna decima quinta, aut decima sexta, aut decima septima, aut decima octava, aut decima nona, aut vigesima, aut vigesima prima; nec ultra progredi potest, ut per se patet. Hisce verò explicitè in hoc Romano Concilio declaratis, quomodo Romana Ecclesia celebrationem Paschæ exhorruit luna decima quinta? Si denique formulam locutionis, nempe *Pasche observantiam custodire* in eodem Concilio adhibitam spectemus, an non ex ea resultat, quod in Romana Ecclesia temporibus tunc præteritis Pascha fuerit celebratum luna decima quinta? Non enim custoditur, quod antea servatum non fuit.

15 *Secundò*, Epistola, quam ipsa Nicæna Synodus misit ad Ecclesiam Alexandrinam, & ad Fratres, Ægyptum, Libiam, & Pentapolim incolentes, relata per Socratem *lib.* 1. *Histor. Ecclesf. cap.* 9. *pag.* 29., atque Theodoretum *in Hist. Ecclesf. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 33. Hujus Epistolæ verba refert Clavius *in Explic. Calend. cap.* 1. *num.* 5. *pag.* 60., & cum greco textu non concordant. Quare in latinum sermonem eadem vertere censui, prout præcisè jacent apud Socratem, & sunt — *Nuntiamus autem vobis de consonantia Sanctissimi Paschæ, quod vestris precibus constitutus est & hic articulus quemadmodum omnes, qui sunt in Oriente Fratres, cum Judæis antea facientes, unanimiter cum Romanis, & vobiscum, & omnibus, qui ab ultima antiquitate vobiscum custodiunt Pascha, deinceps agere.*

16 Revera apud Socratem pro verba -- *vobiscum* --, utrobique legitur -- *nobiscum* --, censui nihilominus legendum esse *vobiscum*; tum quia sic legitur apud Theodoritum; tum quia utrumque verbum eodem modo apud Recentiores Græcos profertur, & consequenter facilè est unum pro altero scribere, præsertim si quis scribat, & ea, quæ scribenda sunt, alter proferat; tum etiam, quia verbum -- *vobiscum* -- congruit Epistolæ Constantini Magni sub litera: f. & g. inferius referendæ; tum denique, quia si legendum esset -- *nobiscum* -- sensus Nicænæ Epistolæ non appareret. Ultra enim repugnantiam, quam hæc verba -- *ab antiquis temporibus* -- haberent ex dicendis cum verbo -- *nobiscum*; Nicæni Patres, qui uniformitatem certò præcipiunt in celebratione Paschæ dissonantiam potius indicare viderentur, verbo *nobiscum*; quoniam inter Nicænos Patres [uti manifestant Episcoporum subscriptiones apud Labbe, & Hardninum, & Regiam Conciliorum Collectionem in fine Canonum viginti Nicænorum] connumerantur etiam non pauci Episcopi ex Oriente, qui a Romanis, ac cæteris antea dissidebant, & quos ad uniformitatem cum Romanis, ac cæteris Nicæna Synodus reduxit.

17 His positis, veritatem præmemoratæ Nicenæ Dispositionis hæc Nicæni Epistola ostendit. Utrobique enim commemoratur dissidium in celebratione Paschæ tunc extitisse inter Orientales, & cæteras Orbis partes; insuper exemplum Romanorum, atque Alexandrinorum fuisse traditum, ut hoc omnes sequerentur; ac etiam exemplum Romanorum primo loco fuisse positum; denique Pascha concorditer esse celebrandum, adeout verba sint diversa, sensus verò verborum sit idem. Id porrò, quod ulterius legitur in præallegato Nicæno Decreto per hanc Nicæni Epistolam non excluditur. Illa enim ejusdem Epistolæ verba -- *constitutus est, & hic articulus* -- manifestant propter particulam -- *&* -- manifestant inquam, alia quoque a Nicæno Concilio fuisse explicitè declarata, uti supra confirmatum est ex Concilio Romano Anni 325., & deinceps constabit ex Epistola Constantini.

18 Dum sermo est de hac Nicæni Epistola, animadverti debet, cur Nicæna Synodus Romanos cæteris quibuscumque antepoſuit? Profectò ipsa Synodus id non effecisset, nisi existimasset, exemplum Romanorum primo loco ponendum esse. Hac igitur ratione Nicæni Patres illud insinuasse videntur, quod dispositum fuit a Sancto Pio Papa Primo *in cap. Nosse de Consecratione dist. 3.*, ubi dicitur -- *non debetis a capite qaoquo modo discedere*, & a Sancto Victore Papa Primo *in cap. Celebritatem loc. cit.*, ubi legitur -- *non decet, ut membra a Capite discrepent, aut aliter gerant*. Rursus animadverti debet inter Romanos, & Alexandrinos eundem fuisse celebrandi Paschæ morem, quoniam exemplum Romanorum, æquè ac Alexandrinorum [directa enim erat hæc Epistola etiam ad Ecclesiam Alexandrinam] Nicæni Patres tradiderunt, ut Orientales sequerentur, & ita unanimiter ab omnibus Pascha celebraretur. Atqui nemo dubitat, & Eminentissimus Noris; & qui Recentiores eum sequuntur, ingenuè fatentur, Alexandrinos consuevisse Pascha celebrare luna decima quinta in Dominicum diem incidente; quomodo ergo dici potest, quod id exhorruerit Romana Ecclesia? Profectò id, quod Recentiores nimia licentia ausi sunt contra Romanam Ecclesiam affirmare, Veteres aliter scriptum reliquerunt. In Chronico

nico enim Paschale apud Bizantinam *tom.* 4. *pag.* 6. sic legitur — *Sanctam Magnam, & Oecumenicam CCCXVIII. Sanctorum Patrum Synodum Nicęę coegit* (*Constantinus*) *qui cum Spiritu Sancto ibi convenientes, damnata Arii, & ejus Assectarum Vesania, Fideique exposito Symbolo, de Sancto, ac Vivifico Paschate assensu unanimi definitionem Universi confecere: adeout, qui ex Celestria erant, omnesque omnino qui Apostolicum, & Evangelicum orthodoxę Fidei sanum observant sermonem, veterem Romanę, ac Alexandrinæ Ecclesię, plurimarumque Sanctarum Dei Ecclesiarum morem in universo Terrarum Orbe secuti sint, concorditerque uno eodemque die Sanctum prorsus, & vivificum Pascha celebrarint.*

19 *Tertio* Epistola Constantini Magni de Synodo Nicæna ad absentes Episcopos, apud Eusebium *de vita Constantini lib.* 3. *cap.* 18. *& seqq.*, & apud Socratem *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 6., atque Theodoritum *in Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 10. quæ cum haud dubie ab ipsa Synodo, ut ajunt Christianus Lupus *tom.* 1. *in Disser. de Synodo Nicęna cap.* 6. *pag.* 276., & alii, fuerit composita, & cum contenta in allegato Nicæni Decreto confirmet; ac nonnulla alia notatu digna manifestet, non abs re duxi, hic eam fere totam per extensum referre. & est — *Cuncta* [A] *competenti examine eousque discussa sunt, donec inspectori omnium Deo accepta sententia ad unitatis concentum proferretur in lucem; ita ut nullus dissensioni, nullus controversiæ de fide locus amplius relinqueretur. Ubi cum de sanctissimo etiam Paschæ die quæsitum fuisset communi omnium sententia decretum est*, (b) *eam Festivitatem uno, eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere. Quid enim pulchrius, quid honestius nobis esse possit, quam ut hæc Festivitas, a qua spem immortalitatis accepimus, uno, eodemque ordine* (Nempe Cyclo] *ac certa ratione ab omnibus inoffense observetur? Ac primam quidem visa est omnibus res esse* (c) *prorsus indigna, ut in Sacratissimæ hujus Solemnitatis celebratione consuetudinem Judæorum sequeremur, qui cum manus suas nefario scelere contaminarint, merito impuri homines cæcitate mentis laborant. Quippe rejecta illorum consuetudine; possumus rectiori ordine* (nempe rectiori Cyclo, ut colligitur ex Sancto Leone Magno in Epistola 64. ubi, ut latius exponam in Dissertatione post quæst. 5. *num.* 104. Cyclus appellatur *ordo*) *quem a primo Passionis die* (scilicet ab Anno Passionis Christi) *ad hæc usque tempora servavimus, ad futura etiam sæcula hujus observantiæ ritum propagare* [illud relativum — *quem* — animadvertas nullo modo in græco textu pertinere ad — *ritum* — sed dumtaxat ad verbum — *ordine* —] *Nihil ergo nobis commune sit cum inimicissima Judæorum turba. Aliam enim viam a Servatore accepimus: propositus est Sacratissimæ Religionis nostræ* (d) *cursus legitimus, & honestus. Hunc unanimi consensu retinentes ab illa turpissima socitate, & conscientia nos abstrahamus, fratres charissimi. Est enim profecto absurdissimum, quod illi magnifice jactant, nos absque ipsorum Magisterio hæc commode observare non posse. Quidnam verò illi recte sentire possint, qui post necem Domini, post illud parricidium mente capti, non ratione, sed præcipiti impetu feruntur quocumque innatus furor ipsos impulerit. Hinc est, quod ne in hac quidem parte veritatem ipsam perspiciunt; adeo ut a convenienti emendatione longissimè aberrantes, uno, eodemque Anno duo Paschata celebrent. Quid ergo est cur istos sequamur, quos constat gravissimi erroris morbo*

N 2 *laborare?*

laborare? Nam uno, eodemque Anno geminum Pascha facere nunquam profecto sustinebimus; verum etiamsi, quæ dixi, minime suppeterent, vestræ tamen solertiæ est, id curare omnibus modis, atque optare, ne sanctitas animarum vestrarum in nullius rei similitudine cum nequissimorum hominum moribus sociari, & commisceri videatur. Illud propterea considerandum est, nefas esse, ut in tanti momenti negotio, & hujusmodi Religionis Solemnitate dissensio reperiatur: unum enim Libertatis nostræ Festum diem, (e) *hoc est diem Sacratissimæ Passionis* [quod perinde est, ac dicere diem lunæ quintæ decimæ primi mensis, tum quia hac luna Christus, inspecto etiam solum literali Sacræ Scripturæ sensu, ut alibi ostendam, passus est, tum quia de facto a celebratione Christiani Paschæ reiicitur luna quarta decima, ad cujus vesperam Judæi Phase immolabant, ac nemo dixerit Christum passum fuisse luna decima sexta] *Servator noster nobis reliquit, unamque esse voluit Catholicam Ecclesiam. Cujus membra licet variis locis dispersa sint, uno tamen spiritu, Dei, scilicet voluntate, foventur. Consideret quæso vostræ Sanctitatis solertia, quam grave sit, & indecorum iisdem diebus alios quidem jejuniis intentos esse; alios vero convivia celebrare, & post dies Paschæ alios quidem in festivitatibus, & animarum remissione versari; alios vero definitis vacare jejuniis. Hoc itaque convenienti emendatione corrigi, & ad unam eandemque formam redigi Divina vult Providentia, quemadmodum omnes meo quidem judicio intelligitis. Proinde cum hoc ita emendari oporteret, ut nihil nobis commune esset cum illorum Domini interfectorum, & parricidarum consuetudine; cumque hic ordo* (nempe, uti supra, Cyclus) *decentissimus sit, quem omnes* (f) *tam Occidentalium, quam Meridianarum, & Septemtrionalium orbis partium Ecclesiæ, ac nonullæ quoque Orientalium servant; idcirco id æquum, rectumque esse omnes judicarunt, quod & vobis placiturum esse spopondi, ut scilicet, quod* (g) *in urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam, Ægiptum, per Hispaniam, Gallias, Britannias, Libias, per universam Acajam, per Asianam, & Ponticam Diœcesim, per Ciliciam denique* [Cilicia, etiam apud veteres, divisa est in Asperam, & in Campestrem; quare hæc verba Constantini congrue conciliantur cum Sancto Athanasio Superius allegato *num.* 12.] *concordi sententia observatur, id vestra quoque prudentia libentibus animis amplectatur: illud nimirum attendens,* [h] *non modo majorem esse numerum Ecclesiarum in locis supra memoratis, verum etiam æquissimum esse, ut omnes in commune id velint, quod stricta ratio exigere videtur; nec ullam cum Judæorum perjurio societatem habere* [hoc postremum sermonis membrum in Textu græco inhæret præcedenti verbo -- *æquissimum esse* --]. *Atque ut summatim, ac breviter dicam, placuit communi omnium judicio, ut Sanctissimi Paschæ Festivitas uno, eodemque die celebraretur. Neque enim decet, in tanta sanctitate aliquam esse dissonantiam, præstatque eam sequi sententiam, in qua nulla est alieni erroris sceleri sque societas, atque communio. Quæ cum ita sint, cœlestem gratiam, & plane divinum mandatum libenter suscipite. Quidquid enim in Sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem. Quamobrem ubi ea, quæ gesta sunt dilectis fratribus nostris intimaveritis, supradictam rationem, & Sanctissimi Diei observantiam suscipere, & constituere debetis &c.*

20 Literas. A. b. c. &c. tam in hac Constantini Epistola, quam in allegato

allegato Nicæni Decreto, ideo apposui, ut quisque sine ulteriori sermone faciliter possit sub eadem correspectiva litera conferre consonantiam circa substantiam Dispositionis allegati Decreti cum Epistola Constantini. At nihilominus ut hæc Epistola, cujus sensum nonnulli Scriptores haud recte assecuti sunt, facilius intelligatur, animadverti debet, quod in Judæorum Consuetudine *duo* præcipue concurrebant, nimirum, *dies lunę quartus decimus*, ad cujus desinentis vesperam, juxta præceptum in Exodo *cap.* 12., & in Levitico *cap.* 23. *vers.* 5. Pascha a Judæis celebrandum erat immolatione Agni; *& Cyclus*, quo iidem Judæi ad ipsum Paschæ diem inveniendum utebantur. De hisce duobus præcipue agit Constantinus in sua Epistola; pauca tamen, eaque implicite profert de prima Judaicæ Consuetudinis parte; fuse vero de alia Consuetudinis Judæorum parte loquitur, quæ ad usum Cycli Judaici pertinebat, ut clarum erit in sequentibus. Hoc posito, quinque notanda sunt ad rectam ipsius Epistolæ intelligentiam.

Primum est, quod legitur sub litera. C., ibi enim agitur de consuetudine, qua Judæi diem sui Paschæ adsciscebant, nimirum agitur de Cyclo Judæorum; circa quem Nicænis Patribus visa est res esse prorsus indigna, ut Christiani Cyclum illum sequantur. Quod autem ibi agatur de ista Consuetudine, ad Cyclum Judaicum spectante, clare ostendit ratio. quam Constanstinus ibidem profert dicens — *Quippe rejecta illorum consuetudine, possumus rectiori ordine* — scilicet, ut ex Sancto Leone Magno nuper explicavimus, *rectiori Cyclo*, quem ab Anno Passionis *ad hæc usque tempora servavimus, ad futura etiam sæcula propagare ritum* hujus observantiæ. In hac enim per Constantinum prolata ratione, correspectivum consuetudini, *quæ rescitur*, est rectior Cyclus, ad illa usque tempora servatus.

Secundum est, quod deinde Constantinus ait — *Nihil ergo nobis commune sit cum inimicissima Judæorum turba.* — Isto universali *nihil* — perinde est, ac si Constantinus dixisset, non solum ergo Pascha non fiat, quo die quarto decimo Lunæ Judæis in Exodo, & in Levitico *loc. cit.* præcepta erat immolatio Phase, sive Agni; verum etiam cyclus, quo Judæi suum Pascha proclamant, nobiscum communis non sit.

Deinde de utroque rationem proferens, ac primo de die quarto decimo Lunæ, in quo Pascha a Christianis fieri prohibetur, sic ait — *Aliam enim viam a Servatore nostro accepimus* — *Aliam* inquam, ab ea quæ in Exodo *cap.* 12 præcepta est. Et quidem hoc ipsum docet Apostolica Traditio, relata *num.* 3, & tribus seqq., ac etiam tradidit Apostolus Paulus, dicens, ut Pascha celebremus non quarto decimo die Lunæ, sed diebus Azymorum, ut expositum est. *Quæst. tertia num. 66. & seqq.* Quare Constantinus immediate subjungit sub litera *d.* dicens — *Propositus est Sacratissimæ Passionis nostræ cursus legitimus* — Hic itaque cursus si propositus est; ergo non de novo a Nicæna Synodo definitus fuit, sed *propositus est*, utique constituendus: *Unum enim* (addidit sub litera. *e.* Constantinus) *libertatis nostræ Festum diem, hoc est diem Sanctissimæ Passionis, Servator noster nobis reliquit, unamque esse voluit Catholicam Ecclesiam* —; & insuper cum ipse cursus dicatur — *legitimus* — perinde est ac si dicatur, prout antea legitime præstitutus erat; & consequenter, prout antea edoctum fuerat a prælaudato Apostolo Paulo, ac etiam prout antea secundum Apostolorum Tradi-

Traditionem edixerat Sanctus Victor Primus Papa, & Martyr in allegato Romano Concilio *sub n.* 3. atque in allegata Epistola ad Theophilum Cæsariensen sub *n.* 7. scilicet *die Dominico a quarta decima primi mensis* (nimirum exclusive) *usque ad vigesimam primam ejusdem mensis*, nempe inclusive.

Postea idem Constantinus, rationem proferens, qua Cyclus Judæorum nobiscum communis non sit, ita prosequitur — *Est enim profecto absurdissimum &c.* cum sequentibus &c. Quæ omnia præcise concordant cum allegato Nicæni Decreto, eundemque diem Dominicum designant.

21 *Tertium* est, quod prædictus celebrandi Paschæ Ritus, nempe die Dominico post quartam decimam primi mensis usque ad vigesimam primam ejusdem mensis, est ritus ille, quem idem Imperator Constantinus claré manifestat ab iis omnibus fuisse observatum, qui Cyclum Judaicum adhibebant. Sub litera enim *d.* postquàm narraverat, propositum fuisse cursum legitimum immediaté sic prosequitur — *Hunc unanimi consensu retinentes ab illa turpissima societate, & conscientia nos abstrahamus fratres charissimi* —. Quoniam *non retinetur*, quod anteà non observabatur, ac propterea qui Cyclum Judaicum adhibebant, prædictum celebrandi Paschæ ritum servabant. Deinde exponit rationem, qua Cyclus Judaicus Nobis communis esse non debuit.

Quartum est quod ex hisce recitatis verbis — *unanimi consensu* — legitime infertur eumdem ritum ab ipsomet Constantino fuisse observatum. Implicat enim, quod fiat *consensu unanimi*, quod diversimodè operatur. Cum ergo prædictum ritum ipsemet Constantinus antea servaverit, ex hoc religiosissimi Imperatoris testimonio resultat, quod eundem ritum servaverit etiam Romana Ecclesia; non solùm quia Summi Romani Pontifices ex Decreto Arelatensis Concilii de Anno 314. inferius allegando, Epistolam ad omnes Ecclesias, *juxta consuetudinem* dirigebant, diem celebrandi Paschæ annunciantes; ac propterea Constantinus Pascha celebravit secundùm Romani Pontificis indictionem; verùm etiam, quia nemo dubitat, Constantinum habuisse Romæ suam Sedem, Bizantii translatam Anno Æræ Vulgaris 330. circiter, ex quo origo Aquilæ bicipitis emanavit; ac propterea Romæ ipsum Constantinum, saltem Cathecumenum, non semel Pascha celebrasse. Idque cum iis concordat, quæ idem Constantinus refert sub litera g., quoniam ibidem legitur — *concordi sententia* id servatum fuisse *in Urbe Roma, perque omnem Italiam, &c.* quod observabatur *per Ægyptum, &c.* Cum ergo prædictus ritus sine controversia fuerit semper servatus ab Alexandrinis, quorum Urbs, ut ait Sanctus Hieronymus *tom.* 3. *in Oseam cap.* 9. *pag.* 1293. Metropolis erat Ægypti; necessariò sequitur, quòd servatus etiam fuerit *in Urbe Roma, perque omnem Italiam &c.* Re ita se se habente, quomodo dici potest, Romanam Ecclesiam exhorruisse celebrationem Paschæ luna decima quinta?

22 *Quintum* est, quod Asiatici ante Nicæni Ævum jam abrogaverint veterem suum ritum, moremque Romanum jam amplexi fuerint; id quod animadvertit etiam Valesius inferius allegandus *num.* 24., *& seqq.* Hi enim, qui Nicæni tempore, Pascha (uti nuper notavimus) agentes die quidem Dominico a luna decima quarta usque ad vigesimam primam, desumebant lunares dies ex Cyclo Judæorum, ac pro-

pte-

pterea in celebrando Paschate a cæteris Orbis Partibus dissidebant; propositum fuit sequendum exemplum — *Urbis Romæ.... Ægypti . . . Asiaticæ, & Ponticæ Diœcesis* —. Sic namque ait Constantinus sub litera g. — *id æquum rectumque esse judicarunt, quod & vobis placiturum esse spopondi, ut scilicet quod in Urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum, per Hispaniam, Gallias, Britannias, Libias, per universam Acajam, per Asianam, & Ponticam Diœcesim, per Ciliciam denique CONCORDI SENTENTIA observatur, id vestra quoque Prudentia libentibus animis amplectatur* —. Idipsum ergo *per Asianam, & Ponticam Diœcesim concordi sententia observabatur*, quod observabatur *in Urbe Roma . . . . . & per Ægyptum*; ac propterea Asiatici ante Nicæni Ævum jam amplexi fuerant Ritum Romanum.

Hinc clarè deducitur, quod genuina Nicæni Concilii non videntur esse, quæ verba Decreti allegati *num.* 10., habentur ibi sub litera h. & g. ad substantiam Nicænæ Dispositionis non spectantia; tum quia in isto Decreto Asia sit principaliter dissidens *ab Urbe Roma . . . & Ægypto*, & in Epistola Constantini sit omnino concordans; & fortius sit concordans in eo, quod (uti supra) omnes judicarunt, tum quia Episcopi Asiæ propriæ dictæ; qui Nicænæ Synodo interfuerunt, fueruntque inter cæteros Episcopus Ephesi, & Episcopus Smyrnæ, relati a Labbe *tom.* 2. *Concil. pag.* 58. utique non annuissent iis Decreti verbis, quibus fiunt dissidentes *ab Urbe Roma, & Ægypto* . . . tum etiam quia inter Asiç Regiones, quæ eidem Asiæ in ipso Decreto dicuntur subjectæ in veteri Geographia Ptolęmæi non connumerantur, quæ omnes Regiones a Sancto Athanasio allegato *num.* 12. referuntur tanquam causa Convocationis Nicænæ Synodi, tum denique quia abhorret, ut Nicænæ Synodo adscribatur locutionis formula expressa in dicto Decreto, qua prius Universus Orbis sit inter se conformis, & postea aliqua Orbis pars sit dissidens.

Protulimus rationem, qua *num.* 11. sic loquuti sumus — *quidquid sit de genuino illorum Canonum textu, nos veritatem solius allegati DECRETI NICÆNI ostendemus solùm quoad substantiam dispositionis ipsius, tum in genere, tum in specie* — quod cum jam adimpleverim, gradum faciam ad exponenda dissidia.

DE DISSIDIIS, QUÆ ANTE NICÆNI ÆVUM EXTARUNT IN CELEBRATIONE PASCHÆ.

23 Quid momenti præseferebat, ut Hæretici Quartadecimani ad Catholicam veritatem revocarentur; quid, inquam, momenti præseferebat, Judæorum jactantiam, verbis Epistolæ Constantini nuper allegatis enunciatam, obcœcationem, & errorem circa mensem Paschalem diffusè exprimere, eandemque jactantiam declarare maximum absurdum? An non Quartadecimani si perstitissent in suo errore, ab omnibus hisce obtrectationibus se liberassent, assumpto pro celebratione Paschæ *uno* [ut dicitur sub Epistolæ Constantini initium] *eodemque ordine, ac certa ratione*, scilicet, assumpto Cyclo Niceno? A predictis verò obtrectationibus, uti supra, liberati, an non dissidia nihilominus perstitissent? Iusu-

Insuper quid momenti prǫseferebat dissidii nequitia a Constantino commemorata, gravitas, deformitasque apud Quartadecimanos, qui ideo dissidebant, non quia putaverint, plura Paschata potuisse per Orbem celebrari, sed quia celebrandum esse pertinaciter existimabant, *quo die* [sunt verba Eusebii Pamphili *in Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 23.] *quo die Judæi Agnum immolabant quarto decimo Lunæ*? Ex allegatis igitur verbis Epistolæ Constantini legitimè infertur quod [uti resultat etiam ex notatis *num.* 10.] non unum tantum ante Nicænum Concilium fuit dissidium in celebratione Paschæ; sed quidam Cyclum Judaicum adhibentes, Pascha olim celebrabant luna quarta decima, ac propterea dicti fuerint Quartadecimani; qui tamen ante Nicænum Ævum abrogato [uti nuper vidimus] veteri suo ritu morem Romanum amplexi sunt; Quidam verò Orientalium licèt Pascha celebraverint die Dominico a quinta decima usque ad vigesimam primam inclusis terminis, nihilominus Dominicum Paschæ diem desumebant ex Judæorum magisterio, nimirum ex prædicto Judæorum Cyclo; & sic isti Orientales ab Occidentalium, Meridianarum, & Septemtrionalium Orbis Partibus in allegata Epistola Constantini sub litera f, & g. memoratis, in ejusdem Festi celebratione dissidebant. Et hoc fuit præcipuum dissidium, propter quod Sanctus Athanasius, inferius allegandus, refert fuisse convocatam Nicænam Synodum. Quapropter Constantinus Magnus, allegatis Epistolæ verbis, illos Orientales ad Nicęni Decreti acceptationem hortabatur, qui etsi Pascha die Dominico post quartam decimam uti supra, celebraverint, Cyclum tamen Judaicum, ex quo diversitas diei Dominici Paschæ oriebatur, adhibebant. Quinam verò signanter fuerint isti Orientales, videbimus infra, ac etiam *num.* 39. 40., & 41., ubi verba Sancti Athanasii expenduntur.

24 De facto prudentissimus, ac Dei amantissimus Imperator Quartadecimanos, qui (uti refert Eusebius *lib. Hist. Eccles. cap.* 24. tanquam contraria rectæ fidei sentientes *ab unitate Ecclesiæ prorsus alieni erant*, non decorasset titulo — *Sanctitatis Animarum vestrarum* —. Si verò rem conferamus cum eodem Eusebio *loc. cit. cap.* 23. Utique diversam esse non deprehendemus; ibi enim sic legitur — *Iisdem temporibus* [nempe Sancti Victoris Primi Papæ] *gravi controversia exorta, eo, quod omnes per Asiam* (nempe proprie dictam, sive per Asiam minorem) *Ecclesiæ vetusta quadam traditione nixæ, quarta decima luna salutaris Paschæ Festum diem celebrandum esse censebant, quo die præscriptum erat Judæis, ut Agnum immolarent: eaque omnino luna in quemcunque demum diem septimanæ incidisset, finem jejuniis imponendum esse statuebant: cum tamen reliquæ totius Orbis Ecclesiæ alio more uterentur, qui ex Apostolica Traditione profectus etiam nunc servatur; ut scilicet non alio, quàm Resurrectionis Dominici die jejunia solvi liceat* —. Constat igitur ex Eusebio, quod excepta Asia minori, reliquæ omnes per Universum Terrarum Orbem Ecclesiæ Pascha tunc temporis, non die decimo quarto lunæ cum Judæis, sed juxta præsentem Canonem die Dominico post quartam decimam lunam celebrabant; Id quod magis cohærenter græco Eusebii textui *loc. cit.* Rufinus in sua versione, Romæ ædita Anno 1741., clarius explicavit, sic vertens — *Cum talis consuetudo* (nempe Quartadecimanorum) *in nullis prorsus aliis unquam observata fuisset Ecclesiis*. Dissidium igitur præ-

prædictorum Orientalium refundi nequit, nisi in usum Cycli Judaici; dissidia enim memorata in Epistola Constantini non ultra spatiantur, nisi in id, quod cum Judæis erat commune.

Ista omnino firma resultant collatis inter se se iis, quæ referunt Sanctus Athanasius, & Eusebius *in Hist. Eccles. lib.* 5. Sanctus enim Athanasius, uti vidimus *num.* 12., fidem facit, Nicænam Synodum ex eo fuisse convocatam —, *quia Syri, Cilices, & qui in Mesopotamia degunt, a nobis dissidebant, & tempore, quo Judæi celebrant, ipsi quoque celebrabant* —; *Syri*, inquam, non omnes; quia Cassius Tyri, & Clarus Ptolemaidis Episcopi non solùm Cęsariensi Palestinę Concilio de Anno 198. circiter interfuerunt, uti clarum est apud Eusebium *loc. cit. cap.* 22., verùm etiam conveniebant cum Alexandrinis in celebrandi Paschatis die, uti constat apud eundem Eusebium *cap.* 25.: Quemadmodum etiam *Cilices*, a Sancto Athanasio allegati, intelligendi sunt non omnes, ut ex Epistola Constantini notavimus *num.* 19. *prope finem*. Eusebius verò *loc. cit. num.* 23. post ipsius verba nuper allegata ita prosequitur dicens — *Synodi ob id, cætusque Episcoporum convenere* [nempe tempore Sancti Victoris Papæ primi] *atque omnes uno consensu Ecclesiasticam regulam universis Fidelibus per Epistolas tradiderunt: ne videlicet ullo alio, quam Dominico die Mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur, utque eo dumtaxat die Paschalium jejuniorum terminum observemus. Extat etiam num Epistola Sacerdotum, qui tunc in Palestina congregati sunt . . . . . Ecclesiarum quoque in Osdroenæ Provincia, & in Urbibus Regionis illius constitutarum literæ visuntur . . . . . . Qui omnes eandem Fidem, eamdemque Doctrinam proferentes, unam edidere sententiam. Et hæc quidem fuit, ut dixi, illorum definitio.*

Hæc Eusebii verba versavit Valesius in Notis apud eundem Eusebium *num.* 5. *novę editionis Cantabrigię*, ubi sic legitur — *Solos Asianos tunc temporis* [nempe prædicti Sancti Victoris] *Pascha cum Judęis celebrasse*; *quare arguit* (Valesius) *Halloixium, & Usserium, aliosque, qui credunt, Syros, ac Mesopotamos, ac Cylices idem tunc fecisse quod Asianos. Imo Syri, ac Mesopotameni hoc quidem tempore rectè sentiebant, ut patet ex eorum Conciliis, quę ab Eusebio memorantur. Nam Osdroena pars est Mesopotamię* —. Et quidem rectè, quoniam in Mercurio Geographico Romæ edito *tom.* 1. *Tabula quarta, & quinta* Provincia Osdroenæ in Mesopotamia sita est, ad Patriarchatum Syriæ spectans. Cum ergo Syri, Cilices, & Mesopotameni re ipsa *uno consensu*, ut inquit Eusebius, *Ecclesiasticam Regulam Universis Fidelibus* tradiderint, *ne ullo alio, quàm Dominico die, Mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur, utque eo dumtaxat die Paschalium jejuniorum terminum observemus* —. Et cum nihilominus iidem a Romanis; utinquit Sanctus Athanasius, dissiderent, Pascha peragentes *tempore quo Judęi celebrant*, dissidium istud, propter quod Nicæna Synodus convocata fuit, esse non potuit, nisi ex eo, quia ipsimet Syri, Cilices, & Mesopotameni pro Paschę indictione, seu celebratione, Judaicum Cyclum usurpaverint. Nec Sancti Athanasii verba id excludunt; imo in id mirificè consentiunt. Sanctus enim Doctor non dicit, quod Syri, Cilices, & qui in Mesopotamia degunt, Pascha celebrabant — *eodem tempore* — quo Judęi celebrant, ut in Versione

Latina legitur; quo casu ipsi quidem dicendi essent Quartadecimani, uti clarius exponam *num.* 39., sed dicit, quòd celebrabant -- *tempore* --, quo Judęi celebrant, sine pronomine -- *eodem* --, uti constat ex grę̨co ac genuino Sancti Athanasii textu; Quare perinde est, ac si dixisset, Syri, Cylices, & qui in Mesopotamia degunt, Pascha celebrant die Dominico incidente in alterum ex septem diebus, in quibus Judæi, Azyma comedentes, Pascha celebrant. *Tempus* enim Paschæ Judæorum non uni dumtaxat diei affixum erat; sed amplectebatur septem omnes Azymorum dies, ut clarè patet in Actibus Apostolorum *cap.* 12. *sub initium*, ac etiam praxis Judæorum manifestat.

Valesius tamen *loc. citat.* post allegata verba, innixus dumtaxat auctoritati Sancti Athanasii, perperam acceptæ, existimat, quòd Syri, Cilices, & Mesopotameni -- ibi -- *Postea ad Judaicam observantiam delapsi sunt, idque ante Concilium Nicænum, ut docet Athanasius. Contra verò Asiani, damnato pristino errore, saniorem sententiam amplexi sunt. Certè ante Concilium Nicænum Asiani morem Ecclesiæ Romanæ sequebantur in observatione Paschæ, ut docet Epistola Constantini* -- At inverosimile non est quòd Syri, Cilices, & Mesopotameni, postquàm tradiderunt regulam de celebrando Paschate die dumtaxat Dominico; & postquàm viderunt, Asianos, damnato pristino errore, amplexos esse regulam etiam ab ipsismet Syris, Cilicibus, & Mesopotamenis traditam, ad Judaicam observantiam delapsi fuerint, nulla præsertim extante priorum retractatione, ac firma stante Apostolorum Traditione, qua prædictam regulam tradiderunt? Id revera contigisse, nulla Veterum documenta præseferunt. Imo Chronologi ex dato alicujus Ecclesiæ Canone, praxim ejusdem Ecclesiæ proclamant. Eusebius vero satis manifestat, non contigisse id, quod vult Valesius. Sub initium enim hujus numeri vidimus, ipsum Eusebium apertam fidem facere, quòd excepta Asia, quæ morem Judæorum sequebatur, reliquæ totius Orbis Ecclesiæ alio more utebantur, qui ex Apostolica Traditione profectus, *etiam num servatur*, & hoc eodem *num.* 24. §. *De facto, &c. sub finem* disertè refert, quod Consuetudo Quartadecimanorum -- *in nullis prorsus aliis unquam observata fuit Ecclesiis*. Nec Sanctus Athanasius, cujus Auctoritati Valesius innititur, dicit [uti nuper vidimus], quod profert Valesius; imo potius opinioni ejusdem Valesii adversatur; eoque fortius quia Quartadecimanorum Causa non versabatur circa celebrandum eodem die per universum Orbem Pascha, sed circa Doctrinam de die, quo Pascha celebrandum erat. Cum ergo Sanctus Athanasius, uti constat *num.* 12. fidem faciat his verbis -- *Quę causa fuit convocandę Synodi, ut ubique UNA festi dies celebraretur* --, nullo modo Syri, Cilices, & Mesopotameni, quorum causa Nicæna Synodus convocata fuit, recensendi sunt inter Quartadecimanos. Quare manifestò patet, merum esse Commentum, quod Syri, Cilices, & Mesopotameni ad Judaicam observantiam delapsi fuerint ante Nicænum Concilium.

25 Re ita se se habente, rationem intelligimus, qua bene procedunt illa Epistolæ Constantini verba -- *Quid ergo est, cur istos* (nempe Judæos) *sequamur, quos constat gravissimo erroris morbo laborare?* ac similiter rationem intelligimus, qua bene procedunt verba, quæ sequuntur, usque ad finem ejusdem Epistolæ. Quo enim Pascha -- *uno, eodem-*

eodemque die ab omnibus ubique celebretur —, nullo modo decebat, ut Occidentales, Meridianes, & Septemtrionales Orbis Partes, atque nonnullas Orientalium Regiones incolentes, ne ab illis Orientalibus, Cyclum Judaicum usurpantibus, dissiderent, Cyclum Judaicum amplecterentur; tum quia usus istius Cycli *in gravissimum erroris* [nempe de ultimo mense Anni superioris] *morbum* inducebat, adeout Sanctus Anatholius Laodiceæ in Syria Episcopus, qui imperante Probo floruit, initio Canonis Paschalis dixerit — *Nonnulli octoginta quatuor Annorum circulum computantes, nunquam ad veram Paschę computandi rationem pervenerunt* —; tum quia *id curandum erat omnibus modis, atque optandum, ne in ullius rei similitudine cum nequissimorum hominum moribus sociari, & commisceri videamur*; tum denique quia ultra majorem Ecclesiarum numerum, quæ diversum a Judaico Cyclum adhibebant, *æquissimum est*, non solùm, *ut omnes in commune id velint, quod stricta ratio* [nempe ut Cyclum rectissimum sequamur] *exigere videtur*; sed etiam *nec ullam cum Judæorum perjurio societatem habere*; hoc enim postremum sermonis membrum in Textu græco præallegatæ Epistolæ Constantini inhæret præcedenti verbo *æquissimum est*; tum insuper quia *præstat eam sequi sententiam, in qua nulla est alieni erroris, scelerisque* (nempe Judæorum) *societas, atque communio*.

26 Quod si fusius expendere velimus, dissidia non alia fuisse ab iis, quæ superius exposui, Sanctus Epiphanius, Constantiæ Cypri Episcopus, genere Palæstinus, *ad Hæresim* 69. *num.* 11., non in duas tantum, sed in tres partes commemorat tunc scissos inter se fuisse Christianos; ibi enim sic legitur — *Eadem in Synodo* (nempe Nicæna) *Canones quidem Ecclesiastici conditi sunt*; *nec non & de Paschatis celebritate constituerunt, ut sancta illa, religiosissimaque dies eodem tempore summa cum consensione, ac concordia celebraretur*; *nam antea non eadem omnium erat observatio*. *Quidam enim antevertebant. alii medio tempore: alii postremo sacrum illum diem agebant: & ut uno verbo dicam, summa erat per illud tempus confusio*. Sanctus Epiphanius quidem non exprimit, quinam fuerit, qui antevertebant, & qui medio tempore, & qui postremo sacrum illum diem agebant; at ex dictis hanc distinctionem assequi possumus. Illi enim, qui *antevertebant*, certò erant Quartadecimani, qui non solum luna quartadecima in quemcumque septimanæ diem incidente, Pascha celebrabant, & sic antevertebant; verum etiam Judæos sequebantur, Cyclum Judaicum usurpantes, ac propterea quandoque duo Paschata, ut refert Constantinus, uno, eodemque Anno celebrantes; & hac ratione similiter antevertebant. Qui autem *medio tempore* Pascha celebrabant, ii omnes erant, quorum exemplum a Nicænis Patribus traditum fuit sequendum; instructo enim per me computo ab Anno Æræ Vulgaris 298., in quo Veteris Judaici Cycli revolutio recurrebat, usque ad Nicænum Concilium, atque comparata Paschali Neomenia hujus Cycli non solum cum Neomenia Cycli decennovennalis Nicæni; verum etiam cum Neomenia Cycli a Sancto Dionysio Archiepiscopo Alexandrino publicati, atque apud etiam Occidentales tunc usurpati, inferiusque exponendi; inveni, quòd Neomenia Cycli Judaici uno die, ut plurimum, tunc *postiecipabat* Paschalem Neomeniam Cycli Sancti Dionysii Alexandrini, uno autem die, & aliquando duobus diebus Neomeniam Cycli

O 2 Nicæ-

Nicæni: Quoties ergo Paſchalis Occidentalium quartadecima die Sabbati contingebat Paſcha Occidentalium una hebdomada *præveniebat* diem Paſchæ Dominicum illorum Orientalium, qui Cyclum Judaicum adhibebant. Qui denique fuerint, qui *tempore* poſtremo ſacrum illum diem *agebant*, conſequens ex dictis eſt; erant enim prædicti Orientales, qui die Dominico [ut moris erat Romanorum] Paſcha celebrantes, Cyclum Judaicum, in Diſſertatione poſt Quæſtionem quintam expoſitum, uſurpabant. Ex prædicta Neomeniæ Cycli Judaici poſticipatione oriri aliquando tunc debuiſſet diſſidium quoad menſem; quod ideo tunc non contigit, quia iſti Orientales, a Quartadecimanis diſſidentes, Emboliſmum inſerebant, quoties quinta decima Cycli Judaici Æquinoctium ſubſequuta non fuiſſet, ut inferius patebit ex Socrate. Diſſidium igitur tunc fuit ſolum quoad hebdomadam, prout revera contigit Anno inter cæteros Æræ Vulgaris 320., in quo Occidentales Paſcha celebrarunt die 10. Aprilis luna decima quinta, prædicti autem Orientales die 17. ejuſdem menſis luna vigeſima prima. Hoc diſſidium, ex Cyclorum explanatione deductum, confirmat idem Sanctus Epiphanius; præallegata enim verba ipſe Sanctus Doctor repetit ad Hæreſim 70. *num.* 9. hæc addens claritatis gratia — *alii quodam contentionis ardore ante hebdomadam, alii poſt hebdomadam inibant.* Rebus verò ſic ſtantibus, quis dubitat, ſummam *per illud tempus* fuiſſe confuſionem? Ex Paſchate enim jejunium Quadrageſimale, & omnia mobilia Feſta pendent.

27 Id ipſum colligitur ex Euſebio de Vita Conſtantini *lib.* 3. *cap.* 5. *pag.* 578., qui poſtquam expoſuit mala ab Arrio, ejuſque ſequacibus producta in Oriente, ſic loquitur — *Alius his quoque antiquior ſuberat morbus graviſſimus, qui Eccleſiam jampridem infeſtabat; diſſenſio ſcilicet de ſalutari Feſto. Quippe alii conſuetudinem Judæorum ſequi oportere aſſerebant; alii temporis horam accuratè obſervandam eſſe ajebant, nec errantibus aſſentiendum, qui ab Evangelica gratia alieni erant* —. Euſebius enim id ſilentio præterit, quod utpote notiſſimum ipſemet cum Occidentalibus obſervabat, memoratque ſolùm eos, qui in Oriente degentes (locutus enim fuerat de malis ab Arrio productis in Oriente) a ſe ipſo, & ab Occidentalibus diſſidebant; idque apertiſſimè manifeſtant verba ab Euſebio uſurpata — *aſſerebant* — *ajebant* — quæ diverſas a ſcribente perſonas indicant. Quapropter qui *conſuetudinem Judæorum ſequi oportere aſſerebant*, proculdubio erant Quartadecimani, qui Cyclo etiam Judaico utebantur. Qui verò *temporis horam accuratè obſervandam eſſe ajebant*, ii erant, qui licèt Paſcha peragerent, ut moris erat Romanorum, die Dominico poſt quartam decimam, nihilominus præciſum tempus a Cyclo Judæorum deſignatum, ſive clarius præciſam dierum lunarium nomenclaturam a Cyclo Judæorum deſignatam, accuratè obſervabant; & quando a Judæis, Æquinoctio neglecto, error circa menſem Paſchalem committebatur, interpoſito Emboliſmo, ut colligitur ex Socrate inferius citando, ajebant, *Judæis errantibus non eſſe aſſentiendum, qui ab Evangelica gratia alieni erant.*

28 Nec aliter colligitur ex Sozomeno, qui *lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 16. *pag.* 34., rem ſummariè referens, ſic ait — *ea tempeſtate in Orientis Partibus nonnulli hac de re diſſentientes . . . . Judaico tamen magis*

more

more diem illum celebrabant. Sozomenus enim non dicit absolutè Judaico more, sed Judaico magis more, quia Orientales Cyclo Judaico utebantur, non autem Pascha agebant luna quarta decima.

29 Prædictis egregie concordat Socrates *lib.* 3. *Histor. Eccles. cap.* 21. *pag.* 292. *& seq. novæ editionis* dicens — *In Asia Minore plurimi antiquitus quartam decimam diem observabant, neglecto Sabbati die*, nempe die Dominico, ut exponit etiam Petavius *de Doct. Temporum tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 58. Sabbatum enim accipitur pro die quietis, & otii, vel, ut ait Benedictus Pereyra *in Elucidario, &c. num.* 1393. pro septimo die hebdomadæ, cui modò ut quidam putant respondet Dominica; vel potius — neglecto Sabbati die, nempe desinente ad Vesperam; Postea ipse Socrates eorumdem condemnationem narrat, a Sancto Victore Primo Papa emanatam, ac deinde prosequitur his verbis — *Quidam igitur in Minore Asia, ut jam dixi, quartamdecimam observabant diem. Quidam vero in Orientis Partibus Sabbato quidem* [nempe die, uti supra Dominico, vel Sabbato desinente ad Vesperam] *id Festum agebant, sed in Mense discrepabant. Nam illi quidem Judæos, licet exactam regulam non observarent, in hac Festivitate sequendos esse dicebant. Hi verò* (nempe qui in Orientis Partibus degebant) *post Æquinoctium Pascha celebrabant, simul cum Judæis id Festum agere respuentes. Quippe affirmant, Sole in Ariete constituto id Festum perpetuo celebrari oportere, Mense, quem Zanthicum Antiochenses, Aprilem Romani vocant*; *atque in eo sequi se non Recentiores Judæos, qui ubique ferè hallucinantur, sed Vetustiores, & Josephum, sic enim ille in tertio Judaicarum Antiquitatum Libro scriptum reliquit. Et isti quidem hoc modo inter se discrepabant. Reliqui autem omnes ad Occidentis Partes, & ipsum usque Oceanum post Æquinoctium ex antiqua quadam Traditione Pascha celebrasse deprehenduntur. Hi enim omnes ad hunc modum Pascha peragentes nunquam inter se dissenserunt*. Socrates ergo affirmat, nunquam fuisse inter Occidentales dissidium; ab Occidentalibus verò dissidisse nonnullos Orientales, & quidem *dumtaxat*, prout ipsemet Socrates clarè refert *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 8. *pag.* 18. ibi — *Dissensio de Festo Paschæ die . . . . quidem in Orientis dumtaxat Partibus versabatur* —; Ipsos denique Orientales non solùm ab Occidentalibus, sed etiam a Quartadecimanis discrepasse; at non omnino discrepasse a Quartadecimanis, prout contingebat inter hos, & Occidentales; sed dissidium eorumdem Orientalium a Quartadecimanis idem Socrates ad duo tantùm capita reducit; scilicet quoad diem Dominicum, & quoad tempus post Æquinoctium; & consequenter quandoque quoad mensem; ex Æquinoctii enim observantia dissidium non raro oritur quoad mensem. Ex hisce sequitur, quod tum Quartadecimani; tum prædicti Orientales Cyclum Judaicum adhibebant; alioquin non quoad duo tantum capita dissidium inter eos reduceretur, sed ipsi quoad omnia inter se discrepassent; quod allegatis Historici verbis adversaretur. Narrat enim Socrates, quod — *isti quidem* (nempe Orientales, & Quartadecimani) *hoc modo inter se dissentiebant*. Ergo dato usu Cycli Judaici apud Quartadecimanos, prout ex allegatis etiam verbis clarè resultat, necessariò sequitur, quod & Orientales eodem Cyclo usi fuerint; alioquin Quartadecimani, & ipsi Orientales inter se non *hoc modo* tantum, sed omnimode dissensissent. Quid amplius? Si

Si etiam prædicti Orientales Cyclum Judaicum non adhibuissent, nihil momenti habuisset, quòd Quartadecimani Orientalibus, Pascha post Æquinoctium celebrantibus, objiciebant dicentes -- *Judæos, licet exactam regulam non servarent, in hac Festivitate sequendos esse* --: Ipsi verò Orientales contra Quartadecimanos non affirmassent, *in eo sequi se non Recentiores Judæos, qui ubique fere hallucinantur, sed Vetustiores, & Josephum*; quoniam sequuti Judæos non fuissent *in eo* solùm, sed in omnibus; jam enim Pascha die Dominico celebrabant, respuebantque simul cum Judæis id Festum agere.

CUJUS ROBORIS SINT SOCRATICÆ DISSIDIORUM ILLATIONES, CONFIRMATURQUE, ANTE NICÆNI ÆVUM NON FUISSE DISSIDIA INTER OCCIDENTALES.

30 Socrates, secta Novatianus, post verba nuper allegata, narrat quosdam diversorum locorum diversos ritus ad Pascha non pertinentes, indeque non ut Historicus, sed ut vir eruditus infert, ut Novatianis faveat, de quibus inferius erit sermo, fuisse diversis locis diversam diei Paschæ observantiam; quod etiam infert Sozomenus *lib. 7. Hist. Ecclesʃ. cap.* 20., & quod aliquo modo infirmaret, quæ ipsemet Socrates, uti supra, de Occidentalibus retulit. At nullo modo subsistit hujusmodi illatio. Quis enim dubitat nobiscum in celebratione Paschæ convenire Mediolanenses, licet quadragesimale jejunium diverso tempore incipiant? Quod dictum est exempli gratia de Mediolanensibus, id ipsum de aliis procedit, qui licet diversos a Romano observent ritus, cum Romanis tamen Festum Paschæ uno eodemque die celebrant. Illegitima igitur est Socratica dissidiorum illatio, simulque falsum est, quod ipse Socrates ad sustentandum suorum Novatianorum errorem ibidem profert, *nullum* scilicet *in sacris Paginis extare documentum de Christianorum Pascha*. Constat enim de hujusmodi documento post responsum ad primam partem tertiæ Quæstionis *num.* 66., *& seqq.*

31 Quamvis legitima non sit prædicta Socratis illatio; inde tamen non infirmatur veritas circa postrema ipsius verba, nuper allegata *num.* 29. perpetuamque inter Occidentales concordiam exprimentia. Hujusmodi enim verba mirificè confirmat non solùm allegata Epistola Constantini sub litera f. & g., in qua nullum aliud legitur, tunc extasse dissidium, nisi in Oriente propter nonnullos, qui Cyclo Judaico utebantur; sed etiam Arelatense Concilium Anni 314., in præsentia Constantini Magni celebratum, præsidentibus Sancti Sylvestri, a quo illud confirmatum fuit, legatis Claudio, & Vito Presbiteris, Eugenio, & Ciriaco Diaconibus ex Urbe Roma; in quo Concilio Decretum est, ut legitur *tom. 1. Conciliorum ad Regiam editionem exaratorum Lutetiæ Parisiorum Anno* 1671. *pag.* 1427. decretum, inquam est -- ibi -- *Primo loco de observatione Paschæ Dominici, ut uno die, & uno tempore per omnem Orbem a nobis observetur, & juxta consuetudi-*

tudinem literas ad omnes Tu [nempe Sanctissime Sylvester] *dirigas* --, Causam hujus dispositionis non aliunde accipiam, nisi ex Synodali Epistola, quam Patres ejusdem Concilii ad Sanctum Sylvestrum Papam, una cum Canonum Arelatensium Breviario, ubi prædictum Decretum legitur, miserunt, reposita *loc. cit.* proximè ante ipsum Decretum, in qua sic legitur -- *Id primo loco de vita nostra, atque utilitate tractandum fuit, ut quia unus pro multis mortuus est, & resurrexit, ab omnibus tempus ipsum* (nempe Mortis, & Resurrectionis) *ita religiosa mente observetur, ne divisiones, vel dissensiones in tanto obsequio devotionis possint exurgere. Censemus ergo Pascha Domini per Orbem totum una die observari* --. Unde nam oriri tunc poterat timor divisionis, & dissensionis? nisi ex eo, quòd memorat Constantinus Magnus in allegata Epistola dicens, quod Judæi -- *magnificè jactant, nos absque ipsorum Magisterio hæc* [nempe diem Dominicum, qui quartam decimam lunam primi mensis subsequitur] *commodè observare non posse* -- prout revera nonnulli Orientales Cyclum Judaicum, uti supra, adhibebant. Constat igitur evidenter, Arelatense Decretum emanasse, non quia inter illos Patres re ipsa fuerint in celebratione Paschæ dissidia, sed *ne divisiones, & dissensiones in tanto obsequio devotionis possint exurgere*.

Quare legitimè infertur, Africam, Sardiniam, Hispaniam, Gallias, Britanniam, Hiberniam, Italiam, Siciliam, & Dalmatiam eodem die, quo Constantinus Magnus, atque Romana Ecclesia, Pascha celebrasse, nimirum die *Mortis, & Resurrectionis*, ut habetur ex prædicta Synodali Epistola ad Sanctum Sylvestrum, ac respectivè ex Epistola Constantini Magni sub *num.* 21., quòd perinde est, ac dicere eodem die quinto decimo lunæ primi mensis, in Dominicam incidente. Dies enim, quo passus est Dominus noster Jesus Christus, fuit luna decima quinta, non autem decima sexta. Dixi -- *legitimè infertur* -- non solùm quia prædicto Concilio, ultra Constantinum Magnum, memoratosque Sancti Sylvestri Legatos ex Urbe Roma, interfuerunt multi ex omnibus, ex prædictis locis Episcopi, adeò ut non desint, qui hoc Concilium appellent *Plenarium*, & Universale; verum etiam, quia Summus Pontifex literas Paschales, quas Cosmas Indecopleustes appellat *Festales* --, *ad omnes, juxta consuetudinem* -- dirigebat; quarum literarum exemplar, ultra multa, quæ ipse Cosmas refert, adeo mutila, ut nihil ad rem nostram faciens ex iis colligere potuerim, est Epistola Sancti Innocentii Primi Papæ ad Aurelium Africæ Primatem per me relata, atque exposita Quæstione tertia *num.* 29. *& seqq.* Et quidem si Pascha illis locis fuisset aliter celebratum, Nicæna Synodus in allegata *num.* 15. Epistola ad Ecclesiam Alexandrinam, &c. dixisset absolutè -- *ut omnes Fratres* -- cum Romanis, & Alexandrinis Pascha celebrent. Cum ergo Nicæna Synodus -- *illud universale -- omnes* -- restringat ad Orientales dicens -- *ut omnes, qui sunt in Oriente, Fratres* -- utique manifestat, quòd soli Orientales, ut dixit etiam Socrates supra citatus *lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 18., & clarè patefacit Constantini Epistola sub litera f. & g. tunc ab aliis discrepabant in celebratione Paschæ.

32 Memorato Arelatensi Primo Concilio, ex eo aliud evidens occurrit argumentum, quo confirmatur, Romanam Ecclesiam prædictasque

que omnes Nationes concorditer celebrasse Pascha eodem die Dominico quinto decimo Lunæ. Eusebius enim *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 23. *&* 24. refert, in Gallia sub Sancto Irenæo celebratum fuisse Concilium, & in eo constitutum fuisse, *quod alia Concilia decreverunt*, nempe sub Sancto Victore Primo Papa celebrata, & præcipue Cesareæ in Palestina. Sed ex Synodali Epistola hujus Cæsariensis Concilii, quam superius retuli *num.* 8., constat ibi decretum fuisse, ut Pascha die Dominico celebretur quinto decimo Lunæ primi mensis, adeo ut ex postremis verbis ejusdem Epistolæ per Eusebium relatis *loc. cit. cap.* 25. certo patet, Patres hujus Concilii etiam antea celebrasse Pascha eodem die, quo Alexandriæ celebrabatur. Ergo rem ipsam decrevit Gallicanum Concilium sub Sancto Irenæo celebratum, ac propterea Galliarum Episcopi, qui Arelatensi Concilio centum, & amplius Annis post illud Sancti Irænei celebrato, interfuerunt, Pascha peragebant die quinto decimo Lunæ, quemadmodum re ipsa Gennadius, Presbiter ut inquit Pagius, Massiliensis, ac propterea Metropolitæ Arelatensi subiectus, juxta veterem, recentioremque Geographiam Episcopalem, atque infra relatus *sub num.* 267. expressam fidem facit. Ergo hoc eodem die Pascha celebrabant Romana Ecclesia, ceteræque omnes nationes, quæ Arelatensi Concilio interfuerunt; quoniam inter Patres Arelatensis Concilii, in quorum numero recensentur prædicti quatuor Pontificis Legati ex urbe Roma, nullum erat dissidium, uti nuper probatum est in celebratione Paschæ.

33 Hoc confirmatur etiam ex eo, quod eidem Arelatensi Concilio, interfuit Episcopus Ecclesiæ Mediolanensis, in qua Paschæ Festum, ut fidem facit Sanctus Ambrosius *Epistola* 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos -- *usque ad vigesimam primam Lunam consuevit extendi* --; non usque ad vigesimam secundam Lunam, quo casu exclusa fuisset a citimo Paschæ termino luna decima quinta; sed *usque ad vigesimam primam lunam consuevit extendi*; ac propterea Mediolanensis Ecclesia necessario *consuevit* habere citimum Paschæ terminum die quinto decimo Lunæ. Quod si citimus Paschæ terminus Mediolanensi Ecclesiæ consuevit esse Luna quinta decima; ergo consuevit esse etiam Romanæ, Gallicanæ, & aliorum omnium Episcoporum Ecclesiis, qui Arelatensi Primo Concilio interfuerunt; eoque fortius, quia clare patet ex Socrate, quem retuli *num.* 29. quod *omnes ad Occidentis Partes . . . . . . nunquam inter se dissenserunt*.

CONFUTATUR USSERIUS, ET QUÆ DISSIDIA IPSE VIR CLARISSIMUS PROFERT.

34 Quamvis ex prædictis pateant, quæ ante Nicæuum Concilium fuerint dissidia, attamen vir clarissimus Usserius in Prolegomenis ad Sancti Ignatii Epistolas *cap.* 9. relatis per Cotelerium *tom.* 2. in fine *pag.* 183. *& seqq.* & signanter *pag.* 203. plura, quibus expositio de dissidiis ante Nicænum Concilium nuper habita aliquo modo infirmatur, erudite elucubratus est; *primum* scilicet, quod Cyclus Judaicus usque ad Sanctum Victorem Papam Quartadecimanis fuerit communis, atque omnibus

omnibus Catholicis; *Secundum*, quod ipsi Quartadecimani consueverint Pascha celebrare die quinto decimo Lunæ, in quemcumque Septimanæ diem incidente; *Tertium*, quod hunc ritum Cilices, Syri, ac Mesopotami, juxta Sancti Athanasii relationem observaverint usque ad Nicænum Concilium; *Quartum*, quod post prælaudatum Sanctum Victorem Papam Pascha, licet ab omnibus Catholicis, prout antea, celebratum fuerit die Dominico, qui proxime quartam decimam primi mensis subsequebatur; tamen ex eo tunc erat controversia, quia non omnes Catholici eumdem Cyclum Judaicum, sed quidam hunc Cyclum; quidam vero Octoaeteridem Sancti Dionisii Archiepiscopi Alexandrini; quidam Cyclum Sancti Hippolyti Martyris, quidam denique Cyclum Sancti Anatholii adhibebant.

35 Admissa per modum hypothesis hac Usserii sententia, illud ex ea resultat, quod superius dictum est; scilicet, exceptis Quartadecimanis, reliqui omnes Christiani die Dominico post lunam quartam decimam Pascha celebraverint, usque ad Nicænum Concilium, licet in determinanda Paschæ Dominica inter sese, ut Usserius, discordes fuerint propter usum diversorum Cyclorum. Quare ex eadem doctissimi viri sententia perspicuum est, Romanam Ecclesiam non exhorruisse Paschæ celebrationem luna quinta decima in Dominicam incidente. Dixi, *admissa per modum hypothesi Usserii sententia*; huic enim plura obstant, quæ breviter adnotabo.

36 Ad *primum* itaque respondeo, quod nulla fretus auctoritate id affirmavit Usserius, & quæ allegat ex libro Constitutionum Apostolicarum, licet antiquioris temporis auctoritatem non præseferant, quam Guilielmus Beveregius apud Cotelerium *tom.* 2., exploserit; nihilominus legitimam non producunt hujusmodi illationem. Quis enim dixerit, exempli gratia, Sanctum Irænum in Gallia celebrasse Pascha die solum quarto decimo Lunæ, quamvis (uti constat ex Eusebio, ex Sancto Hieronymo, atque ex Bibliotheca Photii) antea fuerit discipulus Sancti Polycarpi Smirnensis Episcopi, qui Quartadecimanorum sententiam strenue defendit? Simili modo illi, qui ex Judaismo Christianam Fidem amplexi sunt, fueruntque Episcopi Hierosolymæ, ex quo olim in Judaismo degentes Cyclum Judaicum usurpaverint, legitime non infertur, quod facti deinde Episcopi Hierosolymæ Cyclum Judaicum retinuerint. Imo clare constat, quod ipsi facti Episcopi Hierosolymæ Cyclum illum usurpaverint, quo summi Romani Pontifices, atque Alexandrina Ecclesia, quæ ex communi scriptorum sententia usum Cycli Judaici nunquam agnovit, utebantur. Narcissus enim Hierosolymæ Episcopus, qui Cæsariensi Concilio Anni 198. interfuit, cum reliquis ejusdem Concilii Patribus in Synodali Epistola fidem facit apud Eusebium *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 25. ibi -- *Eodem, quo apud nos die Pascha Alexandriæ celebrari. A nobis enim ad illos, ut vicissim ab illis ad nos litteræ perferuntur; ita ut uno consensu, & simul Sacrosanctum peragamus diem*.

37 Neque Usserio favent hæc verba ejusdem Libri Constitutionum Apostolicarum ab eodem Usserio diligenter allegata -- *Vos temporum rationes ne subducite, sed eo tempore celebrate, quo fratres vestri, qui ex circumcisione prodierunt. Cum iis itaque Pascha peragite, & quamvis aberrent ipsi, nihil id vos commoveat* -- Ista namque verba -- *Vos temporum*

porum rationes ne subducite -- prohibent quidem supputandi rationem ab ea diversam, quam prædicti Hierosolymæ Episcopi usurpabant; sed non inde sequitur, quod ipsi Episcopi Cyclum Judaicum adhibuerint; imo si geminum prædictorum verborum sensum velimus exquirere, hunc utique assequemur ex causa, propter quam quis sese ad rationes temporum subducendas commisisset, ac respective ex fine emanatæ prohibitionis. Utrumque recitata verba præseferunt. Prohibitio enim emanavit, ne celebratio Paschæ diversa die ageretur, uti constat ex verbis -- *Sed eo tempore celebrate, quo Fratres vestri &c.* Prædicta vero causa sunt errata, in quæ Episcopos ipsos, aliquando, ut omnium Cyclorum est natura, inducebat Cyclus tunc ab eis usitatus, ut manifestant hæc verba -- *Quamvis aberrent ipsi* -- Cum ergo istorum errata calculis tantum astronomicis præcognosci corrigique potuerint, genuinus prædictorum verborum sensus est -- *ne rationes temporum subducerentur ex calculis astronomicis*, quorum usu dissidium in celebratione Paschæ illico exortum fuisset. Ex illis enim verbis prohibita non erat rectioris Cycli investigatio pro bono Ecclesiæ, quemadmodum de illo tempore patefaciunt Cycli, quos Sanctus Hyppolitus, Sanctus Anatholius, atque Sanctus Dionysius Patriarcha Alexandrinus ediderunt.

38 Ad *secundum* respondeo, id esse directe contrarium tum Eusebio superius relato, tum Epistolæ Policratis Episcopi Ephesini apud eumdem Eusebium *lib. 5. Hist. Eccles. cap.* 24., qui disertè loquuntur de die quarto decimo Lunæ, quando Judæi Agnum immolabant. Usserius tamen allegat Sanctum Joannem Chrisostomum *Oratione tertia in eos, qui Pascha jejunant*, quæ reposita est *tom.* 1. *Recentioris Editionis Venetiis impressæ pag.* 608. At Sanctus Doctor non loquitur de Quartadecimanis propriè dictis, sed de illis, quos [paucos scilicet in sua Diœcesi] ut ipse ait, *invaserat Pestis*, nempe Novatianorum, qui in Pazzensi sub Valente, ac deinde in Sangariensi Conciliabulis omnem Paschæ ritum, ut inferius erit sermo, subverterunt. Difficiliter intelligitur Chrisostomus in illa Oratione, nisi præ oculis sit eorumdem Novatianorum Decretum, a Socrate, & Sozomeno appellatum -- *indifferens*.

Dubitasne Sanctum Joannem Chrisostomum loquutum fuisse de Novatianis? Audias quæso Socratem, qui de Novatianis loquens, sic ait -- *lib.* 4. *Hist. Eccles. cap.* 28. *Circa hoc tempus* [nempe Valentis Imperatoris] *Festum Paschæ immutarunt. Pauci quippe, & obscuri Novatianorum in Phrigia Episcopi, collecta Synodo in Vico Pazo, ubi Fontes Amnis Sangarii visuntur, regulam promulgarunt, ut quotannis observaretur, quo die Judæi Azyma celebrarent, & una cum illis Festum Paschale celebraretur* --. Cum ergo Judæi (ut patet in Exodo *cap.* 12. & Levitico *cap.* 23.) Azyma celebraverint quinto decimo die Lunæ, quemadmodum hoc eodem die adhuc celebrant suum Azymorum Pascha, ut dictum est *Quæst.* 3. *num.* 46. Et cum Novatiani in Pazzensi Conciliabulo regulam prædictam promulgaverint; evidenter patet, Sanctum Doctorem non de Quartadecimanis, propriè dictis, loquutum esse, sed de Novatianis. Quod insuper confirmatur ex eodem Socrate qui *lib.* 5. *cap.* 21. refert, quod Sabbatius in Sangariensi Conciliabulo ajebat -- *Hoc Festum juxta morem Judæorum, & juxta formulam in*

Paz-

Pozzensi Synodo promulgatam observari oportere. Quapropter evidenter constat de Clarissimo Usserii Anacronismo.

39 *Ad Tertium* respondeo, quod Sanctus Athanasius, cujus verba retuli num. 12., Cilices, Syros, & Mesopotamos non facit Quartadecimanos, sed inter præmemoratos Orientales reponit, qui licet Pascha die Dominico celebraverint post lunam quartam decimam, tamen Cyclo Judaico utebantur, uti manifestum est ex dictis *num.* 24. Textus enim græcus Athanasii non dicit, quod Cilices, Syri, & Mesopotami — *eodem* — tempore, quo Judæi, Pascha celebrabant, ut ait Versio Latina Athanasiii; quo casu ipsi dicendi quidem essent Quartadecimani, quoniam si Paschæ Festum peregissent die Dominico non verificaretur in facto, quod ipsi — *eodem* — tempore, quo Judæi Pascha celebrassent, nimirum quando dies prima Azymorum Judæis advenisset, exempli gratia, feria tertia, aut quarta, aut quinta, aut sexta, aut Sabbato; sed Textus græcus dicit — *tempore, quo Judæi Pascha celebrant, ipsi quoque celebrabant* —, quod perinde est, ac dicere, Cilices, Syri, & Mesopotami Pascha celebrabant altero ex septem diebus, scilicet, die Dominico incidente in alterum ex septem diebus, in quibus Judæi Azyma comedentes, Pascha celebrabant. *Tempus* namque Paschæ Judæorum non uni tantum diei affixum erat, sed extensionem habebat omnibus septem diebus Azymorum, ut clarè patet in Actibus Apostolorum *cap.* 12. sub initium, ac etiam ipsimet Judæi ad præsens observant.

40 Ex hisce igitur verbis Sancti Athanasii confirmantur, quæ *num.* 20., *&* 23. ex Epistola Constantini deduximus, nempe, Orientales ideo ab Occidentalibus in celebratione Paschæ dissidisse, quia ipsi Orientales nomenclaturam dierum lunarium usurpabant secundum Cycli Judaici designationem, quod eruditissimus Usserius non negat.

41 Prædicta vero Sancti Athanasii expositio egregiè concordat cum Eusebio superius allegato *num.* 24., qui refert, omnes per universum Orbem Ecclesias, excepta Asia Minori, Pascha tunc celebrasse die Dominico, qui quartamdecimam lunam subsequebatur: Concordat etiam cum Sancto Ignatio Martyre, secundo post Apostolum Petrum Patriarcha Antiochiæ in Syria, qui in Epistola ad Magnesianos apud Cotelerium *tom.* 2. *pag.* 19. sic docebat — *Si adhuc juxta legem Mosaicam vixerimus, confitemur nos gratiam non accepisse* —, & post pauca sic ait — *absurdum est, Christum Jesum profari, & judaizare* —; in Epistola verò ad Philippenses, quæ a nonnullis suppofititia habetur, dicit apud eumdem Cotelerium *pag.* 124. — *Quicunque cum Judæis Pascha fecerit, aut solemnia dierum Festorum eorum susceperit, comparticipabit eis, qui Dominum, atque Apostolos ejus occiderunt*. Cum igitur Syriæ Patriarcha tam celebris prædicta docuerit, quomodo dici potest, Syros ab Apostolo Petro, ac deinde a Sancto Ignatio Martyre edoctos, fuisse Quartadecimanos? *Cilices* ergo (nempe non omnes, ut habetur ex allegata Constantini Epistola, sed illos tantum, qui ab Occidentalibus dissidebant) *Syros, & Mesopotamos* ideo ex Sancto Athanasio claudicasse dicendum est, quia ipsi, utpote Cyclo Judaico utentes, Pascha non eodem die Dominico cum reliquis Orbis Partibus peragebant.

42 Si vero hujusmodi dissidium, ut habetur ex Sancto Athanasio *loc. citat.* idem prefefert, ac *claudicare*; illudque fuit causa convocandæ

P 2 Pri-

Primæ Nicænæ Synodi; ut disertissimè refert idem Sanctus Athanasius *loc. cit.*, quomodo nos apud Deum excusatione dignos facere possumus, emendationem retardantes Correctionis vulgò Gregorianæ, cujus errores aversas a novi Calendarii acceptatione faciunt exteras Nationes, quæ a nobis dissident in celebratione Paschæ? Emendatis verò Epactis Currentibus ipsæ exteræ Nationes sibi imputabunt, si in ejusdem Festi celebratione negligunt unionem, ad quam omnes advocat illa Fides, quam omnes unanimiter de Redemptione humana profitemur. Cum enim unus pro nobis omnibus mortuus sit, & resurrexit; idque celebratione Paschæ recolamus, non plura Paschata sed — *unum Pascha Orbi Terrarum* — clamarunt Patres Calcedonensis Concilii apud *Conciliorum Collectionem Regiam maximam tom. 2. Act. 6. in fine pag.* 490. Et non solum ut sit — *Unum Pascha Orbi Terrarum* —, verum etiam in Oecumenicis Conciliis Ephesino, & prædicto Calcedonense ita fuit pronunciatum — *Omnis, qui non celebrat sanctum diem Paschæ secundum Ecclesiæ Catholicæ Statuta, Anathema sit* —; ut patebit *numero* 243.

43 *Ad quartum* respondeo, quod Usserius probat quidem ex Eusebio, editos, non autem in usu receptos fuisse omnes enunciatos Cyclos. Quot Cycli, & ad præsens, extant ab eruditissimis Viris elucubrati! Nunquid ad praxim deducti sunt? Usserius ergo dissidia in celebratione Paschæ haud legitimè infert ex eo, quod post Sanctum Victorem Papam, & ante Nicænum Concilium plures editi fuerunt Cycli. Revera Cyclum Sancti Hyppoliti in usu receptum non fuisse manifestè patet ex iis, quæ inferius exhibebo sub Titulo — *Quæ fuerint Norisii fundamenta, &c. num.* 271. *& seqq.* Idem dicendum est de Cyclo Sancti Anatholii; nam Eusebius *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 32., in quo de Anatholio mentionem facit, ne verbum quidem profert, ex quo ullus deduci possit usus hujus Cycli. Rursus de ipso Anatholio, Laodiceæ in Syria Episcopo legitur *tom.* 1. *Conciliorum ad Regiam editionem exaratorum Lutetiæ Parisiorum Anno* 1631., *pag.* 901., quod ipse contra Paulum Samosatenum interfuit Synodo Antiochenę, & ejusdem Anatholii — ibi — *de Paschate Canones circumferuntur* —; Si Anatholii Cyclus in usu fuisset, non legeretur in illa Syrię Synodo, quod *Anatholii de Paschate Canones circumferuntur*, sed adhibentur. Circumferuntur enim, quę acceptari exoptantur. Quid amplius? Vidimus supra ex Epistola Constantini Magni *num.* 20., *& seqq.*, quod dissidia Nicęni Ævo non spatiabantur, nisi in id, quod cum Judæis erat commune; & insuper vidimus ex Sancto Athanasio *num.* 39. *& seqq.* Syros ab Occidentalibus ideo discrepasse usque ad Nicæni Ævum, quia Cyclum Judaicum usurpabant; quomodo ergo dici potest, Cyclum Anatholii Laodiceæ in Syria Episcopi in usu fuisse receptum? Merum ergo commentum est, dissidia in celebratione Paschæ fuisse ante Nicæni Ævum propter usum Cycli Sancti Anatholii, ac Sancti Hippolyti.

44 Dices; fuerunt saltem dissidia propter usum Canonis Octoaeteridos, nempe octo Annorum, quem edidit Sanctus Dionysius Archiepiscopus Alexandrinus. Respondeo, quod post multas vigilias inveni hunc Canonem Octoaeteridos a Sancto Dionysio Alexandrino editum, de quo paulo inferius erit sermo, in Alexandrina, Romanaque Ec-

cle-

clesia, & consequenter uti patet ex dictis per Universum Orbem Christianum fuisse usurpatum, usque ad Nicæni Ævum, exceptis illis, qui, uti supra, Cyclum Judaicum adhibebant. Commentum ergo est, tunc fuisse dissidium in celebratione Paschæ ultra illud, quod Cyclus Judaicus, uti supra, præseferebat.

DISCUTITUR QUÆNAM SPECIES OCTOAETERIDIS FUERIT, ET CUR EDITA A DIONYSIO ALEXANDRINO; AC PROPTEREA AGITUR DE OCTOAETERIDIS RATIONE; DEINDE VERO PROBATUR CONTRA EUNDEM USSERIUM, OCTOAETERIDEN EJUSDEM DIONYSII ETIAM IN ROMANA ECCLESIA FUISSE USURPATAM; ET INTERIM DE JULII CÆSARIS CALENDARIO, ET DE RATIONE, QUA ISTUD DIGESTUM EST, AC VETERIS CALENDARII ARTIFICIUM EXPLICATUR.

45 Quo solidè probetur, prædictum Sancti Dionysii Alexandrini Canonem ab Alexandrina Romanaque Ecclesia fuisse usurpatum, differendum est, quemnam Octoaeteridos Canonem ediderit Sanctus Dionysius Alexandrinus, ac primo de Octoaeteridos ratione.

46 Dubium non est, Octoaeteriden esse quamdam periodum octo Annorum, ac duplici modo accipi posse, scilicet tanquam periodum per se constantem, & tanquam partem Cycli decennovennalis, hic enim Cyclus constat primo de Octoaeteride, sive de Ogdoade, deinde de Hendecade, quæ est Periodus quædam undecim Annorum, & complementum totius Cycli decennovennalis.

47 De Octoaeteride, tanquam periodo per se constante; plura comminiscitur Joseph Scaliger *De emend. Temp. lib.* 2. *sub. initium*, quem Petavius *de Doct. Temp. tom.* 1. *lib.* 2. pererudite confutat, fretus præcipue auctoritate Gemini, qui Ciceronis tempore floruit, atque, ut ipse Petavius refert *loc. cit. cap.* 8., ait, quod primus Octoaeteridos Conditor — *Octoaeteridi dies attribuit* 2922; *& post duas Octoaeterides superfluos tres dies adiecit* . . . . . *quo Lunæ rationes assequerentur*. Res studio Petavii, hucusque sine difficultate videtur; at sensus verborum Gemini profecto ab eo diversus est, quem Petavius existimat.

48 Petavius *loc. cit. priorem Octoaeteriden* constare ex Gemino putat *diebus* 2922. *posteriorem vero diebus* 2925., & rem ipsam apertius explicans dicit, quod *Popularis, & civilis mensium ordinatio alternos plenos, cavosque menses habuit, ita ut in fine secundæ Octoaeteridis triduum accresceret, sive postremus dies obtineret* 32., *sive tres illi dies totidem in menses erogarentur*. Vir clarissimus ergo existimat, inter priorem, & posteriorem Octoaeteriden fuisse trium dierum differentiam. At quinam dixerit Veteres Geometricis Astronomicisque speculationibus apprime cultos, in ordinanda vero Octoaeteride adeo rudes fuisse, ut in paria octo Annorum intervalla, hujusmodi diversitatem admiserint?

49 Sensus itaque verborum Gemini est, ut post duas Octoaeterides tres dies adiecti sint, *computandi scilicet a die inclusive, in quo prior Octoaeteris incipit*; & sic posterior Octoaeteris dies tantum 2921. amplectebatur

plectebatur, quorum dierum ultimus perpetuo erat tertius labentis Anni Solaris, ab initio prioris Octoaeteridis computatus. Quare inter priorem, & posteriorem Octoaeteriden differentia, uti ratio postulabat, unius tantum erat diei. Fateor id hactenus inauditum, sed verum. In civili enim mensium Lunarium ordinatione illæ propemodum sex horæ, Anno Solari abundantes ultra solidos dies 365., sive clarius intercalationes, quæ singulis quadrienniis fiebant, præcipue apud Græcos, a quibus Olympiadum usus manavit, ac deinde Octoaeteridum; apud nos vero Bissextilium nomen sortitæ sunt, numquam computantur; ex quo fit, ut prior Octoaeteris, quam Geminus refert fuisse diebus 2922., finem habeat secundo labentis Anni Solaris die, computato ab eo die inclusive, in quo ipsa prior Octoaeteris incipit; posterior autem Octoaeteris procedat; uti nuper exposui.

50 Et quidem Geminus, si rem aliter intellexisset, utique initium prioris Octoaeteridos implicite non commemorasset, dicens *post duas Octoaeterides*, sed absolute dixisset tres dies adjectos secundæ Octoaeteridi. Insuper non apposuisset ly -- *Superfluos* -- dicens -- *Superfluos tres dies adjecit* -- Superflui enim, sive alio vocabulo abundantes, aut residui *dies* appellantur, qui in numero civilis computi comprehendi nequeunt, sed eidem civili computo superflui, sive abundantes sunt ex motibus Lunæ. Quamobrem dicendum est, quod conditor Octoaeteridis tres dies adjecit illi diei civili, cui post duas Octoaeterides tres dies superflui, sive abundantes sunt ex motibus Lunæ. Sed post duas Octoaeterides, tres dies ex motibus Lunæ, superflui sunt diei, a quo inclusive initium habet prior Octoaeteris; Ergo conditor Octoaeteridis huic diei, ut dictum est, istos tres dies adjecit. Minor ex eo patet, quia syzygiæ 198., quotas duæ Octoaeterides amplectuntur, includunt dies 5847. hor. 1. min. 22. sec. 29. ter. 5. quar. 24. Anni vero sexdecim Solares, quorum singuli sint diebus 365. cum quadrante, includunt dies 5844. Ergo tres dies ex motibus Lunæ superflui sunt diei, a quo inclusive initium habet prior Octoaeteris. Bene ergo duæ Octoaeterides, quarum prima sit diebus 2922., altera vero diebus 2921., summam exhibent dierum tantum 5843., si enim quatuor intercalationes, quæ sexdecim Annis Solaribus occurrunt, in civili mensium lunarium ordinatione computarentur, emergeret summa dierum 5847. quotos Syzygiæ 198. præcise includunt, neglectis fragmentis. Merito igitur Octoaeteriden -- *Vere Annum Magnum esse* (sic ait Censorinus), *pleraque Græcia existimavit, quod ex Annis vertentibus Solidis constaret, ut proprie in Anno Magno fieri par est* --; Cæsar vero eam tanti fecit, ut apud Lucanum *lib. X. non longe ab initio pag.* 279. *Se jactet*.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus Annus.

51 At cur ista jactatio? Eudoxus Cnidius expositam Octoaeteriden primus edidit, eamque Græcis in parapegmate publicavit, quæ in suis revolutionibus novilunia, ut inferius patebit, non restituebat ad metam eamdem Solis, unde orta essent. *Parapegma autem cum Octoaeteride* (sunt verba Josephi Scaligeri *loc. cit. sub Titulo -- Elenchus Octoaeteridis --*), *Lucanus vocat Fastos; vel ut ipse loquitur, Fastus.* Thomas vero Farnabius in suis ad Lucanum notis sic ait -- *hujus autem*

tem

tem. (nempe Eudoxi) *Fastis*, *idest rationi Anni Cæsar dicit*, *suam Anni correctionem non cessuram* —. Frustranea itaque fuisset prædicta jactatio, si Cæsar Magnum etiam Annum lunarem non edidisset, cum quo legitima, utpote de re simili, ad rem similem comparatio Anni Magni, sive Octoaeteridis Eudoxi fieri potuisset, indequè certò cognosci elegantia magni Anni lunaris Cæsaris longè superior magno lunari Anno Eudoxi. Magnum quidem lunarem Annum a Cæsare editum fuisse, evidenter ostendam *num*. 80. *&* *seqq*. Hic verò Annus, quem edidit Cæsar esse nequit, nisi magnus Annus enneadecaetericus, scilicet constans Annis undeviginti, qui revera reputabatur teste Diodoro Siculo *lib*. 12. *ante medium pag*. 686., reputabatur, inquam —, *Annus magnus* — atque in suis revolutionibus novilunia ad metam eamdem Solis, unde orta sunt, eleganter, ac commodè restituit; Octoaeteriden Harpali, & Eudoxi, veluti omnino famulam, tenet; & quam civilium noviluniorum apocatastasim exhibet imperfectam Octoaeteris Eudoxi, tum singulis suis revolutionibus, ut *numero* 53., *&* 54. patebit, tum undevicesies repetita, ut patebit *num*. 58., magnus Annus enneadecaetericus omnino perfectam servat, non solùm singulis Julianorum undeviginti Annorum periodis, ut notum est, verùm etiam singulis revolutionibus rationis, qua aurei numeri novilunia mense Januario indicantes, inter sese progrediuntur, & quam cum nemo, quem viderim, explicaverit, breviter exponere non tædeat. Aurei namque numeri mense Januario non casu progrediuntur cum perpetuo inter se se octo unitatum additamento, sed *ut Octoaeteriden prodant*, *simulque vitium ejusdem pandant*, *corrigantque*; & hæc est præcipua ratio, qua aurei numeri in Calendario procedunt cum additamento octo unitatum. Primam enim Octoaeteridis revolutionem aureus numerus IX. (initium namque Octoaeteridum secundum Julii Cæsaris ordinationem præsefert Aureus numerus ejusdem Julii Cæsaris primus) secundam revolutionem aureus numerus XVII., tertiam revolutionem aureus numerus VI. designat, quoniam dempto 19. ex 25. reliquum est 6., quartam revolutionem aureus numerus XIV. proclamat; & sic de cæteris, adeout undevigesimam Octoaeteriden compereris completam, quando in Orbem redit aureus numerus, a quo primæ Octoaeteridis initium cęperis. Quare manifestum est, quod cavus mensis lunaris, quæ in Eudoxi Octoaeteride tunc abundat, ut clarè exponam *num*. 58., & patefacit etiam Calippica Periodus duplicata, correctus apparet.

52 Si verò animadvertas, quòd novemdecim aurei numeri consociare non possunt majorem dierum numerum, qualis est ille trigiuta dierum, quibus constat mensis lunaris plenus; ac propterea necessariò exigunt, ut undecim dies mensis Januarii sint sine ullo aureo numero, utique cognosces, quòd aurei numeri cum prædicto octo unitatum additamento procedentes, signare necessariò debent undecim Octoaeterides diebus 2922., non computatis Bissextis; octo autem Octoaeterides diebus 2921. At quoniam singulis undeviginti Annorum periodis unus dies subtrahitur ex lunari Anno hujus periodi ultimo; hinc fit, ut illa Octoaeteris, qua currente interponitur hujusmodi diei subtractio, a Computistis appellata — *Saltus Lunæ* — amplectatur solum dies 2921., non computatis Bissextis; *&* *ista est genuina ratio* (notetur,

tetur, nemo enim hactenus veritatem hanc detexit, qua etiam explicatur altissimum Veteris Calendarii artificium) *ista est*, inquam, *genuina ratio, qua aurei solùm numeri producti ex subtractione undevicenarii numeri consocient diem immediatè sequentem præcedenti aureo numero; aurei autem numeri, qui regulariter sine ulla subtractione procedunt, vacuam semper inter sese relinquant unam diem, enuncientque Octoaeteriden constantem diebus* 2922. Octo namque solares Anni communes, quorum singuli sint diebus 365., amplectuntur solidos dies 2920. Quare si hisce addantur dies, qui intercedunt a fine Solaris Anni octavi usque ad diem, quem, uti supra, consociare debet aureus numerus designans initium Octoaeteridis proximè sequentis, manifestum est, quod duo dies adjiciendi sunt, quoties Octoaeteris proximè sequens designatur ab aureo numero regulariter procedente sine subtractione; adjiciendi, inquam, sunt duo dies, nempe dies, in quo initium cœperit Octoaeteris, ac dies vacuus, in quo ipsa Octoaeteris finem habet; ex quibus duobus diebus fit summa dierum 2922. Hac methodo comperies, Octoaeteriden constare diebus 2921., quoties Octoaeteris proximè sequens incipit ab aureo numero, ex prædicta subtractione producto, qui propter saltum Lunæ tunc occurrentem, diem vacuam relinquere nequit. Cum igitur undecim dies ex lunari pleno mense abundent ultra quantitatem aureorum numerorum; & cum in revolutione omnium aureorum numerorum cum prædicto additamento procedentium, ter tantum occurrat, ut inter duas Octoaeterides fieri non debeat saltus Lunæ; fit, ut numerus Octoaeteridum, quæ constant diebus 2922., excedat tribus unitatibus numerum Octoaeteridum, quæ dies 2921. amplectuntur. Quare aurei numeri, cum præfato additamento procedentes, in universum designant sexdecim Octoaeterides Eudoxi, quæ hunc ordinem perpetuò retinent, ut Octoaeteridi dierum 2922. proximè succedat Octoaeteris dierum 2921., ac etiam designant tres Octoaeterides Harpali, quem Eudoxus correxit, & qui, ut colligitur ex Censorino, Octoaeteriden edidit perpetuò constantem diebus 2924.; quod perinde est, ac dicere diebus 2922, non computatis Bissextis; quæ tres Octoaeterides Harpali sunt quælibet prima ex duabus Octoaeteribus dierum 2922., uti supra, occurrentibus in prædicta regulari aureorum numerorum progressione sine interpositione Saltus Lunæ. Quod vitium igitur præseferebat Octoaeteris Harpali, atque Eudoxi non solùm singulis suis revolutionibus, verum etiam undevicesies repetita, Magnus Annus Enneadecaetericus, Octoaeteriden, veluti omnino famulam tenens, perfectè corrigit tum singulis Annorum novemdecim Julianorum periodis, tum respectivè in revolutione rationis, qua aurei numeri mense Januario regulam ceteris Anni Mensibus præbente, inter se se progrediuntur.

53 Meritò igitur apud Lucanum, uti supra, se jactat Cæsar, quoniam facta comparatione Anni Magni, quem Octoaeteris Eudoxi conflabat, cum Anno Magno Enneadecaeterico, quem ipsemet Cæsar edidit conflato ex Solaribus novemdecim Annis ejusdem Julii Cæsaris, dubium non est, quod iste Annus, quippe qui Octoaeteriden Eudoxi prodit, vitium ejus pandit, corrigitque, numquam ab Anno Magno Octoaeteridis Eudoxi vincetur.

At

At cum Annus Enneadecaetericus, a Cæsare editus, Octoaeteriden Eudoxi includat, videamus quæso, an hanc præseferat, vel, pro ut tradidit Petavius *num.* 48., vel, prout exposui *num.* 49. *& seqq.* Constat ex dictis *num.* 51. *&* 52., quòd secunda Octoaeteris Eudoxi, cujus finem jam completum elapsumque designat aureus numerus, ex subtractione undevicenarii productus; perpetuò constat diebus 2921., non computatis Bissextis; & cum iste aureus numerus, propter Saltum Lunæ tunc occurrentem, consociare debeat diem, qui immediatè succedit præcedenti aureo numero, necessariò sequitur, quod tres illi dies superflui, quos Geminus *num.* 47. commemorat, adjecti fuerint diei, a quo inclusivè incipit prior Octoaeteris, pro ut exposui *num.* 49., *& seq.* Insuper quod prodit Annus Enneadecaetericus a Cæsare, uti supra, editus, & a Calendario sejunctus, confirmatum deprehenditur in Calendario ejusdem Cæsaris. Hoc Calendarium inter cæteros alibi allegandos vulgavit Clarissimus Blondel *in Hist. de Calendar. Romano pag.* 65., vulgaveratque Petavius *de Doct. Temp. lib.* 6. *cap.* 14., de quo Calendario iterum recurret sermo *num.* 79. *usque ad numerum* 96. Aurei numeri in isto Cæsaris Calendario per dies omnium mensium Anni Solaris, nulla, ut par est, inscripta intercalationis Bissextilium ratione, distributi sunt, pro ut exhibet præsens Laterculus, in quo retulimus mensem Martium, & Aprilem, omissis Columnis, quæ ad rem nostram non pertinent; & quo præcisè modo descriptus est mensis Martius, descriptus in prædicto Calendario est etiam mensis Januarius; & sicut mensis Aprilis usque ad diem 28. inclusivè, ita etiam mensis Februarius; hoc tantum monito, quòd in primæva Julii Cæsaris institutione non ita procedebat. Mensis enim Februarius tunc diebus 29. constabat; sed cum ex Senatus Consulto unus dies expunctus fuerit ex Februario, ut mensis Sextilis Octaviano Cæsari dicatus, ac propterea appellatus Augustus, fieret diebus 31., qui aureus numerus ultimum [nempe vigesimum nonum] Februarii diem antea occupabat, deinceps consociavit primum diem mensis Martii; & sic omnes aurei numeri, qui per dies mensis Martii, ac reliquorum mensium distributi fuerant, ad diem proximè sequentem descenderunt, quemadmodum designat sequens Laterculus.

SEQUITUR LATERCULUS.

LATERCULUS EXHIBENS AUREOS NUMEROS,
Prout descripti sunt in Calendario Cæsaris.

Mense Martio.		*Mense Aprili.*	
Dies.	*Aurei Numeri.*	*Dies.*	*Aurei Numeri.*
1	I	1	IX
2	•	2	•
3	IX	3	XVII
4	•	4	VI
5	XVII	5	•
6	VI	6	XIV
7	•	7	III
8	XIV	8	•
9	III	9	XI
10	•	10	•
11	XI	11	XIX
12	•	12	VIII
13	XIX	13	•
14	VIII	14	XVI
15	•	15	V
16	XVI	16	•
17	V	17	XIII
18	•	18	II
19	XIII	19	•
20	II	20	X
21	•	21	•
22	X	22	XVIII
23	•	23	VII
24	XVIII	24	•
25	VII	25	XV
26	•	26	IV
27	XV	27	•
28	IV	28	XII
29	•	29	I
30	XII	30	•
31	I	—	—

54 Singuli aurei numeri singulos Annos Julianos designabant, ac diebus, quibus affixi sunt, novilunium proferunt. Quæ verò fuerit horum aureorum numerorum Epocha, inferius explicabo. Si igitus ab altero

altero inclusivè ad alterum aureum numerum exclusivè, octo aurei numeri, juxta eorum filum, computati interponantur, octo quoque Anni intercedunt. Hoc, claritatis gratia, adnotato, perspicuum in Calendario Cæsaris est, quod Octoaeteris currente aureo numero IX. incipit die tertia Martii, definitque die quarta ejusdem mensis. A die autem tertia Martii inclusivè ad diem quartam Martii inclusivè, elapsis octo Annis numerantur (non computata Bissextilium intercalatione, prout fit in Calendario Cæsaris) numerantur, inquam, dies 2922., quotos Geminus priori Octoaeteridi attribuit. Posterior verò Octoaeteris, currente aureo numero XVII., incipit die quinta Martii, eodemque die post octo Annos desinit; Octoaeteris enim proxime succedens currente aureo numero VI., incipit die sexta Martii. Quamobrem ipsa posterior Octoaeteris, currente aureo numero XVII. incepta, constat diebus 2921. numerus enim octo multiplicatus per 365., quotos dies amplectitur Solaris Annus communis, exhibet summam dierum 2920. quibus addita die quinta Martii, ad sequentem Annum Solarem pertinente, fit summa dierum 2921., & ita post duas Octoaeterides, tres dies adjecti deprehenduntur, nempe dies tertius, quartus, & quintus Martii, ad sequentem Annum Solarem spectantes, atque computati a die inclusivè, in quo incipt prior Octoaeteris cum aureo numero IX. Quod dixit Geminus, & erat probandum.

Vidisti hucusque altissimam Doctrinam inclusam in dispositione Aureorum numerorum Julii Cæsaris mense Januario, & Martio; in reliquis enim Anni mensibus ipsi aurei numeri procedebant juxta exigentiam Lunationum Cavarum, & Plenarum. Existimo tamen quod collationem jam feceris, eandem ipsam Doctriuam, ut notavi *num.* 52. inclusam etiam esse in dispositione aureorum numerum Veteris Calendarii. Animadvertas nunc, amabo, Sapientiam Gregorii XIII. Sum. Pont.; eandem enim ipsam Doctrinam, quamvis perpetuo silentio præteritam a Clavio & aliis, comperies quoque inclusam in Calendario Gregoriano, nimirum in dispositione Epactarum cujuslibet datæ decennovennalis Epactarum Periodi, in usum advocandæ ad normam Æquationis Luminarium; idque facilius obtinebis, si diebus mensis Januarii, & Martii adnotabis cujusvis Periodi Epactas; prout istæ jacent adscriptæ diebus mensis in Calendario Gregoriano; quoniam sine ulteriori artificio conspicies Epactas, quæ in dicta Periodo proximè succedunt alteri Epactæ, esse initium alterius Octoaeteridis; adeo ut quamvis sibi succedant, nihilominus ipsarum usus perpetuo inter se se recurrit post octo Annos, in dicta Periodo. Merito igitur alibi dixerim -- *Calendarium Gregorianum cœlesti artificio confectum*.

55 Explicatis his, quæ ad rationem Octoaeteridis pertinent, videamus, an Sanctus Dionysius Archiepiscopus Alexandrinus Octoaeteriden ediderit tanquam periodum per se constantem, vel potius tanquam partem Cycli decennovennalis.

Si Octoaeteriden edidisset, tanquam periodum per se constantem; eam perpetuò fecisset diebus vel 2922., vel 2921. Si fecisset eam diebus 2921., medietas diei perpetuò defecisset complemento cœlestis Lunationis. Si verò fecisset eam diebus 2922., medietas diei abundasset. Sanctus ergo Dionysius singulis Octoaeteridos revolutioni-

bus non solùm in eundem Anni Solaris diem Neomenias non reposuisset, uti patet ex dictis; & consequenter post quasdam Octoaeteridos revolutiones, una integra revolutio plus æquo inservisset, ut paulo inferius patebit; verùm etiam enunciatam differentiam inter Neomenias civiles, & astronomicas non curasset, quæ additamentum semissis diei perpetuò habuisset; adeo ut brevi Annorum intervallo plures solidos dies produceret. Quis verò audeat hæc de tanto Viro, atque Antistite in Astronomiæ sede residente proferre? Quæ nec Veteribus Græcis, Octoaeteridos auctoribus, attribuuntur, juxta sententiam Petavii; juxta verò sententiam contrariam Josephi Scaligeri per Eudoxum Cnidium, pluribus sæculis ante Æram Christi vulgarem fuerunt reprobata, & correcta.

56 Dices; Dionysius Alexandrinus Octoaeteriden disponere potuit tali methodo, ut prior Octoaeteris, uti supra ex Gemino notatum est, dies 2922., posterior autem dies 2921. amplecteretur. Respondeo, quod ipse, si hujusmodi methodo usus fuisset, eam, licet per Cyclum Cæsaris antiquatam, Cyclo Metonis, sive aureorum numerorum prætulisset contra Alexandrinorum sententiam, & contra rationem; ac denique non Octoaeteriden, tanquam periodum per se constantem, sed verè, & realiter Heccædecaeteriden edidisset, nempe Periodum Annorum sexdecim.

57 Et quidem contra Alexandrinorum sententiam, Sanctus Dionysius Alexandrinus prædictam methodum Cyclo Decennovennali prætulisset; quoniam Julius Cæsar, ante quam correctionem suam publicasset, Alexandriæ moram faciens, ut refert Dio. *lib.* 43., sententiam Mathematicorum Alexandrinorum de ipsa correctione exquisivit. Quare uniformis sententiæ eorum censeri debet extensio Cycli decennovennalis in Calendario Cæsaris. Rursus Sosigenes, qui Julianæ correctioni operam suam impendit, ac propterea aureos numeros in Calendario Cæsaris ordinavit, erat Alexandrinus. Denique tanti valuit apud Alexandrinos Cyclus decennovennalis, ut apud Ptolemæum in Almagesto *lib.* 3. *cap.* 2. *lib.* 4. *cap.* 11. *lib.* 6. *cap.* 5. *lib.* 7. *cap.* 3. designatio Annorum legatur tunc peracta, juxta nomenclaturam Annorum Cycli Calippi, qui quatuor Cyclis Metonicis, sive decemnovennalibus exactè constabat.

58 Contra rationem verò prælaudatus Dionysius prædictam methodum Cyclo decennovennali antepofuisset; quoniam Octoaeteris, uti supra, disposita, non solùm ad eundem Anni Solaris diem in suis revolutionibus non reponit contra ea, quæ præfert Cyclus decennovennalis; verùm etiam post undeviginti revolutiones unum lunarem mensem plus æquo includit. Cùm enim post duas Octoaeterides cœlestia novilunia tribus diebus, hor. 1. min. 22., & sec. 29. mensis finem versus progrediantur; novilunia verò Cyclaria tribus tantum diebus similiter procedant; fit, ut Octoaeteris decima nona unam integram lunationem plus æquo amplectatur cum sola differentia horarum 11. min. 40. & sec. 28. Quis ergo dixerit, Sapientissimum Virum hæc in Paschæ negocio, in quo ipse erat accuratissimus, non agnovisse, per quæ è primo in secundum mensem Pascha patenter prolapsum fuisset, & quæ per Cyclum aureorum numerorum etiam a plerisque Græcis, ut ex Diodoro Siculo probabimus *num.* 88. usurpatum, reddebantur manifestissi-

ftiſſima ? Hic enim Cyclus octo revolutionibus nempe Annis Julianis 152., quotos præcisè includunt undeviginti Octoaeterides, habet quinquaginta ſex menſes Emboliſmos, ut teſtis eſt Geminus, & Cenſorinus, ac res ipſa patefacit; illæ verò undeviginti Octoaeterides menſes Emboliſmos quinquaginta ſeptem amplectuntur.

59 Denique Sanctus Dionyſius Alexandrinus non Octoaeteriden tanquam periodum per ſe conſtantem, ſed Heccædecaeterideu verè, & realiter edidiſſet. Non ſolùm, quia duo Octoaeterides Annos ſexdecim Solares amplectuntur, ſed etiam, quia prior a ſecunda Octoaeteride nullam diſtinctionem præſefert, niſi propter diei ſubtractionem ex Anno lunari, quæ neceſſariò facienda fuiſſet in ſecunda Octoaeteride, ut hæc ſolis conſtet diebus 2921. In utraque enim Octoaeteride omnes Anni hac methodo ſemper progrediuntur, ut neomenia labentis Anni, ſi Annus lunaris ſit communis, neomeniam ſuperioris Anni præcedat *undecim diebus*; ſubſequatur verò *undeviginti diebus*, ſi Annus lunaris ſit emboliſmalis; excepto ſolùm, quando ad conſtituendam poſteriorem Octòaeteriden diebus tantum 2921., in hac fieri debebat prædicta diei ſubtractio; hoc enim caſu, ſi Annus ſit communis, neomenia hujus Anni neomeniam ſuperioris præcedit duodecim diebus; ſi verò Annus ſit Emboliſmus, duodeviginti diebus ſubſequitur. Tota ratio igitur Cycli a Dionyſio Alexandrino editi in eo fuiſſet, ut ipſe ſingulis Annorum ſexdecim intervallis memoratam diei ſubtractionem inſeruiſſet. Hanc etenim diei ſubtractionem, quam Computiſtæ -- *Saltum Lunæ* -- appellant, etiam Veteres uſurpabant, ut narrat Cicero, qui in Verrina quarta ſic ait -- *Eſt conſuetudo Siculorum, ceterorumque Græcorum, quod ſuos dies, menſeſque congruere volunt cum Solis, Luneque ratione, ut nonnunquam, ſi quod diſcrepent, eximant unum aliquem diem, aut ſummum biduum ex menſe* --; ex ratione autem, qua diſpoſita eſt ipſa diei ſubtractio, diverſitas Periodorum conſurgit. Nam hæc diei ſubtractio, ſi diſpoſita ſit ſingulis ſpatiis Annorum duodecim, Periodum Dodecaeteridos; ſi diſpoſita ſit per quatuordecim Annorum intervalla, Periodum Teſſaradecaeteridos; ſi diſpoſita ſit per ſingula Annorum ſexdecim ſpatia, Periodum Heccædecaeteridos; ſi demum diſpoſita ſit poſt undeviginti Annos, Periodum Metonis producit. Nemo aliquam ex his Periodis putet a me proprio Marte excogitatam; harum enim omnium Periodorum meminit Victorius Aquitanus in Prologo apud Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. in Appendice. Quoties ergo comminiſcimur, Dionyſium Alexandrinum edidiſſe ſuum Cyclum hac methodo, ut memoratam diei ſubtractionem ſingulis Annorum ſexdecim ſpatiis præſeferat, quemadmodum hæc ſingulis Annorum ſexdecim intervallis neceſſariò inſerenda erat, ut poſterior Octoaeteris dies tantum 2921. includeret, ipſe Sanctus Dionyſius non Octoaeteriden, tanquam periodum per ſe conſtantem, ſed Heccædecaeteriden edidiſſet contra ea, quæ de prælaudato Dionyſio Alexandrino refert Euſebius *in Hiſt. Eccleſ. lib.* 7. *cap.* 20.

60 Si quis optaret hæc omnia faciliter experiri, accipiat, quam maluerit, civilem Epactam, eidemque ex Anno in Annum perpetuo addat undecim unitates, quæ ſunt exceſſum Anni Solaris communis ſupra lunarem Annum communem. Hinc deprehendetur, Epactam Anni noni duabus unitatibus minorem; Anni vero decimi ſeptimi quatuor

uni-

unitatibus minorem; Anni vigesimi quinti sex unitatibus [& sic deinceps] minorem Epacta illa, a qua computus inchoatus sit. Usque adeo vera sunt, quæ exposui, ut etiam ex ratione, qua diei subtractio, sive saltus Lunæ, Annum lunarem superiorem una die defectivum faciens, inseritur, diversitas Periodorum consurgat.

61 Cum ergo pateat ex dictis, Sanctum Dionysium Archiepiscopum Alexandrinum non edidisse Octoaeteriden tanquam Periodum per se constantem; necessario sequitur, quod Octoaeteriden publicaverit, tanquam partem Cycli Decennovennalis.

62 Hæc consequentia cum legitime procedat ex dictis, probatione non indiget, nihilominus ea ipsa redditur manifesta etiam verbis Eminentiss. Noris qui *in Dissert. ad Fastos Consul. paulo post initium* §. *In principio &c.* Sic ait *Alexandrinorum Ecclesia vel ante Imperium Diocletiani, uti colligimus ex Eusebio lib. 7. cap. 32. Enneadecaeteridi, idest Cyclo Annorum XIX. utebatur* --; & insuper ultra ea quæ refert Ceolfridus Abbas allegatus *num.* 183., auctotitate Constantini Magni confirmatur. Hic enim in Epistola de Synodo Nicæna ad absentes Episcopos *Sub litera F. & G.* superius relata, fidem facit, quod exceptis iis, qui Cyclo Judaico utebantur, reliquæ omnes per Orbem Ecclesiæ Cyclum decennovennalem adhibebant, quod piissimus Imperator utique non affirmasset, si Sanctus Dionysius Alexandrinus suam Octoaeteriden non edidisset, tanquam partem Cycli decennovennalis. In citata enim Epistola sic legitur — *Cum hic ordo [nempe Cyclus] decentissimus sit, quem omnes tam Occidentalium, quam Meridianarum, & Septemtrionalium Orbis Partium Ecclesiæ, ac nonnullæ quoque Orientalium servant.*

63 Obiicies, quod verba Constantini Cyclum in genere, non autem individualem Cyclum decennovennalem indicant. Respondeo, quod usus Cycli decennovennalis a Nicæni Ævo usque ad Gregorium XIII. servatus declarat, quod de decennovennali Cyclo Constantinus præcise locutus sit; & insuper sequentia ejusdem Constantini verba prope finem allegatæ Epistolæ non congruunt, nisi Cyclo decennovennali -- ibi -- *illud nimirum attendens non modo majorem esse numerum Ecclesiarum in locis supra memoratis; verum etiam ÆQVISSIMVM ESSE, VT OMNES IN COMMVNE ID VELINT, QVOD STRICTA RATIO EXIGERE VIDETVR.* Omnium enim Cyclorum præstantissimus sine dubio est Cyclus decennovennalis; ac propterea stricta ratio exigebat, ut illum omnes amplecterentur.

64 Dices, illud allegatæ Epistolæ verbum — *Servant* — non respicit tempus, de quo nos agimus, tunc præteritum, sed tempus præsens, quare allegata Constantini verba non probant, Cyclum decennovennalem Ecclesiæ jam fuisse in usu. Respondeo quod contextus sequentium verborum Epistolæ rem profecto facit sine ambiguitate; prædicto enim verbo — *Servant* -- hæc immediate succedunt -- *ideireo id æquum rectumque esse OMNES JVDICARVNT, quod & vobis placiturum esse spopondi* -- Omnes ergo Occidentalium, Meridianarum, & Septemtrionalium Orbis Partium Ecclesiæ usum Cycli decennovennalis antea retinebant, & ejusdem Cycli usum Patres Nicæni praxi prædictarum Ecclesiarum non de novo demandarunt, sed probarunt, simulque (prout narrat Sanctus Ambrosius in Epistola 83.) emendarunt ex ratione, qua Ecclesia Orientalis, Occidentalisque servavit usque ad Gregorium XIII. Pont. Max. Prædi-

Prædicta adeo vera sunt, ut ipse Constantinus in allegata sua Epistola edixerit, ipsum Cyclum non incæpisse servari post Nicænum, sed servatum quoque fuisse a tempore Passionis Christi usque ad Nicænum, hæc enim sunt ejusdem Epistolæ verba sub litera C. — *Quippe rejecta illorum* (nempe Judæorum) *consuetudine, possumus rectiori ordine*, nempe ut ibidem ex S. Leone Magno explicavimus, rectori Cyclo) *quem a primo Passionis die ad hæc usque tempora servavimus, ad futura etiam secula hujus observantiæ ritum propagare*.

Quæ verbis Epistolæ Constantini probata sunt, ex Sancto Epiphanio confirmantur. Hic enim Sanctus Doctor *ad Hæresim* 70. *Arrianorum num.* 9. sic ait — *Duoquædam maxima per Constantinum a Deo esse præstita, Quorum primum fuit, ut Oecumenica Synodus colligeretur, ac Fidei summa Niceæ oxplicata proponeretur . . . . . Alterum fuit celebrandi Paschatis ad stabiliendum nostrum omnium concordiam emendata ratio. Jampridem enim, & a primis usque temporibus variæ in Ecclesia de hac solemnitate controversiæ, & dissensiones extiterunt . . . . Quamobrem qui tum ad Nicænam Synodum undique confluxerant, re accurate cognita, communi ab omnibus concordia, atqne ex idonea temporum computatione, & calculo celebrandum esse statuerunt* — Cum ergo ex Nicæno Concilio prodierit — *celebrandi Paschatis ad stabiliendam nostrum omnium concordiam Emendata ratio* —; & ista fuerit Circuli Decennovennalis dispositio, ut expresse refert Sanctus Ambrosius *Epistola* 83. & usque ad Gregorium XIII. Pont. Max. servata est; utique alia ejusdem Cycli Decennovennalis dispositio antea servabatur; alioquin ex Nicæno Concilio non *emendata*, sed nova prodiisset celebrandi Paschatis ratio; ac propteræ a manifestum est, S. Dionysium Alexandrinum Octoaeteriden publicasse tanquam partem Cycli Decennovennalis, qnem inferius exponam. Hæc adeo vera sunt, ut etiam vetustissimis notis Chronologicis respondeant, quemadmodum paulo inferius ostendam *num.* 67. *&* 69. *& seqq.* atque non solum notis chronologicis, verum etiam iis, quæ refert Ceolfridus Abbas apud Bedam *lib.* 5. *Hist. Eccles. Gentis Anglorum cap.* 22., ibi enim legitur — *Computus Paschæ Decennovennali Circulo continetur, quia dudum quidem hoc est, ipsis Apostolorum temporibus jam servari in Ecclesia cæpit, maxime Romæ, & Egypti, ut supra diximus, sed per industriam Eusebii . . . . . distinctus in ordinem compositus est* — Unde Sanctus Proterius Martyr Patriarcha Alexandrinus in memorata Epistola apud Petavium, & Bucherium sic loquutus est — *Magisterium beatissimi Apostoli Petri esse computum Paschalis solemnitatis, quod ab initio per Beatum Marcum ejus discipulum didicerunt Ægyptii, quod etiam primum didicerunt Romani*.

De facto Sanctus Anatholius Alexandrinus, sed Laodicææ Syriæ Episcopus qui floruit circa Annum 277. regnante Probo, commemorans Cyclos suo Ævo usitatos, non recenset alios Cyclos, nisi illos Annorum 19. & 25. & 84. ut legitur apud Bucherium *de Doct. Temp. pag.* 439. & consequenter nullus Ævo Sancti Dionysii Alexandrini erat usus Octoaeteridis tanquam Periodi perse constantis.

65 Cum neminem viderim, hæc quidem perintricata solvisse, ingratum futurum non esse existimo, si rationem etiam, sive causam, qua Cyclum decennovennalem Sanctus Dionysius Alexandrinus edidit, breviter exploremus. Tempore quo ipse vir sapientissimus floruit, terminarunt

narunt Anni 304., quibus elapsis secundum Hipparchi, & Ptolemæi doctrinam apud Alexandrinos notissimam, novilunia cælestia uno solido die versus initium mensis progrediuntur. Epocham vero aureorum numerorum in Calendario Cæsaris digestorum invenio locatam fuisse Anno, quo Cæsar, uti Pontifex Maximus, suam edidit Anni Correctionem; scilicet, locatam fuisse Anno 45. ante Æram Christi vulgarem. Quamobrem, si aureum numerum Cæsaris scire velis in quolibet dato Anno Æræ vulgaris Christi, Annis hujus Æræ adde *septem*; summam vero divide per 19., reliquum enim erit Aureus numerus quæsitus: si autem nihil reliqui sit, Aureus numerus quæsitus erit 19. Exemplum rem faciet clariorem. Anno 30. Æræ vulgaris, quo labente Christus passus est, si addas 7., fit 37., quo diviso per 19., reliquum est 18., ac propterea Anno 30. Æræ vulgaris in usu fuit aureus numerus 18. similiter Anno 260. Æræ vulgaris, si addas 7. fit summa 267., qua divisa per 19., reliquum est 1. Cum igitur ipso Anno 260. in orbem recurreret aureus Cæsaris numerus. 1., simulque Anno proxime antecedente elapsi jam fuerint Anni 304., ab Anno Julianæ Correctionis computati, quibus, secundum allegatam Hipparchi, & Ptolemæi doctrinam, novilunia cælestia uno solido die versus initium mensis præcurrunt, Cyclus decennovennalis diebus mensis in Calendario Cæsaris distributus, nec non illuc usque in Ecclesia, ut clare patebit, pro celebratione Paschæ usurpatus, restauratione, secundum astronomicam doctrinam, indigebat; ac propterea Sanctus Dionysius Alexandrinus illum restauravit, ad diem mensis præcedentem elevans aureos numeros; & sic suam edidit Octoaeteriden, tanquam partem Cycli decennovennalis; quoniam elevatis ad præcedentem diem, uti fecit Sanctus Dionysius aureis numeris, Ogdoas ejusdem Dionysii Alexandrini incipit currente aureo Cæsaris *num.* 7., desinitque currente aureo numero 14., qui in Calendario Cæsaris non erat ultimus Ogdoadis, sed Hendecadis. Hendecas vero prælaudati Dionysii incipit currente Aureo Cæsaris numero 15., qui initium erat Ogdoadis in Calendario Cæsaris, ut quisque evidenter cognoscet *num.* 74. *& seqq.*

66 Existimo tamen, quod ipse Sanctus Dionysius in prædicta sua restauratione firmum diei, cui in Calendario Cæsaris affixus erat, retinuerit solum aureum numerum tertium, tum ne ipse aureos numeros embolismales variaret, a Cæsariensis Concilii Ævo illuc usque servatos, tum ne vacuum contra cælestium motuum rationem, relinqueret primum progressum diei Catholici Paschæ, ab allegato Cæsariensi Concilio præstitutum die 23. Martii (errant enim, qui terminum *a quo*, in synodali Epistola ejusdem Concilii superius relata, memoratum, inclusive accipiunt, cum ex verbis actuum ipsius Concilii exclusive accipiendum esse pateat) tum denique, quia ipse aureus numerus tertius instructo per me astronomico calculo, quartam decimam Paschalem, ac primum Anni sacri mensem rectius designaturus erat, si retentus fuisset in eodem die, cui affixus fuit in Calendario Cæsaris. Quod, si per modum hypothesis Sanctus Dionysius ad diem præcedentem elevasset etiam aureum numerum tertium, hæc omnia in præsenti paragrapho notata minimè conspicerentur in suo Cyclo, & insuper sine necessitate effecisset contra Cæsarienses Paschæ Limites notatos *num.* 112. & contra ea quæ ipsemet Sanctus Dionysius docet in Epistola ad Domi-

Domitium apud Eusebium *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 20. dicens -- ibi -- *Festum Paschæ nonnisi post Æquinoctium Vernum celebrari oportere* --. Anno enim 262., in quo recurrebat aureus numerus tertius, medium Plenilunium contigit ad Meridianum Romanum Martii die 22. hor. 8., min. 24., & sec. 37. post meridiem, die scilicet post Æquinoctium; & nihilominus hoc Plenilunium a Paschalibus rejecisset contra prædictam suam doctrinam. Aureus namque numerus tertius, quippe qui si ad diem præcedentem elevatus fuisset, quartam decimam signasset die 21. Martii, pridie scilicet ante Æquinoctium, embolismalis fuisset, & quartam decimam Paschalem proclamasset die 19. Aprilis.

67 Visne evidentius cognoscere ipsum aureum numerum tertium retentum fuisse, quo die a Cæsare fuit locatus? In vetustissimo Laterculo Paschali, quem publicavit Bucherius *pag.* 252. *& seqq.* adscriptus est dies Paschæ Anni 312., & plurium sequentium Annorum, & præcipuè dies Paschæ Anni 319. -- ibi -- *Quarto Kalendas Aprilis*. Plura Paschata ibidem notata sunt non sine mendis, quas, sed non omnes placuit Bucherio corrigere. Bono tamen fato sine mendis servatum in illo Laterculo est Pascha Anni 319. -- *Quarto Kalendas Aprilis*. Anno autem 319. fuit in usu aureus Cæsaris numerus 3., ac litera Dominicalis D. Quare si ipse aureus numerus tertius elevatus cum cæteris fuisset ad diem præcedentem, Pascha tum non contigisset, pro ut revera contigisse apparet in prædicto Laterculo -- *Quarto Kalendas Aprilis* luna vigesima prima; sed aut undecimo Kalendas Aprilis luna decima quinta, aut decimo tertio Kalendas Majas, interposito Embolismo.

68 Præ oculis itaque habes Cycli decennovennalis ordinationem a Sancto Dionysio Alexandrino peractam, si omnes aureos numeros, in Laterculo nuper exhibito Calendarii Cæsaris extensos, ad diem mensis, immediatè præcedentem attollas, retento solùm, eidem diei affixo aureo numero tertio. Quinam verò fuerint aurei numeri, Ogdoadem partem Cycli decennovennalis, & respectivè Hendecadem componentes, jam notati sunt *num.* 65., clariusque notabuntur *num.* 74. *&* 77. Hic igitur est proprius Cyclus a Sancto Dionysio Archiepiscopo Alexandrino editus, & usque ad Nicæni Ævum *per omnes Occidentalium*, (sunt verba allegatæ Epistolæ Constantini Magni) *Meridianorum*, *& Septemtrionalium Orbis Partium*, *nonnullasque Orientis Ecclesias* usitatus, qui initium habet Anno 260. Æræ Vulgaris; nec aureorum numerorum variat Epocham, in Calendario Cæsaris digestorum. Antiquioribus enim temporibus, nempe ante Annum 260., prædictæ Ecclesiæ Cyclum quidem decennovennalem perpetuo servarunt, quo præcisè modo hic Cyclus neomenias in Calendario Cæsaris designabat, ut docet Paulus Middelburgensis Episcopus Forosempronieusis *in sua Paulina lib.* 2., & Joannes Stoeflerus in suo Calendario, *Propos.* 34., *litera Z.*, *& L. l*, quod etiam lubenter admisit Clavius *in Explic. Calend. cap.* 4. *num.* 6., & clarè colligitur ex Ceolfrido Abbate allegato sub *num.* 183. Quamvis prædictæ Ecclesiæ decennovennalem Cyclum in Calendario Cæsaris digestum adhibuerint; nulla tamen habita fuit ratio ad Æquinoctii sedem in prædicto Cæsaris Calendario affixam. Hæc enim, licet in hoc Calendario affixa sit diei 25. Martii, tamen

ab Apostolorum temporibus usque ad Cæsariense Concilium Anno 198. celebratum, observata fuit die 23. Martii. Quia Hebræi, quippe qui ex divino præcepto, uti ostendam in Corollario post Quæstionem quartam *num.* 31. *& seqq.*, solemnitatem Azymorum celebrare tenebantur *tempore Verno*, atque (ut referunt Agatobulus, & Aristobulus, nec non Josephus, ibidem allegati *num.* 34.) ipsam solemnitatem post Æquinoctium Vernum de facto celebrabant, utique sedem Æquinoctii prædicto die 23. Martii observabant etiam ante Annum Nativitatis Christi, cùm observationes Hipparchi, qui floruit ante Æram Christi Vulgarem Annis circiter 140., ac Ptolemæi, qui totidem Annis floruit post Christi Æram, Æquinoctium cœleste eodem die 23. Martii contigisse manifestent, non solùm Annis Bissextilibus, sed etiam Annis saltem primo, & secundo post Bissextum. Imo si Æquinoctium Vernum a Ptolemæo ex *lib.* 3. *Almagesti cap.* 2. observatum -- *Septimo die Pachon post meridiem una proximè hora* -- nempe die 22. Martii, & hor. 1. post meridiem reponamus in Annum Æræ Vulgaris 141., quemadmodum ita reponendum esse ostendunt ea, quæ deduxi in Epitome Operis Paschalis *pag.* 200. *& seq.* Æquinoctium cœleste tempore Nativitatis Christi contingebat paulo post meridiem diei 23. Martii Anno tertio post Bissextum, adhibita tum Hipparchea, tum Ptolemaica Solis præcessione apud Veteres Astronomos communiter recepta. Prædicta verò Æquinoctii sedes a Cæsariensis Concilii tempore usque ad Nicæni Ævum, cum citimus Quartædecimæ Paschalis terminus in ipso Cæsariensi Concilio præstitutus fuerit die 22. Martii, observata fuit die 22. ejusdem mensis Martii, atque in hujusmodi observantiam præcisè concordat tùm Sanctus Anatholius, Laodicææ in Syria Episcopus, qui floruit Anno 277. apud Eusebium *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 32., tum liber Constitutionum Apostolicarum *lib.* 5. *cap.* 15., de quo libro Beveregius pereruditè disseruit apud Cotelerium *tom.* 2.; post Nicænum denique Concilium usque ad Gregorium XIII. Pontif. Max. die 21. Martii, a quo Summo Pontifice, uti notum est, in ipsum diem 21. Martii sapientissimè restituta fuit.

69 Quæ dixi, Veteri quidem Historiæ congruunt, ac Doctrinæ Astronomicæ, res tamen adhuc est sine collatione alicujus Notæ Chronologicæ, ex qua prædictus Sancti Dionysii Alexandrini Cyclus, quoad cæteros etiam aureos numeros confirmetur, & qua evidenter pateat, Paulum Middelburgensem, Stoeflerum, & Clavium, nuper citatos, temerè locutos non esse; Eminentissimus enim Noris sententiam eorum in dubium revocare videtur dicens -- *Haud vacat curiosius inquirere, num Latina Ecclesia tribus prioribus Christi sæculis neomeniam Paschalem ex lunari phase, vel quopiam fortassis Cyclo indagaverit. Res enim planè incomperta est* --. Incompertum quidem hucusque fuit, quo Cyclo Romana Ecclesia usque ad Nicæni Ævum usa sit, quemadmodum manifestat controversia quam contra Usserium pertractandam suscepi, nec non aliæ perintricatæ Controversiæ, de quibus deinceps agam. At inde in dubium revocari nequit Cyclorum usus in Ecclesia; eoque fortius si animadvertatur Concilium Romanum de Anno 324. in cujus Canone secundo apud Labbe *tom.* 1. *Conciliorum pag.* 158. legitur damnatum a Sancto Sylvestro Papa fuisse Victorinum Episcopum, qui Paschalium Cyclorum usum rejicebat.

Et

Et quidem Norisius ea circa Lunarem Phasim non protulisset, si præ oculis habuisset, tum quæ leguntur in allegato libro Constitutionum Apostolicarum exposita *num.* 37., ubi prohibetur, ne rationes temporum subducantur ex calculis astronomicis, ut ibidem ostendi; tum Canonem Concilii Arelatensis relatum *num.* 31., quo statuitur, ut Summus Romanus Pontifex -- ibi -- *JUXTA CONSUETUDINEM literas* (nempe diei celebrandi Paschæ) *ad omnes dirigat* --; quod utique fieri non potuisset, si in usu Ecclesiæ fuisset observatio Phasis Lunaris; tum denique verba Epistolæ Constantini Magni allegata *num.* 62., *& seqq.* de usu Cycli usque ad Nicæni Ævum in Ecclesia servato; & fortius ea non protulisset Norisius, si quæ exhibiturus sum, minimè ignorare potuisset.

Deo itaque gratiæ humiliter referendæ sunt, qui Anno 1730. voluit, ut ad dilucidandam veritatem effoderetur Romæ Epitaphium Sanctæ Severæ Martyris, hasce notas chronologicas sculptas habens -- *Consule Claudio, & Paterno, nonis Novembris, die Veneris luna XXIV.* -- De hoc Epitaphio præcipue agemus infra sub Titulo -- *Refellitur Lupus & num.* 202. --, ubi evidenter ostenditur error doctissimi viri Antonii Mariæ Lupi Presbiteri Societatis Jesu in designatione diei Lunæ vigesimæ quartæ, atque ibidem patet, cæteras omnes notas chronologicas concurrere cum Anno Æræ vulgaris 269. Quam obrem superest, ut videamus, an ea, quæ de Sancto Dionysio Alexandrino protuli, lunam vigesimam quartam designent nonis Novembribus, ac die veneris. Anno 269. si addatur 7., fit summa 276., qua divisa per 19. reliquum est 10. Anno igitur Æræ vulgaris 269. cum prælaudatus Dionysius beatifica visione jam ante hunc Annum frueretur, in usu fuit aureus Cæsaris numerus decimus, qui in Calendario Cæsaris ab eodem Sancto Dionysio ad præcedentem diem promotns neomeniam Paschalem signabat die 21. Martii; Neomeniam secundi Mensis Anni sacri die 19. Aprilis; neomeniam tertii Mensis die 19. Maii; neomeniam quarti mensis die 27. Junii; neomeniam quinti mensis die 17. Julii; neomeniam mensis sexti die 15. Augusti; neomeniam mensis Septimi die 14. Septembris; neomeniam denique mensis octavi die 13. Octobris, quemadmòdum in prædicto Calendario res ipsa conferri potest, atque concordat cum civili mensium lunarium ordinatione, nec non cum Calendario Gregoriano, in quo Epacta X. diei 21. Martii affixa; neomenias prædictis diebus ostendit. Ab ipso autem die 13. Octobris inclusive, si cæteri dies lunares computentur, luna vigesima quarta illo Anno contigit nonis Novembris, ac die veneris, ut ex Epitaphio Sanctæ Severæ Martyris habetur; illo enim Anno in orbem recurrit litera Dominicalis. C. Quæ ergo de Sancto Dionysio protuli, ex allegato Epitaphio mirifice confirmantur.

70 Confirmantur etiam ex vetustissimo Laterculo Paschali, allegato sub *num.* 67. In hoc enim Laterculo apparet, Pascha Anni 313. celebratum fuisse -- ibi -- *Quarto Kalendas Aprilis* --; Pascha vero Anni 320. -- ibi -- *Quarto Idus Aprilis*; Pascha denique Anni 323. -- ibi -- *Septimo Idus Aprilis* --. Hisce vero Annis Cyclus Cæsaris a Sancto Dionysio Alexandrino, uti supra emendatus, Pascha indixit prædictis præcise diebus, atque [uti constat ex Laterculo sub *num.* 74.] cyclari luna decima quinta. Anno enim 313. in usu fuit aureus Cæsaris *num.*

16., ac litera Dominicalis. D., Anno autem 320. in orbem rediit aureus Cæsaris 4. ac litera Dominicalis. C. B., Anno denique 323. in usu fuit aureus Cæsaris *num*, 7., ac litera Dominicalis F.

Quid plura? Confirmantur etiam ex verbis S. Leonis Magni. Hic enim Epistola 68. loquens de Pascha Anni 455. Sic ait -- ibi -- *Quod Theophilus Alexandriæ Urbis Episcopus Nono Kalendarum Majarum die, quod nunquam ita a tempore Dominicæ Resurrectionis celebratum est, eredit adscribendum. Unde sollicitius congruit hoc requiri, ut omnis occasio tollatur erroris. Nam in nostris Annalibus decimus quintus Kalendarum majarum dies aptissime a Patribus nostris & constitutus legitur, & celebratus. Ac ne vel apud nos, vel apud Orientales nascatur ex hac parte diversitas* [nullum ergo in celebratione Paschæ dissidium antea fuit Romanam inter, atque Alexandrinam Ecclesiam] *hoc instantius nostro nomine cum Christianissimo Principe agere tua dignetur dilectio* --. Quid significet illud adverbium -- *ita* -- exponam *num*. 116. & 160. Ratio igitur, qua sollicitius congruebat hujusmodi perquisitio fuit, non quia S. Leo dixerit, quod Pascha fuerit a Patribus constitutum, & celebratum die 17. Aprilis; quod nec dici poterat, quoniam a tempore quo floruit Sanctus Dionysius Alexandrinus usque ad Annum 455., spatio scilicet bis centum Annorum; nunquam contigit, ut currente aureo Nicæno *num*. 19. qualis in usu fuit Anno 455. in Orbem simul recurreret litera Dominicalis, B., ac propterea ut dies 17. Aprilis potuerit esse Dominica, nisi Anno 455., sed ratio fuit, quia dies 17. Aprilis -- *a Patribus nostris & constitutus legitur, & celebratus decimus quintus dies* -- Lunæ. Sanctus enim Leo propter illud adverbium -- *aptissime* -- perinde est, ac si hæc verba -- *decimus quintus dies* -- repetisset ad designandum etiam diem mensis Lunaris; ex quo dumtaxat mensis lunaris die causa dubii scatebat. Ideo namque Theophilus Alexandrinus Patriarcha diei 24. Aprilis Pascha illius Anni adscripsit, quia diem Dominicum 17. Aprilis fecerat quartumdecimum lunæ: id quod haud diligenter adscriptum putabatur. Sanctus enim Proterius Patriarcha Alexandrinus & Martyr in Epistola, quam de ipso Paschate ad eundem Sanctum Leonem scripsit, relata a Petavio *De Doct. Temp. tom*. 2. *in Appen*. sic ait -- *æstimare quosdam non diligenter adscriptam diem Festi Paschalis* -- Anni 455. & prope finem ejusdem Epistolæ inquit, -- *Cognoscant igitur per tuam Sanctitatem, qui in illis Partibus ambiguunt quod legitime Pascha peragimus* --. Cum ergo ex Sancto Leone pateat, quod dies 17. Aprilis fuerit a Patribus constitutus, & celebratus *decimus quintus dies* -- Lunæ; ea utique confirmantur, quæ de Sancto Dionysio Alexandrino protuli. Quoniam Cyclus Julii Cæsaris ab eodem Sancto uti supra emendatus, si etiam post Nicænum Concilium in usu retentus fuisset, præseferebat (ut inquit Sanctus Leo Magnus) Anno 455. Paschalem quintam decimam die 17. Aprilis. In Orbem enim recurrisset aureus *num*. 6. qui aureo Nicæno *num*. 19. respondet, uti manifestum feci in Laterculo *sub num*. 164. neomeniamque Paschalem die 3. Aprilis, quartam decimam autem die 16. ejusdem mensis, quintam decimam denique die 17. indicebat, uti constat in Laterculo *sub. num*. 74. ac realiter indixit Anno Æræ vulgaris 265. 284. 303. & 322. ac propterea hisce Annis, quos omnes signabat aureus Cæsaris *num*. 6. quintus decimus dies Lunæ (ut inquit Sanctus

Sanctus Leo) *constitutus legitur*, *&* *celebratus* die 17. Aprilis, quamvis Paschæ Festum tunc peractum non sit illo die, sed die Dominico tunc proximo nempe Anno 265. die 23. Aprilis currente litera Dominicali A. Anno 284. die 20. Aprilis, currente litera Dominicali F. E. Anno 303. die 18. Aprilis, currente litera Dominicali C.; Anno denique 322. die 22. Aprilis, currente litera Dominicali G.

71 Si vero, antequam floruerit ipse Sanctus Dionysius res ipsa conferri voluerit in confirmationem usus Cycli Julii Cæsaris, non aliter deprehendetur, quam superius exposui. Sanctus enim Hippolytus Martyr initio sui Canonis Paschalis apud Josephum Scaligerum *de Emend. Temp. lib.* 2. *pag. mihi* 153. *&* *lib.* 7. *pag.* 722. Ægydium Bucherium *loc. cit.*, & Illustriss. Blanchinum *de Cyclo Sancti Hippolyti*, sic refert — *Anno primo Imperii Alexandri Imperatoris facta est quartadecima Paschalis Idibus Aprilis, Sabbato* — Hic Annus Imperii Alexandri primus est Annus 222. Æræ vulgaris, cui si addatur 7. fit summa 229., qua divisa per 19. reliquum est. 1. Anno igitur 222. Æræ vulgaris in usu fuit aureus Cesaris numerus primus, qui cum a prælaudato Dionysio Alexandrino tunc reformatus non fuerit, neomeniam Paschalem designat, quo die Calendarium Cæsaris eam exhibet, nempe die 31. Martii; ac propterea quartamdecimam Paschalem indixit die 13. Aprilis, Sabbato, quemadmodum refert Sanctus Hippolytus; illo enim Anno in orbem rediit litera Dominicalis F.

72 Id ipsum confirmat duobus Paschæ Festis realiter celebratis, Anno scilicet Æræ vulgaris 208., & 292., atque relatis a Victorio Aquitano, de quibus erit sermo *num.* 116. *&* 159. *&* 160.

73 Quam multa igitur commenta apud scriptores, qui veram, usitatamque veterum temporum ordinationem exploratam non habentes quartamdecimam Paschalem ante Nicæni Ævum illis diebus ascripserunt, prout indicant aurei numeri Nicæni! Nisi enim prædictos scriptores proleptice locutos esse benigne interpretemur, manifestus est eorum error. Aurei namque numeri Nicæni, quippe qui aliam Epocham agnoscunt ab illa diversam, quam aurei numeri, ante Nicænum Concilium usitati, habebant, filum horum aureorum numerorum non servant, & insuper diversis diebus mensis affixi sunt. Quare mirum non est, si nemo huc usque prædicta opportune explicaverit, aureisque numeris Nicænis explicare potuerit. Si enim per modum hypothesis filum aureorum numerorum Nicænorum in usu fuisset etiam ante Nicæni Ævum, prædicto Anno 222. in orbem recurrisset aureus *num.* 14., qui in veteri Calendario, usque ad Gregorium XIII. usurpato, neomeniam Paschalem signabat die 30. Martii, quartamdecimam vero Paschalem die 12. Aprilis feria sexta, contra ea, quæ refert, uti supra Sanctus Hippolytus; Anno autem 269. in usu fuisset aureus *num.* 4. qui Neomeniam Paschalem indicabat die 20. Martii, Neomeniam vero mensis octavi die 12. Octobris, ac propterea lunam vigesimamquartam notabat pridie nonas Novembris, ac feria quinta contra chronologicam Epitaphii Sanctæ Severæ Martyris notam.

Hæc omnia non sine multis vigiliis investigare, explanareque oportuit, ut eruditis clarissimi Usserii elucubrationibus, allegatis supra *num.* 34. opportune satisfacerem.

QUID

QUID PRODAT CIRCA PASCHALEM QUARTAMDECIMAM EXPOSITUS CYCLUS S. DIONYSII ALEXANDRINI, AC ETIAM EXPOSITUS CYCLUS JULII CÆSARIS AB ANNO PASSIONIS CHRISTI USQUE PER INTEGRAM IPSIUS REVOLUTIONEM.

74 Cum Cyclum Dionyſii Archiepiſcopi Alexandrini expoſuerim, incongruum non eſſe exiſtimavi, ſententiam ejus de Paſchali quartadecima explorare ex ipſomet Cyclo. Quare ſequentem Laterculum elucubratus ſum, in quo horæ ſunt poſt meridiem diei currentis ad meridianum Romanum, ac litera M. menſem Martium, litera A. menſem Aprilem deſignat.

SEQUITUR LATERCULUS.

LATER-

U L U S

; CYCLI DECENNOVENNALIS, OLIM
ISCOPO ALEXANDRINO EDITI,
USQUE AD NICÆNI ÆVUM.

m medium Min. Sec.	*Luna* XIV. *Cycli* *Die Menf.*	*Plenilunium medium* *Die Hor. Min. Sec.*	*Pafcha* *Die Menf.*
5' 20"	12 A.	12. 14. 47' 21"	15 A.
3' 58"	1 A.	2. 23. 35' 59"	7 A.
2' 36"	22 M.	22. 8. 24' 37"	23 M.
1' 17"	9. A.	10. 5. 53' 18"	12 A.
3' 5"	29 M.	29. 15. 45' 6"	3 A.
5' 33"	16 A.	17. 12. 28' 34"	23 A.
5' 15"	6 A.	6. 21. 7' 16"	8 A.
3' 53"	26 M.	27. 5. 55' 54"	31 M.
5' 34"	13 A.	14. 3. 28' 35"	19 A.
' 12"	3 A.	3. 12. 17' 13"	4 A.
' 50"	23 M.	23. 22. 5' 51"	27 M.
' 32"	11 A.	11. 18. 38' 33"	16 A.
' 10"	31 M.	31. 3. 27' 11"	7 A.
' 51"	18 A.	19. 0. 59' 52"	20 A.
' 29"	8 A.	8. 9. 49' 30"	12 A.
' 7"	28 M.	28. 18. 37' 8"	4 A.
' 49"	15 A.	15. 16. 9. 50"	16 A.
' 27"	5 A.	5. 0. 58' 28"	8 A.
' 5"	25 M.	25. 9. 47' 6"	31 M.

75 Cyclus ergo duobus tantum Annis errabat, nempe Anno 261. & 265. Paschalem quartamdecimam notans duobus diebus ante Plenilunium, quamvis literæ Dominicales hunc errorem corrigant. Cæterum ipse Cyclus recte procedebat, eamdem quartamdecimam designans, prout declarat ipsius quartædecimæ definitio, quam exhibui, atque ostendit demonstratio, quam elucubratus sum in Corollario primo post Quæstionem tertiam; designans, inquam, pridie ante medium Plenilunium exceptis Annis 272., & 277., in quibus usus virtutis *Gnome* clare apparet, atque adhibita virtute synesis Annis 163., 267. 268. & 273.

76 Dum præ oculis extensum habes Cyclum Sancti Dionysii Alexandrini, ne inconsultam prætereas Octoaeteriden, quam ipse Sanctus Archiepiscopus edidit, tanquam partem Cycli decennovennalis in Anno sacro jam expositam *num.* 65. Ipsa enim incipit currente aureo numero septimo, desinitque currente aureo numero decimo quarto, tres Embolismales includens Anno sui tertio, sexto, & octavo, scilicet labentibus aureis numeris nono, duodecimo, ac decimo quarto; ac propterea Hendecas incipit sub aureo numero decimo quarto, ac desinit sub aureo numero sexto, amplectens quatuor Embolismales, labentibus nempe aureis numeris decimo septimò, primo, quarto, & sexto.

77 Ne quidquam præteriisse videar circa quartædecimæ Paschalis nuper memoratæ examen, non pigeat etiam explorare, quomodo eam tempore Apostolorum designavit Cyclus decennovennalis, in Calenrio Cæsaris digestus, quem dixi Ecclesiam adhibuisse antequam a Sancto Dionysio Alexandrino ipse Cyclus restauraretur. Id obtinebimus ex sequenti Laterculo, in quo horæ sunt post meridiem diei currentis, ad meridianum Jerusalem, ne diversæ conspiciantur Quæstione quinta prope finem, dum sermo erit de veteri Cyclo Judaico ad meridianum Jerusalem expendendo.

LATER-

78 Tribus tantùm Annis Cyclus errabat, quartamdecimam Paschalem signans biduo ante Plenilunium, nempe Anno Æræ vulgaris 34. 37. & 42., errabat etiam Anno solùm 44. ipsam quartamdecimam notans die Plenilunii, ante meridiem contingentis; Litera tamen Dominicalis hujusmodi errores correxit, excepto Anno 42. Aliis vero Annis quartamdecimam indicebat, pro ut declarat nostra definitio, atque manifestat demonstratio, quam elucubratus sum in Corollario primo post Quæstionem tertiam; indicebat, inquam, die ante medium Penilunium salvo usu virtutis *Gnome*; Anno enim 30. & 48, exhibet usum ejusdem virtutis *Gnome*, adhibita virtute *Synesis* Anno 35. & 39. Constat igitur evidenter, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum pro celebratione Paschæ amplexos esse Cyclum, qui (quantum ejus natura patiebatur) quartam decimam Paschalem signabat die ante medium Plenilunium salvo usu virtutis *Gnome*. Qui vero fuerunt Embolismales *in Anno sacro*, notati sunt in præcedenti Laterculo; atque ex illis initium, & finem cognosces Ogdoadis, & Hendecadis, pro ut dixi *num.* 65.

DIVERSÆ CLARISSIMORUM VIRORUM SENTENTIÆ CONTRA EXPOSITUM CYCLUM JULII CÆSARIS PROPONUNTUR, CONFUTANTURQUE.

79 Non desunt scriptores, qui cum rem, uti supra, exploratam non habuerint, diversa opinati sunt adversus nostram Julii Cæsaris expositionem. Quidam enim existimant, Julium Cæsarem publicasse solum Anni Solaris formam; de Lunari autem Anno nihil addidisse. Joseph autem Scaliger *de Emend. Temp. lib.* 4. *pag, mihi* 234. Petavius *de Doct. Temp. lib.* 5. *cap.* 12. *& seqq.*; atque Eminentiss. Noris *in Dissert. de Cyclo Paschali Ravennate cap.* 4. §. *nullus tamen dubito &c.* & alii existimant Julium Cæsarem non edidisse Cyclum illum decennovennalem, cujus typum superius exhibui, sed hunc Cyclum esse longè posteriorem ætate Cæsaris, atque a Christianis ingenioso artificio constitutum post Nicænam Synodum. Illustriss. denique Blanchinus prope initium labentis sæculi pereruditam Romæ edidit dissertationem, in qua strenue contendit, Julium Cæsarem edidisse Cyclum optogrammum, sive octo Annorum, quo lunares dimensiones omnes rudibus etiam hominibus paterent, & quem pro indictione Paschæ Ecclesia fortassis adhibuerit usque ad Nicæni Ævum.

CONFUTATUR ILLORUM SENTENTIA, QUI DICUNT JULIUM CÆSAREM PUBLICASSE SOLUM ANNUM SOLAREM, DE LUNARI AUTEM ANNO NIHIL EDIDISSE.

80 Romanos ad tempora usque Cæsaris Dictatoris mensibus lunaribus fuisse usos, satis liquet ex Cicerone, qui *in lib.* 2. *de natura Deorum* ait — *Partus maturescunt, aut septem nonnunquam, aut, ut plurimum, novem Lunæ cursibus, qui, quia mensa spatia conficiunt Menses nominantur* —; atque ex Dione, qui apud Petavium *de Doct. Temp. lib.* 2. *cap.* 74.

ːULUS *Tom. I. Pag.* 136.

'US CYCLI DECENNOVENNALIS EXTENSI
ANNO PASSIONIS CHRISTI USQUE
M CYCLI REVOLUTIONEM.

...num medium ...r. Min. Sec.	Lunæ XIV. Cycli Die Mens.	Plenilunium medium Die Hor. Min. Sec.	Pascha Die Mens.
27' 15"	6 A.	6. 3. 49' 14"	Paſ.Chr.
15' 51"	26 M.	26. 12. 37' 52"	1 A.
48' 32"	13 A.	13. 10. 10' 33"	20 A.
37' 10"	2 A.	2. 18. 59' 11"	5 A.
9' 51"	20 A.	21. 16. 31' 52"	25 A.
58' 30"	10 A.	11. 1. 20' 31"	17 A.
47' 8"	30 M.	30. 10. 9' 9"	1 A.
19' 49"	17 A.	18. 7. 41' 50"	21 A.
8' 27"	7 A.	7. 16. 30' 28"	13 A.
57' 5"	27 M.	28. 1. 19' 6"	29 M.
29' 46"	14 A.	14. 22. 51' 47"	17 A.
18' 25"	4 A.	4. 7. 40' 26"	9 A.
7' 3"	24 M.	25. 16. 29' 4"	25 M.
39' 46"	12 A.	12. 14. 1' 47"	14 A.
28' 22"	1 A.	31. 22. 50' 23"	5 A.
1' 4"	19 A.	19. 20. 23' 5"	25 A.
49' 42"	9 A.	9. 5. 11' 43"	10 A.
38' 20"	29 M.	29. 14. 0' 21"	2 A.
11' 1"	16 A.	16. 11. 33' 2"	21 A.

cap. 74. *pag.* 125. sic ait -- *nam* (Romani) *ad Lunæ circuitus adhuc per illud tempus menses dirigebant*. Quomodo ergo esse potuit, ut Cæsar, qui optime noscebat, pleraque, quæ civiliter aguntur, a variis Lunæ motibus dependere, ita lunares Annos antiquaverit, ut nullus deinceps illorum in urbe usus esset reliquus? Bene igitur inter ceteros Eminentiss. Noris neutiquam antiquatos fuisse lunares Annos constanter affirmat initio Dissertationis *de Paschali Latinorum Cyclo*. *Nam*, [sunt verba ejusdem Norisii] *Kalendis Januarii Annum primum Julianum aperientibus, qui fuit a Parilibus V. C.* 709., *eodem Imperatore Cæsare Cos IV. ante Æram Christi* 45. *accidit novilunium, ut supputat Paulus Middelburgensis lib.* 2. *Paulinæ hor.* 7. *min.* 6. *&* *sec.* 35. *post merid. sive juxta calculos Stoeffleri Prop.* 34. *litera Ii. Hor.* 6. *min.* 44. *sec.* 55. *ita ut ab eodem die Kalendarum Januarii tum solaris Anni tunc instituti, tum etiam lunaris antiquitus servati, una simul exordium duceretur. Nam lunaris motus ratio, majorum traditione habebatur in agro serendo, in curandis corporibus, in navigando, aliisque ejusmodi popularibus actionibus obeundis, in quas Luna modo aucta, modo decrescens, diversimode influere hominum opinione credebatur. Præterea quædam etiam sacrificia Romæ juxta Annos lunares instaurata produnt inscripti lapides, quos scite exponit Langius lib.* 1. *de Annis Christi cap.* 12.

81 Joseph Scaliger *loc. cit.* contendit, enunciatum novilunium more Judaico contigisse die secunda Januarii; ac propterea Annum lunarem Anno primo Juliano incipere non potuisse Kalendis Januarii. Revera Scriptores a Norisio allegati illud novilunium contigisse deprehenderunt post solis occasum desinentis diei primæ Januarii, atque concordant quidem supputationes meæ astronomicæ cum sola quorumdam minutorum diversitate, quæ oriri potest ex meridianorum differentiis, tunc minus, quam sint ad præsens, accuratis, concordant, inquam, si mense Februario Anni primi Juliani diem bissextilis intercalationis inferamus; retrogrado enim ordine procedimus in hujusmodi supputationibus astronomicis. Si vero hujus intercalationis diem Julius Cæsar tunc non inseruit, quemadmodum insertum non fuisse docet ipsemet Joseph Scaliger *loc. cit.*, & Jacobus Christmannus *in Calendario Romano apud Grævium in Thesauro Antiq. Roman. tom.* 8. *pag.* 292. illud novilunium ad meridianum Romanum utique contigit Decembris die 31. hor. 5. min. 34. & sec. 5. post. meridiem. Et quidem Julius Cæsar cur illo Anno intercalare debuit, si intercalationis ratio nondum accesserat, inchoato solum quadriennii circuitu, quo clapso Bissextus institutus fuit? Profecto ex Censorini verbis patet, quod Julius Cæsar lunari Anno Romano dierum 355., Anno scilicet Confusionis, Cæsare III. & Lepido Coss., Pontificali auctoritate pronunciavit ex majorum instituto esse intercalandum, ac propterea mensi Februario ejusdem Anni addidit viginti tres dies tunc intercalari solitos inter Terminalia, & Regifugium, quos dies Merkedinum mensem Romani olim appellabant; insuper in mensem Novembrem, & Decembrem interposuit, ut inquit etiam Dio, alios septem & sexaginta dies, adeo ut ille Confusionis Annus in universum constiterit diebus 445. Cum igitur Julius Cæsar prædicto Confusionis Anno intercalationem, tunc fieri consuetam, inseruerit, haud recte Bissextus deinde interponitur mense Februario Anni Juliani. Quare medium illud novilunium vere contigit,

git, ut dictum est, Decembris die 31. hor. 5. min. 34. & sec. 5. post meridiem; quod cum diversis etiam Periodis lunaribus per me collatum, exacte concordare deprehendi.

82 Hinc contra Josephum Scaligerum colligitur, quod Annum primum Julianum aperiebant Kalendæ Januarii, ac luna prima; quemadmodum lunam primam Kalendis Januarii designat Cæsaris Cyclus, cujus typum exhibui; ac lunam primam [contingente, quo supra tempore novilunio] appellari tunc consuevisse tradit Geminus, qui Ciceronis tempore floruit, *cap.* 16. *apud Langium de Annis Christi lib.* 1. *cap.* 12. *pag.* 147. — ibi — *secundum Lunam vero dies agere tale est, ut congruant cum Lunæ illuminationibus appellationes dierum. Nam a Lunæ illuminationibus appellationes dierum sunt denominatæ. In qua enim die apparet nova, ea per synaloephen numenia, sive novilunium est vocatum. Qua vero die secundam facit visionem, secundam appellarunt* —. Dubium enim non est, quod data conjunctione, vel prope, linearum verorum cum lineis mediorum motuum, Luna nova apparere tunc potuerit Kalendis Januarii ad solis occasum diei desinentis.

83 Quamvis pateat ex dictis, quod Cæsar lunarem Cyclum ediderit; non desunt tamen veteres scriptores, qui de lunari Cyclo per Julium Cæsarem edito memoriam agunt. Præter enim Lucanum, quem retuli, atque exposui *num.* 50. *in fine, & seqq.* Macrobius *lib.* 1. *Saturnalium cap.* 14. illum aperte commemorat dicens — *Annum civilem Cæsar habitis ad Lunam dimensionibus constitutum, edicto palam proposito, publicavit* — Lunarem igitur Cyclum in eo contineri necesse fuerat, quo prætermisso nullæ apparuissent in Edicto palam proposito ad Lunam habitæ dimensiones. Verum de lunari Romanorum Cyclo, ætate Cæsaris adinvento evidentius testimonium occurrit in Eusebii Chronologia *pag.* 154. Hic enim ad Annum tertium Olympiadis 186. hæc ascripsit — *Lunæ secundum Romanos cursus adinventus* — versavit hunc locum Petavius *de Doct. Temp. lib.* 10. *cap.* 67., ubi de aliquo lunari Cyclo, per id temporis a Romanis excogitato, relata Eusebii verba bene interpretatur dicens — *nihil aliud velle, nisi circa hoc tempus Romanos lunarem aliquem Cyclum ad Annum suum Julianum adscivisse*. Prædictis concordat Plinius, qui *lib.* 18. *cap.* 25. ait, quartæ Chronographorum sectæ fuisse auctorem Julium Cæsarem — ibi — *Tres autem fuere sectæ. Caldæa, Ægyptiaca, Græca. His addidit apud nos quartam Cæsar Dictator, Annos ad solis cursum redigens singulos, Sosigene perito scientiæ ejus adhibito* — atque ex Alexandria Ægypti accito. Non enim redigitur, quod nullo modo retinetur. Cum ergo Anni apud Romanos ex institutione Numæ Pompilii olim fuerint lunares, eosque vitiosa intercalatione luxatos redegerit Cæsar ad solis cursum, utique usum Anni lunaris ipsemet Cæsar retinuit: & cum ab isto addita fuerit quarta Chronographorum secta, hæc ab Ægyptiaca discernebatur non solum quoad cardinalia Cœli puncta, quæ ex Cæsaris institutione ad eosdem civilium mensium Romanorum dies revertebantur; verum etiam ex eo, quod neomeniæ singulis Cycli enneadecaeterici revolutionibus in eosdem mensium Romanorum dies recurrebant; quod tunc contingere non poterat apud Ægyptios. Hi namque cum Annum Solarem perpetuo constantem diebus 365. habuerint sine Bissextilium intercalatione, conspiciebant cardinalia Cœli puncta per totum suum civilem

civilem Annum Solarem circumire spatio Annorum 1460., neomenias vero Cyclares undeviginti diebus versus finem civilium mensium Solarium prolabi singulis Calippicis Periodis Annorum 76., quatuor Cycli enneadecaeterici revolutiones amplectentibus.

CONFVTANTVR JOSEPH SCALIGER, PETAVIVS, ATQVE EMINENTISSIMVS NORIS, EXISTIMANTES JVLIVM CÆSAREM NON EDIDISSE CYCLVM ILLVM LVNAREM, CVJVS TYPVM EXHIBVI Num. 53. SED PVTANTES HVNC CYCLVM ESSE LONGE POSTERIOREM ÆTATE CÆSARIS, ATQVE A CHRISTIANIS INGENIOSO ARTIFICIO CONSTITVTVM POST NICÆNAM SYNODVM.

84 Julium Cæsarem vere edidisse Cyclum illum enneadecaetericum, cujus typum superius exhibui, docent Paulus Middelburgensis *lib.2.suæ Paulinæ*, Joannes Stoefflerus *in suo Calendario Proposit.* 34. *litera Hb.* Jacobus Chistmannus *in Calendario Romano apud Grævium in Thesauro Antiq. Roman. tom.* 8. *pag.* 300. §. *Postquam &c.* Lucas Gauricus *in suo Calendario pag.* 130., *& seqq.* quibus astipulatur Clavius in explic. Calend. *cap.* 4. *num.* 6. *pag.* 19., ac denique Monsieur Blondel in Historia Calendarii Romani *pag.* 63. *& seqq.*, qui eundem Cyclum ex diversis, ut ipse profert, monumentis publicavit.

85 Addit præterea Stoefflerus se, cum Anno Christi 1489. Cæsaris Maximiliani Legationem in Francia Orientali ageret, in vetusto Codice apud Philippum Baronem de Uvinsper vidisse Commentarios in Julii Cæsaris Calendarium, in quo — *significabatur* [sunt verba ejusdem Stoeffleri] *Cæsarem suum Cyclum incæpisse a prima conjunctione luminarium secundum medium cursum post hybernum solstitium, eamque in primam Januarii, caputque Anni incidisse* — Lucas vero Gauricus prædictum Cæsaris Cyclum, e Capitolinis ruderibus effossum publicavit *loc. cit.* sub hoc Titulo — *Kalendarium Julii Cæsaris. Fasti Romani sex mensium per Pomponium Gauricum, & Thamiram sub Capitolinis ruinis in antiquo marmore reperti, cujus marmoris altera pars reliquos sex menses sine fastis continebat* — Duo igitur vetusta monumenta de prædicto Cyclo extant, ultra allegatos Scriptores, illud scilicet commentariorum in Cyclum Cæsaris, quod vidit Stoefflerus, & aliud in antiquo marmore effossum sub Capitolinis ruinis.

86 In antiquiora vero tempora procedens invenio, quod venerabilis Beda præcisam de Cyclo, cujus typum exhibui, mentionem facit. Hic enim in diversis Libris loquitur de Cyclo lunari, qui Annis undeviginti constabat, lunarisque speciali vocabulo dictus est, qui a Calendario etiam sejunctus, ætatem Lunæ prodebat Kalendis Januariis, & consequenter cæteris Anni mensibus, ut dicetur *num.* 130. *& seqq.* Cyclum istum lunarem ipse Beda *in Lib. de Argum. Lunæ pag.* 163. editionis Coloniensis affirmat, quod — *constat a Romanis. Anno* 30. *ante*

Nativitatem Christi inventum fuisse, hoc est in primo Anno Regni Herodis &c. Et post pauca sic ait -- ibi -- *Romani constituerunt Cyclum lunarem inchoari a Kalendis Januarii, ibique terminari, & per singulos Annos ætatem Lunæ probare* -- Hæc postrema verba præcise determinant Cæsaris Cyclum, cujus typum superius exhibui *num.* 53. Iste enim Cyclus, quippe qui Kalendis Januariis adscriptum habet aureum numerum primum, vere, & realiter iisdem Kalendis incipit; atque huic Cycli initio concordant cælestes motus, ut probavi *num.* 81. *& seq.* Cælestes tamen motus evidenter patefaciunt, a veritate prorsus alienum esse, quod iste Cyclus inventus fuerit potius Anno 30., ante Christi Nativitatem, ut dixit Beda, quam Anno 45. ante eandem Christi Nativitatem, ut resultat *num.* 83. ex Macrobio, & aliis, nisi in obsequium Bedæ dicamus, quod Epocha ejusdem Cycli, Anno 30. ante Christi Nativitatem inventi, retroacta tunc fuerit ad Annum 45. ante vulgarem Christi Æram; & sic Julio Cæsare prædictus Cyclus fuerit attributus, quod rem nostram deteriorem non redderet; vel potius dicamus, ideo Bedam protulisse, quod constat, Cyclum illum a Romanis Anno 30, ante Nativitatem Christi inventum fuisse, quia tunc revera inventa fuerit methodus aptandi Cyclum Cæsaris decennovennalem mensibus eo modo, quo notavimus *num.* 53., atque inde veteres dixerint, quod isto Anno ille Cyclus a Romanis inventus fuerit, prout revera ille Cyclus non alia ratione digestus ad nos pervenit. Mensis enim sextilis paucis Annis post Attiacam Victoriam ex S. C. appellatus fuit Augustus, eique attributa illa dies, quæ ex mense Februario dempta fuit. Hæc posterior interpretatio conciliat Bedæ verba cum auctoritatibus relatis *num.* 82.

Rursus idem Beda *lib. de Temp. ratione cap.* 54. docet, quòd hic Cyclus lunaris -- ibi -- *propriè Romanorum est, & ad mensem Januarium pertinens: nam sicut Annus quisque decennovennalis circuli propter legalem observantiam a mense Paschali inchoat, ibidemque finitur, ita & hic Romanorum institutione a Luna Januarii mensis inchoat, atque ibi definit* -- Quod utique concordat cum Cyclo Cæsaris superius allegato.

Denique prælaudatus Beda eodem *cap.* 54. edidit prædicti Cycli lunaris Diagramma, in quo initium, & finem omnium novemdecim Annorum ejusdem Cycli describit, ab Anno scilicet lunaris Cycli primo usque in Annum decimum nonum. Facta itaque diligenti collatione hujus descriptionis Bedæ cum Cyclo Cæsaris, omnino concordare inveni, exceptis solùm Annis ejusdem Cycli Lunaris decimo septimo, decimo octavò, atque undevicesimo; qui tres Anni licèt primo intuitu discordare videantur, revera tamen cum Cæsaris Cyclo conveniunt, ut paulo inferius ostendam. Prædictam præcisam consonantiam tu quoque deprehendes, si in collatione, quam facies, memineris Canonis Veterum Computistarum, *Lunam* scilicet *ad eum mensem spectare, in quo ipsa exitum habet*. Cum ergo lunaris Cyclus, quem Beda commemorat --, *a Romanis ita constitutus sit, ut incboet a Kalendis Januarii* -- prout præcisè inchoat solus Cæsaris Cyclus; & cum idem lunaris Cyclus -- *propriè Romanorum* fuerit, atque -- *a Romanis ante Nativitatem Christi inventus*; ac denique cum ipse Cyclus lunaris -- *Romanorum institutione a Luna mensis Januarii inchoet* --, atque in allegato

allegato Bedæ Diagrammate idem sit, ac ille Cæsaris Cyclus, cujus typum exhibui *num.* 53., qnomodo dici poteſt, eumdem Cyclum lunarem editum non fuiſſe a Julio Cæſare, quem ex dictis *num.* 83. conſtat, Cyclum lunarem *edicto palam propoſito* publicaſſe?

Dices, quòd Cæſaris Cyclus ſexdecim quidem Annis idem eſt, ac Cyclus lunaris, quem Beda refert in allegato Diagrammate; at diſcordat cæteris tribus Annis, nempe Anno 17. 18. & 19., in quibus initium primi menſis lunaris, menſe Decembri contingens, uno die citius deſcribitur, quam Cyclus Cæſaris deſignat. Inſuper diſcordat etiam in Epocha; duo enim Anni tollendi ſunt ex Annis Æræ Vulgaris Chriſti, ut ex partitione Annorum Chriſti per 19. reliquum prodat aureum Cycli lunaris a Beda commemorati numerum; in dato civili Anno currentem, atque in Noviluniorum indictione reſpondentem Nicæno aureo numero; in Cyclo autem Cæſaris ſeptem unitates addi debent Annis ejuſdem Æræ Chriſti, ut aureum Cæſaris numerum abſolutè aſſequamur. Quare propter hanc etiam Epochæ diverſitatem videtur Beda locutus eſſe de lunari Cyclo, qui aureos numeros habet ternario minores aureis numeris Nicæni, per me relatus *num.* 126., non autem de lunari Cyclo Julii Cæſaris. Ante quam ad Objecti ſolutionem progrediar, humaniſſimum Lectorem claritatis gratia monitum faciam, quòd nunc memoriam ſimul agimus de tribus Cyclis, nempè de Cyclo lunari Julii Cæſaris, de Cyclo Nicæno, ac de alio lunari Cyclo, qui numeros aureos habebat ternario minores aureis numeris Nicænis; quorum trium Cyclorum reſpectivus uſus, ac differentia breviter notatur *num.* 163. *& ſeqq.*

Inſuper Lectorem ipſum monitum faciam, ut reminiſcatur Vetuſtiſſimæ Methodi concludendi Annum Sacrum, videlicet a decimaquinta Paſchali Anni præteriti uſque ad quartamdecimam Paſchalem Anni inſtantis; ex quo ſequitur, exempli gratia, quòd *Sacer* Annus quartus Cycli Nicæni incipit (notetur) non currente Nicæno Aureo numero quarto, ſed currente Nicæno aureo numero tertio, terminatque currente Nicæno aureo numero quarto; id quod docet etiam Bridefertus *in caput* 54. *Bedæ de Temporum ratione*, ac totius Cycli extenſione manifeſtat; quam ex ſcripſit ex Dionyſio Exiguo *in Epiſtola ad Bonifacium, & Bonum*; & inſuper clarè colligitur ex Beda *cap.* 54. qui ſic ait -- *Quod Dionyſius* [Exiguus] *in menſe Paſchali nos in Januario* [qui initium Anni Sacri proximè præcedit] *facere curemus* --. Dionyſius enim Exigùus tam in allegata Epiſtola, quàm in Cyclo Ravennæ reperto, præciſè procedit, ut dictum eſt. Quare dum loquimur exempli gratia, Annum primum Cycli lunaris, ternario minoris Cyclo Nicæno in ratione Anni Sacri concurrere cum quarto Anno Cycli Nicæni, ſive Decennovennalis, intelligitur concurrere cum quarto Anno Sacro deſinente, ut clarius exponitur *num.* 139.

Itaque *quoad primam objecti partem* reſpondeo, quod Beda, quippe qui Annum primum Cycli lunaris in allegato Diagrammate conſociat cum Anno quarto Cycli decennovennalis, ſive Nicæni, ita recenſet Annos Cycli lunaris, ut etiam rationem ſimul patefaciat, ut evidenter patebit *num.* 139. qua Computiſtæ tunc vetuſtiores, variata aureorum Cycli Cæſaris numerorum Epocha, Cyclum iſtum lunarem accomodarunt ad deſignandam Kalendis Januariis ætatem Lunæ uniformem

mem Cyclo Nicæno, efficientes, ut aureus numerus primus Cycli lunaris propter prædictam Epochæ variationem consociaret Nicænum aureum numerum quartum, & sic de cæteris. Cur vero a vetustioribus Computistis id factum sit, patebit *num.* 137. *& seqq.* Cum itaque Annus decimus septimus Cycli lunaris, uti supra accomodati, consociet Annum Cycli decennovennalis, sive Nicæni primum, qui interpositionem *saltus Lunæ* retinet, Beda prædicto Anno Cycli lunaris decimo septimo inseruit *saltum Lunæ*, Cyclo Nicæno tunc congruentem; quo Lunæ saltu Neomeniæ Cyclares quodammodo saltant ad præcedentem diem, occupantque diem, qui alioquin ultimus esset Anni lunaris proxime desinentis; ac propterea ipse Annus Cycli lunaris decimus septimus, quamvis primo intuitu a Cæsaris Cyclo dissidere videatur, revera tamen cum Cyclo Cæsaris convenit, quia Beda tunc interposuit saltum Lunæ juxta regulam Cycli Nicæni; quod ipsemet Beda ante allegatum Diagramma explicavit, dicens, quod decimo septimo Cycli lunaris Anno — ibi — *unus dies ratione saltus Lunaris intercipitur* — & post allegatum Diagramma sic ait — ibi — *Idcirco autem septimi decimi lunaris Anni computus ab ipso, quo prior explicitus est Annus, die incipit, & non a sequente, ut cæterorum, ne propter saltum Lunæ, quem dicunt, unus eidem Anno dies deesse videatur. Quod ipsum Dionysius* [nempe Exiguus] *decennovennalem Cyclum hujusmodi ordine percurrens edocuit, ab eodem die, quo ultimi conclusit Anni metas, primi inchoando principium* —. Hinc sequitur, quod initium primi mensis lunaris Anno Cycli lunaris decimo octavo, & undevicesimo, a Beda similiter descriptum sit uno die citius, quam a Cyclo Cæsaris designetur. Saltus enim Lunæ, juxta regulam Cycli Nicæni, uti supra insertus, aliter fieri non patiebatur. Quamobrem sicuti cum Cylo Cæsaris convenit Annus decimus septimus, ut dictum est, ita etiam octavusdecimus, & undevicesimus.

Ceterum, si placeat ad evidentiam usque cognoscere, quod Cyclus lunaris a Beda in allegato Diagrammate relatus, vere, & realiter sit Cyclus Lunaris a Julio Cæsare editus, statui prius debet, quo nam aureo numero primus Lunaris Cycli Annus signatus fuerit; idque contra nonnullos resolutum esse comperies *num.* 133. 134. 136., & in præcisis terminis Cycli lunaris *num.* 140. ubi certo constat, Aureum numerum primum signare Annum primum Cycli lunaris. Hoc posito, duo certa sunt manifestantque prædictum lunarem Cyclum vere, & realiter esse illum a Julio Cæsare editum, ac postea accomodatum ad rationem Cycli Nicæni; non autem esse Cyclum illum lunarem in objectione memoratum relatumque *num.* 126. *Primum* est impossibilitas, ut initium, & finis Annorum Cycli lunaris, a Beda in allegato Diagrammate relati, convenire possit cum initio, & fine. Annorum illius Cycli lunaris, qui aureos numeros retinet ternario minores aureis numeris Nicænis, per me relatus *num.* 126. Beda enim ait, neque in Bedæ textu error typographorum tunc irrepsit, ait, inquam, decimum septimum Cycli lunaris Annum incipere — ibi — *a nonis Decembris* — qui dies cum in veteri Calendario sit vacuus, in nullo Annò Cycli lunaris per me relati *num.* 126. poterat esse principium Anni lunaris. *Secundum* est, permagna multorum dierum discrepantia, quæ semper reperitur inter initium, finemque omnium Annorum Cycli Lunaris a

Beda

Beda recensiti, & inter initium, finemque omnium Annorum Cycli lunaris per me relati *n.* 126. quam discrepantiam manifestam faciet exemplum. Jam notum esse arbitror, *civilem* Annum lunarem quasi semper incipere altero ex diebus Decembris; ac propterea Annus Cycli lunaris, exempli gratia tertius decimus, qui si accipiatur ut decet in ratione Anni sacri, & præcipue incipientis nuper exposita §. *Antequam &c.* & apertius *num.* 139. Secundum veterum Computistarum, & Bedæ praxim *loc. cit.* relatam, perinde putatur, ac civilis Annus duodecimus ejusdem Cycli lunaris; incipit die 20. Decembris, currente adhuc in Romano Anno aureo ejusdem Cycli lunaris numero undecimo; id, quod prodit regula exposita *num.* 139. ac legitur in allegato Bedæ Diagrammate; insuper prædicto die 20. Decembris adhuc currebat Nicænus aureus numerus 14. habebaturque *Sacer* Annus decimus quintus Nicænus, jam antea inceptus in Paschali quinta decima, ut nuper probatum est §. *Antequam &c.* Ipse vero Annus decimus tertius Cycli lunaris, in objectione memorati, ac relati *num.* 126. incipit die 9. Decembris, ut patet in veteri Calendario sub Nicæno aureo numero 15., & sic de cæteris. Quare exposita discrepantia, & respective impossibilitas efficiunt, ut certo dici debeat, Cyclum lunarem in allegato Diagrammate a Beda relatum, cui, uti supra concordat Cyclus Cæsaris; & qui, ut dixit idem Beda, — *a Romanis ante Nativitatem Christi inventus fuit* — nec non — *proprie Romanorum fuit* — vere, & realiter editum fuisse a Julio Cæsare, qui Cyclum lunarem, uti constat ex dictis *num.* 83., *Edicto palam proposito publicavit*; non autem esse illum, in objectione memoratum, relatumque *num.* 126.

Quoad secundam Objecti partem respondeo, quod ideo Cyclus Cæsaris discrepat in Epocha a lunari Cyclo, quem Beda refert, quia idem Beda, Annos Cycli lunaris recensens memorat etiam Annos Cycli Nicæni, dicens — ibi — *Anno lunari primo, decennovennali quarto* —. Si enim nomenclaturam Anni Cycli decennovennalis tunc omisisset, nullum occurrisset dubium de Epocha. Quare cum Computistæ tunc vetustiores, variata, uti patet *num.* 137., *& seqq.* aureorum numerorum Cycli Cæsaris Epocha, Cyclum hunc lunarem jam accomodassent ad designandam Kalendis Januarii ætatem Lunæ uniformem Cyclo decennovennali, sive Nicæno, efficientes scilicet, ut aureus numerus primus Cycli lunaris propter prædictam Epochæ variationem, consociaret Nicænum aureum numerum quartum; Beda, memorans Annos Cycli Nicæni eo modo, quo hi respondent etiam Annis Cycli lunaris a vetustioribus Computistis, uti supra, accomodati, non curavit Epochæ discrepantiam, quæ inde oriebatur; illam enim non curasse ipsemet Beda satis indicavit, non solum dum initium, & finem Annorum Cycli lunaris descripsit, uti supra, uniformem Cyclo Cæsaris simulque respondentem Cyclo Nicæno; verum etiam duo paulo ante allegatum Diagramma dixit, quod Cyclus lunaris, de quo loquebatur — ibi — *proprie Romanorum est* — Hinc fit, ut verba Bedæ nuper relata hoc modo intelligenda sint, videlicet, *Anno lunari primo*, qui post variatam Cycli Epocham respondet *decennovennali quarto*: Annus namque primus Cycli lunaris aureo numero primo signatur tum in terminis, quibus Cyclus lunaris editus fuit a Cæsare, uti patet *num.* 82. tum in terminis quibus iste Cyclus lunaris variata Epocha aureorum

rum numerorum Cæsaris accomodatus fuit ad designandam quoque Lunæ ætatem, Cyclo Nicæno uniformem, uti constat *num.* 133. 134. 136., & signanter *num.* 140.

87 Nec Beda solus memorat Cyclum lunarem, præcipuam enim de eodem Cyclo (uti supra) accomodato memoriam servavit Abbas Dionysius Exiguus, qui floruit circa Annum 532., in Epistola ad Bonifacium, & Bonum apud Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* atque in suo Paschali Cyclo, quem Ravennæ repertum publicavit Eminentiss. Noris ante *Dissertationem de Cyclo Paschali Ravennate*, nec non per me relatum *num.* 140., ubi, ac etiam *num.* 137., *&* 138. patet, cur Dionysius Exiguus de Cyclo Paschali loquens, mentionem simul faciat de prædicto Cyclo lunari.

88 Quid amplius? Ex Epistola Constantini Magni atque ex S. Epiphanio probatum est *num.* 62. *& seqq.* hujusmodi enneadecaetericum lunarem Cyclum ante Nicæni Ævum in usu fuisse per universum fere Orbem Christianum; quod insuper vetustissimis monumentis diem quorumdam Paschatum enunciantibus, re ipsa confirmavi *num.* 67.; *& num.* 69. *& seqq.* Rursus *num.* 109. ex Eclipsibus solis, & Lunæ ostendam ipsum lunarem Cyclum, cujus typum exhibui *num.* 53. congruere duobus prioribus sæculis Julii Cæsaris; quod excludit constructum fuisse post Nicæni Ævum; ac etiam contra Josephum Scaligerum patefeci *num.* 81. *& seq.*, quod Annum primum Julianum aperiebant Kalendæ Januarii, ac luna prima, quemadmodum lunam primam Kalendis Januariis designat Cyclus, cujus typum exhibui *num.* 53. Denique Cæsarem edidisse enneadecaetericum Cyclum, patet ex Lucano, cujus verba exhibui, atque exposui *num.* 50. in fine *& seqq.* & Diodorus Siculus, qui (ut Suidas ait) floruit sub Augusto, & supra, scribit *lib.*22. ut ait Ricciolus *lib.* 4. Almagesti, *cap.* 19. *num.* 8. *pag.* 243. -- ibi -- *Certe Diodorus Siculus lib.* 22. *scribit suo tempore fuisse in usu Metonis Cyclum*, ac propterea Decennovennalem Julii Cæsaris Cyclum, cujus inventionem scriptores communiter Metoni attribuunt, quæ verba Ricciolus refert de Diodoro Siculo conferre non potui; apud eundem tamen Diodorum Siculum *lib.* 12. *ante medium pag.* 687. *Edit. Lugd. de Anno* 1552. hæc leguntur — *Ad tempora usque nostra Græcorum plerique decemnovennali tabula, & ratione justi nunquam aberrasse deprehenduntur* — Profecto Diodorum Siculum loquutum fuisse de decennovennali Cyclo Julii Cæsaris, illud præcipue suadet, quod Græci Romano subiecti erant Imperio & quod [ut ex Macrobio *sub num.* 83. notavimus] *Annum Civilem Cæsar habitis ad Lunam dimensionibus, Edicto palam proposito publicavit*. Nescio quid ultra desiderari possit, ut de re vetustissima, cujus memoria fere periit, loquentes, firmiter concludamus, Cyclum, cujus typum exhibui *num.* 53. a Julio Cæsare vere, ac realiter publicatum fuisse.

89 Superest itaque, ut fundamenta expendamus, quibus innixi, Joseph Scaliger, Petavius, & Eminentis. Noris existimant, hunc Cyclum editum non fuisse a Julio Cæsare, sed esse longe posteriorem ætate Cæsaris, atque a Christianis ingenioso artificio constructum post Nicænam synodum. Clarissimi Viri suam hanc sententiam nullo probant veterum scriptorum, aut monumentorum testimonio, sed ex quibusdam tantummodo conjecturis, utique fallacibus, futilibus, ipsumque Cyclum non afficientibus, deducunt.

Prima

90 *Prima conjectura* est, quod in nullis vetustis Calendariis aurei numeri apparent, nec ab ullo Scriptore ante sextum Christi sæculum memorantur, adeo ut prima eorum inventio incomperta sit, & obscura. Respondeo, quod ad nostram quæstionem non facit disputatio, an Meton Atheniensis, vel quivis alius fuerit. qui primo in lucem edidit aureorum numerorum Cyclum; sufficit enim, quod hujusmodi Cyclus pluribus sæculis ante Julium Cæsarem inventus fuerit, ac deinde reformatus sit a Calippo, & postea ab Hipparcho, qui centum fere Annis floruit ante Julium Cæsarem, de qua re dubium non est apud vetustissimos etiam Scriptores.

Quod vero in nullis vetustis Calendariis aurei numeri appareant, hoc levissimum est argumentum, & ad summum meram hanc faceret conjecturam: nullum ideo apud Veteres fuisse usum dimensionum Luminarium, quia nullum lunarem Cyclum exhibent vetusta illa Calendaria ex adverso allegata; quam tamen conjecturam manifeste falsam esse pronunciant irrefragabiles Veterum auctoritates in præcedenti confutatione relatæ. Imo prædictum argumentum, aut futile est, utpote deductum ex temporum injuria, quæ præcipuam insignium rerum memoriam perdiderit; aut potius falsum est, quia lunarem aureorum numerorum Cæsaris Cyclum servarunt in omnes Anni dies extensum tum Commentaria, quæ vidit Stoefflerus, tum antiquum Marmor è Capitolinis ruinis effossum, & a Luca Gaurico evulgatum, silentio prætcritis monumentis, quæ non refert Blondellus, & ex quibus ipse Calendarium Cæsaris publicavit.

Quod denique a nullo Scriptore ante sextum sæculum aurei numeri memorentur, utique falsum est, si controversia circa merum aureorum numerorum nomen non versetur. Cyclum enim aureorum numerorum Scriptores ante sextum sæculum communiter appellabant Cyclum decennovennalem, aut Cyclum Enneadecaeteridis, uti constat inter cæteros apud Eusebium *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 32. apud Sanctum Ambrosium *in citata Epistola* 83. apud Sanctum Hieronymum *in Cathalogo scrip. Eccles. tom.* 4. *cap.* 61., & apud Sanctum Proterium *in Epistola* ad Sanctum Leonem Magnum, quam refert Petavius *de Doct. Temp. tom*, 2. *in Append.*, & apud Victorium Aquitanum *in citato Prologo*. Revera in illo Cyclo sunt decem, & novem numeri, totidem Annis ejusdem Cycli congruentes; quos numeros nihil interest vocatos non fuisse numeros aureos, sed Annos primum, secundum, tertium &c. Cycli lunaris, aut decennovennalis, aut enneadecaeteridis.

91 *Secunda conjectura* est, quod Lucas Gauricus alieno fortassis dolo deceptus fuit, promulgans prædictum Calendarium e ruderibus Capitolinis effossum.

Respondeo, quod omnia monumenta similiter effossa, huic censuræ obnoxia sunt; hæc vero ab hujusmodi nota absolvuntur, quando cum aliquo fide digno Scriptore concordant; cur ergo ista nota perpetuo obstrictus censeri debet lunaris Cyclus in antiquo marmore repertus, & a Luca Gaurico publicatus, quando tot antiqua monumenta superius per me exhibita illum confirmant?

92 *Tertia conjectura* est, quod in prædicto antiquo marmore una cum Cyclo lunari adscriptæ sunt non solum literæ Dominicales, qua-

rum usus memoria non extat antiquior, nisi in Calendario, quod imperante Constantio conscriptum circa Annum Christi 354. vulgavit Lambecius, ac reperio relatum a Grævio *loc. cit. pag.* 90. *& seqq. & pag.* 104. *& seqq.* ab eodem Lambecio eruditissimis notis illustratum; verum etiam ortus, & occasus insignium Syderum diversis mensium diebus adnotati; ac demum solemnia quædam Romanorum, in Ovidianis quoque Fastis memorata, ac descripta tali ratione, ut sæculo Cæsaris congruere non possint.

93 Respondeo, quod non ignoro Eruditorum sententiam, qui dicunt usum septem literarum Dominicalium incæpisse post Nicænum Concilium existimantes earumdem literarum memoriam non extare antiquiorem Calendario per Lambecium vulgato. Videas quæso quo lubrico fundamento hæc sententia de literarum Dominicalium exordio innitatur, quasi nullo modo fuerit, quod injuria temporis perdere potuit. Equidem Dio, qui floruit sub initium tertii sæculi Christi, scribit *lib.* 37. ab Ægyptiis *ad omnes homines* antiquitus dimanasse septem dierum appellationes nominibus illorum septem syderum, quæ Planetas vocant; & Sanctus Justinus Martyr quosdam septimanæ dies nominibus Planetarum tunc usitatis recitat *in fine Apologiæ* 11. *ad Antoninum Pium*. Unde circuitum illorum septem dierum apud Romanos extitisse satis liquet, quem Cicero appellat hebdomada. Apud Judæos vero, atque apud primos Christianos ubique terrarum etiam diffusos, usum hebdomadarum fuisse, nec fas est dubitare. Cur ergo in usu esse non poterant etiam ante Nicæni Ævum illæ septem literæ, quas Dominicales appellamus, & per quas recursus dierum hebdomadæ obtinetur? Veteres Romani literas octo nundinales per totius Anni dies inscribebant, ut nundinarum recursus sine ulteriori negocio consequerentur, quemadmodum manifestant antiqua Calendaria apud Gruterium *pag.* 133. *& seqq.* & etiam apud Grævium *cit. tom.* 8. *Antiq. Roman.* circa dierum vero hebdomadæ nomenclaturam, qua regularis, ac nota progressio saltem initii Anni Juliani, & consequenter singulorum dierum mensium versus finem hebdomadæ obtinetur, adeo rudes una cum Judæis, & Christianis ante Nicæni Ævum fuerunt, ut nullam tenuerint de diebus hebdomadæ rationem? Quomodo hoc dicendum est, cum pateat ex dictis, quod non solum Hebræi, sed etiam Christiani in Asia minori degentes, & quidam alii Christiani Orientales prioribus tribus Christi sæculis usurpabant Cyclum Judaicum Annorum 84. qui certo constat tribus revolutionibus Cycli Solaris? Fortius; quomodo id dicendum est, cum liquido appareat ex vetustissima Tabula Fastorum Consularium Anonymi ab Anno Urbis 246. usque in Annum Urbis 1107. Æræ autem vulgaris 354. *apud Norisium ante dissertationem ad Fastos Consulares*, appareat, inquam, quod Veteres prædicto Cyclo Annorum 84. utebantur ad designandos nominibus Planetarum singulos hebdomadæ dies, quibus Kalendæ Januarii in illa multorum Annorum serie Annum Julianum aperiebant? Hoc quidem Veteres non fecissent, si eos latuisset Cyclus Solaris, usus ejuidem Cycli, ac trina hujus Cycli revolutio inclusa in Cyclo Annorum 84. Si ergo Veteres non latebat Cyclus Solaris; quomodo dici potest, eos latuisse illas septem literas, quæ dierum hebdomadæ circuitum designant, & quas Dominicales appellamus?

Quæ,

94 Quæ, uti supra, deduximus, manifesta facit Vetus Calendarium, quod in Libris antiquis præfigitur Fastis Ovidii apud Grævium *tom. 8. Antiq. Roman. pag.* 90. in quo illæ septem literæ per singulos Anni dies conspiciuntur; Festa vero, quæ ibidem recensentur, quibusdam per Annum diebus tunc celebranda, quippe quæ inanium Deorum cultibus dicata sunt, indicant ejusdem Calendarii ætatem longe anteriorem Nicæno Ævo. Insuper quæ, uti supra, deduximus, manifesta etiam facit in suo Cyclo Sanctus Hippolytus Martyr, qui floruit Anno Æræ vulgaris 222. Quartas decimas enim omnes Cycli sui Sanctus Martyr præcise designat ex illarum septem literarum circuitu, ac recursu, uti constat apud Josephum Scaligerum *de Doct. Temp. lib.* 2. *pag.* 153. *edit. Geneven.* & alios, manifestius autem apud Illustriss. Blanchinum *in Dissertatione de Canone Sancti Hippolyti Episcopi, & Martyris* Romæ edita Anno 1703. *pag.* 92. *& seqq.* Quamobrem manifestum est, quod in Calendario per Lambecium vulgato, inscriptæ per singulos Anni dies fuerint illæ septem literæ, quas Dominicales appellamus, non tanquam de novo in usum invectæ, sed tanquam illuc usque communiter usitatæ, ac propterea eædem septem literæ in antiquo marmore, per Lucam Gauricum vulgato, adnotatæ, posteriorem Ævo Nicæno non faciunt descriptionem Cycli lunaris in eo marmore impressam.

95 Quod denique una cum literis Dominicalibus, & Cyclo lunari in prædicto antiquo marmore talia quibusdam diebus adscripta sint, quæ ætati Julii Cæsaris congruere non videantur, id utique non inficior. Sed quid inde? Ergo ne Cyclus ille lunaris posterior est Nicæno Ævo? Adnotare prætercam, quod si illa ex Plinio, & Ovidio, (ut prælaudati Scriptores existimant) excerpta sunt, non inde sequitur, quod inscripta fuerint post Nicænum Concilium, cum Plinius, & Ovidius tribus antea sæculis floruerint; adnotare etiam prætercam, quod illæ voces — *Cosmice, Chronice, Heliace* —, & quædam alia verba, quibus antiquum illud marmor arguitur, leguntur etiam in allegato veteri Calendario apud Grævium *pag.* 90., & consequenter censenda sunt tanquam usitata ante Ævum Nicænum; sed solum dicam, quod si hujusmodi argumentum valeret, merito dici posset, quod Cyclus Epactarum in Calendariis, quibus utimur, ac *primo diei Januarii affixum habentibus asteriscum*, editus non fuit a Gregorio XIII. Dices, cur ista illatio? In Calendario Gregoriano, ultra Cyclum lunarem ad instar Fastorum multis per Annum diebus adnotata sunt Sanctorum Festa ad Populi memoriam, occasione qua Cyclus lunaris per singulos Anni dies digestus est. In Calendariis vero, quibus ad præsens utimur, sexaginta ferme locis diversa leguntur, quæ ut pote oborta post Gregorii Ævum, non reperiuntur in Calendario, quod primo edidit Gregorius, a Clavio relatum initio egregii sui jam allegati Voluminis. Sicut ergo vere Gregorianus est Epactarum Cyclus in prædictis Calendariis digestus, quamvis diversa cum Epactarum Ciclo multis locis adscripta sint, Gregorii Ævo posteriora, ita Cyclus lunaris repertus in antiquo marmore, per Lucam Gauricum vulgato, non cessat fuisse Julii Cæsaris, quamvis cum eodem Cyclo pluribus diebus diversa fuerint inserta, quæ ætati Cæsaris non congruere videantur. Hæc enim solum possunt efficere, ut Cyclus lunaris a Cæsare publicatus, censeri debeat in illo antiquo marmore impressus post ætatem Cæsaris; quod non inficior; sed non

inde sequitur Cyclum illum ibidem impressum fuisse post Nicænum Concilium, quod tribus ferme sæculis celebratum fuit, postquam floruit Plinius, & Ovidius; imo potius in illo antiquo Marmore impressum fuisse longe ante Nicænum Concilium satis indicant Festa, quæ ibidem recensentur tunc celebranda, inanibus Diis dicata.

96 Omnia igitur corruunt fundamenta, quibus innixi Joseph Scaliger, Petavius, & Eminentiss. Noris existimant Cyclum illum, cujus typum exhibui, editum non fuisse a Julio Cæsare, sed esse longe posteriorem ætate Cæsaris, atque a Christianis ingenioso artificio constitutum post Nicænam Synodum.

CONFUTATUR ILLUSTRISS. BLANCHINUS STRENUE CONTENDENS, JULIUM CÆSAREM EDIDISSE CYCLUM OCTOGRAMMUM, QUO LUNARES DIMENSIONES OMNES RUDIBUS ETIAM HOMINIBUS PATERENT, ET QUEM PRO INDICTIONE PASCHÆ ECCLESIA FORTASSIS ADHIBUERIT USQUE AD NICÆNI ÆVUM.

97 Enneadecaetericum Cæsaris Cyclum, de quo huc usque locutus sum, excludere videntur pereruditæ elucubrationes Illustriss. Blanchini, qui *in libro Romæ cuso Anno* 1703. *de Calendario, & Cyclo Cæsaris, & de Paschali Canone Sancti Hippolyti* strenue contendit, Julium Cæsarem edidisse Cyclum octogrammum, sive octo annorum, innixus cuidam Tabulæ marmoreæ, ibidem *pag.* 6. relatæ, quæ olim fuerat in Ædibus Cardinalis Maffæi ad Agrippinas; Anno autem 1704. reperta est in Palatio Farnesiano ad Campum Floræ. Hæc ipsa marmorea Tabula etiam a Grævio relata est *in Thesauro Antiq. Roman. tom.* 8. *pag.* 16. continetque Fastos Calendares, atque adscriptas inter cætera habet singulis Anni diebus binas literarum Columnas, quarum prima exhibet octo initiales Alphabeti Romani literas, in orbem ad instar literarum Dominicalium per totum Annum recurrentes; in secunda vero Columna affixæ sunt literæ indicantes dies Festos, Nefastos, & Comitiales. Eadem Marmorea Tabula dictiones has mutilas in reliquiis tituli superstites habet.

.... OL. ....
VALERI....... RIMAV .... ILII.
EXPOLIENDVM ET PINGENDVM...... NTO
TABVLIS PICTIS ETM..... IAST.... LIBERT....
COM..,. E,... S

98 Octo initiales Alphabeti literas, in prima Columna sculptas, Joseph Scaliger, Bucherius, Petavius, & alii multi Scriptores communiter

niter censuerunt, esse dierum Nundinalium indicativas, atque existimarunt, quod Nundinæ apud Romanos peragerentur singulis quidem novem dierum spatiis, sed utroque termino incluso; quo casu octo illæ literæ officium perinde ac literæ nostræ Dominicales præseferrent pro Nundinarum indictione. Blanchinus tamen *pag.* 9. bene probat ex Rutilio apud Macrobium *lib.* 1. *Saturn. cap.* 16. recursum nundinarum fuisse nono quoque die. Hæc sunt Macrobii verba — *Rutilius scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris Rustici opus facerent; nono autem die intermisso rure ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent* —. Hinc Blanchinus infert, quod octo prædictæ literæ, quippe quæ sunt unitate minores, quam sint dies ab uno Nundinarum termino exclusive ad alium inclusive, non indicaverint dies nundinales, sed Cyclum quemdam lunarem, quem ipse elegantissime describit, exhibetque tabulas opportunas. Confirmat hanc suam opinionem Blanchinus, dicens *pag.* 67. *& seqq.*, fieri non posse, ut Kalendæ Januarii, & omnium mensium Nonæ, in quibus nundinæ ex Macrobio *loc. cit. cap.* 13. *&* 15. interdictæ erant, octonis illis literis perpetuo declinentur, tum in hypothesi, quod nundinæ in orbem redirent singulis novem dierum intervallis utroque termino incluso, tum in hypothesi, quod ipsæ nundinæ nona quaque die occurrerent. Quamdam denique proponit *pag.* 68. methodum, qua Julius Cæsar a diebus nundinalibus, nona quaque die recursuris, vitare perpetuo potuisset Kalendas Januarias, & Nonas mensium. Ista methodus profert mensium dies, in quibus nundinæ in orbem recurrerent singulis duorum Annorum spatiis, sed non quadrat omnino, quia nihilominus in ea abundat unus dies, quem singulis bienniis dissimulandum fuisse monet, ut nundinæ cum Kalendis Januariis, aut mensium Nonis non concurrant.

99 Si rem prælaudatus Blanchinus accuratius expendisset, utique agnovisset, octonas illas literas fuisse vere nundinales; nullamque difficultatem involvere, imo nil elegantius excogitari potuisse, ut nundinæ nona quaque die, ut inquit Rutilius, recurrerent, simulque concursum Kalendarum Januarii, atque Nonarum mensium declinarent. Existimo enim octonas illas literas tali methodo processisse, ut præcise indicarent illos octo dies, quibus, ut inquit Rutilius, rustici in agris opus facere debebant, adeo ut recursus illius literæ, qua currente nundinæ proxime præcedentes peractæ sunt, regulariter indicarent pridianam nundinarum diem: quando autem dies nundinarum sic elicitus, a Kalendis Januarii, sive a Nonis mensium impeditus fuisset, tunc prædictus recursus literæ indicaret proprium diem nundinarum. Quamobrem illæ octo literæ, per singulos Anni dies distributæ, atque uti supra usurpatæ; rem omnino conficiebant, erantque accomodatissimæ captui vulgi, atque ethimologiam nomini nundinarum servabant. *Novendinæ* namque sunt in utroque casu, quod quisque deprehendet, alterutro, ac respective utroque nundinarum termino incluso.

100 Haud recte igitur conqueritur Blanchinus, dicens, quod si hujusmodi literæ fuissent nundinales, novem, & non octo fuissent nundinarum indicativæ, quemadmodum septem sunt nostræ literæ Dominicales; haud recte, inquam, ita conqueritur Blanchinus, longe enim dispar est ratio in nostris literis Dominicalibus; quoniam dies Dominicus

cus nunquam impeditur; nundinis vero Romanorum non unum erat impedimentum, quod cavere non poterant etiam novæ literæ, adeo ut si Cæsar Consiliarium adhibuisset Blanchinum in ordinandis nundinis per intervalla dierum novem, declinare non potuisset prædictum concursum, nisi dissimulato singulis bienniis uno die, uti constat ex methodo Blanchini superius enunciata. Quare consultius fieri non poterat, quam octo tantum literas nundinales Calendario affigere, quæ rem omnino conficiebant, ut dictum est.

101 Sed dato per modum hypothesis, quod prædictæ octonæ literæ non fuerint Nundinales, num ergo lunarem Cyclum designabant? In hisce Blanchinianis elucubrationibus sagax clarissimi viri ingenium elucescit, non autem rei veritas. Experiamur, an ita sit. Sientio prætercam, quod inde sequeretur, Romanos scilicet adeo rudes fuisse, ut nullam de peragendis nundinis habuerint indictionem; sed solum dicam, quod ex marmoreæ Tabulæ titulo nuper allegato Blanchinus recte animadvertit illa verba — *pingendum* — & — *tabulis pictis* —; sed nullam rationem profert, qua pictura aliqua adhibenda fuerit potius columnæ harum octo literarum, quam alteri columnæ, cui inscripti sunt dies Fasti, Nefasti, & Comitiales. Imo huic potius columnæ picturam aliquam convenire suadet Ovidius lib. I. Fast. dicens.

Quæque ferunt illi pictos signantia Fastos;
Et Martialis lib. XI. Epig. 5. dicens

Et qui purpureis jam tertia nomina Fastis,
Jane, *refers Nervæ*:
Et lib. XII. Epig. 26. dicens

Sed tu purpureis ut des nova nomina Fastis.

102 Rursus ex illis marmoreæ Tabulæ verbis non apparet colorum numerus. Blanchinus autem proprio marte assignat quatuor diversos colores, quibus prædictæ octo literæ pictæ fuerint ad prodendum lunarem Cyclum, quem comminiscitur.

103 Insuper quatuor tantum Octoadas diversis quatuor coloribus pingit in quatuor tantum Anni tempestatibus, scilicet a Kalendis Januarii, cui litera A adscripta est ad diem primam Februarii, & a die 30. Martii, cui in marmorea Tabula affixa est A. ad diem 30. Aprilis; & a die 26. Junii, cui similiter locata est A. ad diem 27. Julii; ac deniquc a dic 22. Septembris, cui pariter ascripta est A. ad diem 23. Octobris. Ista picturæ partitio in eruditissima quidem Blanchini mente nascitur; videamus nihilominus ejusdem picturæ officium, quod ipsemet Blanchinus assignat esse, indicandi diem novilunii singulis quatuor Anni tempestatibus. At unde dies, habetur intermediorum noviluniorum in hoc Cyclo? Blanchinus tradit *pag.* 17. eos accipiendos esse mentaliter, lunationes scilicet numcrando *alternas*, *cavas & plenas*. Quæ major impropricias in Cyclo lunari! At doceas me, quæso, Illustriss. Blanchine, quid officii est earum literarum pictarum, quæ singulis Anni tempestatibus abundant ultra mensem lunarem? De hoc nihil loquitur Blanchinus. Doceas me saltem officium cæterarum literarum intermediarum, quas, licet numero majores literis pictis, transilis tamen sine pictura: num istæ literæ inofficiosæ erant in Calendario

rio Cæsaris? Cur ergo appositæ sunt in marmorea Tabula? Si octonæ illæ literæ, per singulos Anni dies distributæ, Cyclum lunarem designabant, inofficiosæ censendæ non sunt. Cur ergo sculptæ sunt in marmorea Tabula? Vir doctissimus non loquitur. Fateamur ergo veritatem, hunc videlicet Cyclum lunarem ortum esse in erudita Blanchini mente, quemadmodum merum esse commentum quisque fateretur, si ex nostris literis Dominicalibus, in Calendario Romano per singulos Anni dies ascriptis, quo se modo gessit Blanchinus, Cyclus lunaris formaretur.

104 Quod vero attinet ad usum prædicti commentitii Cycli, Blanchinus *pag.* 15. in fine, illum accomodatum fuisse docet ad normam Cycli novemdecim Annorum, exhibens *pag.* 16. *& seqq.* totidem Annorum Tabulam, ad cujus normam omnes post Cæsarem futuros Annos directos esse tradit, atque signat illis ipsis numeris, quos aureos appellamus. In ipsa Tabula a Blanchino confecta apparet literas eodem colore pictas per totum Annum adhibendas esse, at non easdem; quæ enim, literæ hyemali, & verno tempore in usu sunt, mutantur Æstate, & Autumno in proxime sequentes literas ejusdem coloris; quod tamen perpetuo non servatur, nisi error typographi sit, ut existimo, atque constat sub Anno 10. Insuper apparet, quod ex Anno in Annum variandæ sunt literæ, sed inconstanti, ac vario progressu, adeo ut ab Anno secundo, cui Blanchinus tribuit usum literæ C tempore hyemali, ac Verno; & literæ D. Æstate, & Autunno; ad Annum tertium transgredimur cum usu literæ A., & respective B. Anno quinto assignatur usus literæ A. & respective B. Anno autem sexto statuitur usus literæ E. & respective F. & sic de cæteris. Quod denique magis interest, illis Annis reassumendæ non essent literæ ejusdem coloris.

105 Tribuat itaque sibi Blanchinus, non autem Cæsari hujus perintricatæ methodi publicationem. Ipsa namque methodus satis declarat, illam Cæsaris non fuisse ex duplici capite.

Primum est, quod Cyclus lunaris esse debet maxime accomodatus populari facilitati, ut valeat urbanis, rusticisque negociis inservire; quod adeo verum est, ut ipsemet Blanchinus id doceat *pag.* 17. Quomodo ergo potuit Cæsar Cyclum edere populari facilitati longe superiorem? Ipse Blanchinus *pag.* 17. facilitatem obtinendi in dato Anno prima singularum tempestatum novilunia, considerat cognita prius litera in illo Anno adhibenda, simulque cognito prius colore literæ; sed silentio præterit difficultatem, quæ non solum vulgo, sed peritis etiam, prædictam Tabulam in promptu non habentibus occurrisset in determinanda litera singulis Annis adhibenda, atque in determinando ejusdem literæ colore. Quæ difficultas adeo gravis est, ut prorsus inverisimile sit, hujusmodi Cyclum a Cæsare fuisse editum in suo Calendario.

Alterum est, quod prædicta methodus præsupponit, Cæsari notum fuisse Cyclum decennovennalem, quoniam ad hujus normam ipsa methodus accomodata est, omnesque Annos post Cæsarem futuros dirigit. Omnino igitur inverisimile est, ut Cæsar, qui notitiam habuit Cycli decennovennalis, & ad ejus normam omnes tunc futuros Annos direxit, superfluitatem, posthabito Cyclo decennovennali omnium expeditissimo, popularique facilitati accomodatissimo; superfluitatem, inquam prædictæ perintricatæ methodi in suo Calendario publicaverit. Superfluam enim fuisse prædictam methodum aperte ostendit Tabula, quam

quam prælaudatus Blanchinus exhibet *pag.* 19. & in qua omnia Cyclaria novilunia undeviginti Annorum expanduntur, *aureis numeris* notata, propriisque Anni diebus affixa, secundum methodum a Blanchino, uti supra, excogitatam, ac denique in orbem per omnes tunc futuros Annos recurrentia, secundum ordinem Cycli decennovennalis, uti manifestat Tabula, quam idem Blanchinus edidit *pag.* 22. Constat ergo, uti nuper notavi, methodum illam satis ostendere, Cæsaris non fuisse hujusmodi publicationem.

106 Revera Cæsari tribuere prædictæ methodi publicationem, perinde est, ac Cæsarem ipsum criminari. Dicit enim Blanchinus, uti supra notatum est, lunationes accipiendas esse *alternas cavas, & plenas.* Si vero Cyclum ipsum, per singulos Anni dies a Blanchino expansum, examinemus, utique deprehendemus pluribus locis, vel Blanchini inconstantiam, vel errorem, Anno enim Cycli primo, aliis Annis silentio præteritis, lunationes recte quidem procedunt, ut statuit Blanchinus, usque ad Aprilis diem 29. inclusive, cui novilunium affigitur. Hæc tamen lunatio, quæ incipit die 29. Aprilis, terminat die 28. Maii, ac propterea fit plena, dierum scilicet triginta; succeditque præcedenti lunationi similiter plenæ. Lunatio enim proxime præcedens, cum incipiat die 30. Martii, finiatque die 28. Aprilis, certo plena est, dierum nempe triginta. Inconstantiam Blanchini accusare non audeo; ergo ipse erravit, nec semel erravit. Si igitur vir doctissimus erravit; quid homines imperiti? Publicationem ergo prædictæ methodi Cæsari tribuere, an non perinde esset, ac Cæsarem ipsum criminari?

107 Vis etiam cognoscere, literas, quas Blanchinus comminiscitur noviluniorum Cæsaris indicativas, ne fuisse quidem aptas ad Cycli lunaris constitutionem? Serio animadvertas lunationes, quæ civilem lunarem Annum claudunt, incipiuntque mense Decembri, descriptæ in prædicta Tabula *pag.* 19. comperies enim hisce omnibus desinentibus Cycli Annis, secundo, quarto, sexto, decimo, septimo, & decimo nono, comperies, inquam, lunationes dierum triginta, & unius. Quænam majora absurda a Cæsare committi potuissent in Cyclo lunari?

108 Nec putetur, uti superius vidimus, irrepsisse apud Blanchinum errorem, A diebus enim inclusive, quibus affixæ sunt literæ illis Annis juxta Blanchinum indicativæ novilunii autumnalis, ad dies exclusive, quibus adnotatæ sunt literæ, juxta Blanchinum indicativæ novilunii hyemalis tunc proximi; intercedunt semper dies nonaginta, aut centum, & viginti, Quamobrem alterutrum declinari nequit; aut omnes lunationes constituere plenas diebus nempe triginta, aut prædictam lunationem constare diebus triginta, & uno,

109 Inutiliter demum procedit Blanchinus *pag.* 20. 21. & 23. ad conferenda commentitii hujus Cycli novilunia, & quintasdecimas Cyclares cum quibusdam Eclipsibus Solis, & Lunæ, quas referam in sequenti Laterculo, uti jacent apud ipsum Blanchinum. Addam tamen in ipso Laterculo quartam Columnam, quam Blanchinus præterit, & in qua adnotabo dies novilunii. & respective diem quintædecimæ ejusdem Cycli, ut illico cognoscatur assensus Cycli, vel dissensus a Cœlo. Addam etiam sextam columnam, in qua, eruditionis tantum causa, ascribam dies novilunii, ac dies quintæ decimæ illius Cycli, quem vere edidit Cæsar, & cujus typum superius exhibui, ut quæ differentia sit inter utrumque, non lateat. ECLIPSES

152a

ECLIPSES SOLIS.	*Dies Novilunii Cycli veræ Cæsaris.*
Eclipsis Solis die 19. Maii hor. 3. min. 52. post merid. Calvisius supputat. Fasti siculi narrant.	20 Maii.
Eclipsis Solis ante ejus occasum die 20 Augusti. Calvisius ex Fastis siculis, seu Choron. Alex.	21 Augusti
Eclipsis Solis hor. 4. min. 50. post merid. 28. Martii. Calvisius ex Dione.	30 Martii †
Eclipsis Solis Kalendis Augusti hor. 2. ante merid. Petavius, & Calvisius ex Dione.	2 Augusti
Eclipsis Solis die 30. Aprilis hor. 2. min. 36. post merid. Calvisius ex Tacito, Plinio, & Xiphilino.	1 Maii
Eclipsis Solis die 20. Martii hor. 3. ante merid. Calvisius ex Plinio.	20 Martii †
Eclipsis Solis die 21. Martii hor. 5. post merid. Calvisius ex Aurel. Victore.	22 Martii
Eclipsis Solis die 2. Aprilis hor. 4. ante merid. Calvisius ex Capitolino.	3 Aprilis

ECLIPSES LUNÆ.	*Dies quinta decima.*
Eclipsis Lunæ die 7. Novembris feria secunda hor. 2. post mediam noctem. Calvisius ex Lucano.	6 Nov. †
Eclipsis Lunæ die 10. Januarii feria septima ineunte Hierosolymis. Calvisius ex Josepho.	9 Januarii
Eclipsis Lunæ die 27. Septembris fer. 5. hor. 5. post mediam noctem. Calvisius ex Tacito, & Dione.	27 Septem.
Eclipsis Lunæ die 3. Aprilis post occasum solis. Calvisius.	3 April. †
Eclipsis Lunæ die 31. Decembris hor. 10. min. 28. Calvisius ex Aurelio Victore.	31 Decemb.
Eclipsis Lunę die 25. Aprilis hor. 5. post media noctem Xiphilinus ex Dione.	25 Aprilis
Alia vero 18. Octobris hor. 10. post meridiem.	19 Octob.
Eclipsis Lunę die 5. Aprilis hor. 9. post meridiem. Calvisius ex Ptolemęo.	7 Aprilis †
Die 26. Martii fere in media nocte Eclypsis Lunę. Calvisius ex Ptolemæo.	25 Martii †
Die 20. Octobris hor. 11. post meridiem. Calvisius ex Ptolemęo.	20 Octob. †
Die 6. Martii hor. 3. post mediam noctem. Calvisius ex Ptolemęo.	6 Martii

Ultima Eclipsis Lunæ ideo postposita apparet, quia Blanchinus eam per errorem notat Anno Juliano 185. Æræ autem Christi 140. sicuti per errorem ascribit aureum numerum VII. Anno Juliano 182. Æræ Christi 137.

110 Quoniam Blanchino placuit, posthabitis mediis Lunæ motibus, quibus Cycli ordinantur, & consequenter expenduntur, facere collationes cum Solis, Lunæque Eclipsibus; præ oculis est, quam sæpe a Cœlo aberret commentitius Blanchini Cyclus; e contra vero quam sæpe cum Cœlo concordet verus Cæsaris Cyclus; ubi enim error est, cruceolam apposui. At dices, errata Cycli Blanchini quoad diem quintædecimæ sunt manifesta; errata vero quoad novilunium, etsi non omnia, aliqua saltem videntur imposita; quando enim Cyclus novilunium signat, in quo die novilunium cæleste contingit, non errat. Respondeo, quod ita existimat Blanchinus, qui de Paschali quartadecima, uti vidimus, non recte sentit. Paschalis autem quartadecima, secluso usu virtutis syuesis, non patitur, ut Cyclus signet novilunium die cælestis novilunii; ipsa enim plus æquo diem Plenilunii præcederet, ut vides in prædicto Laterculo. Nunquid Romani (tu dices) Paschæ solemnia celebrabant? Respondeo, quod licet Pascha olim non celebraverint, eundem tamen morem in civilium dierum lunarium nomenclatura usurpatum fuisse vidimus supra ex verbis Gemini, *num.* 82. allegatis.

111 Dixi -- *inutiliter* -- procedit Blanchinus, suum Cyclum conferens cum Eclipsibus Solis, & Lunæ; quoniam non agitur, an ipse Cyclus a cælestibus motibus diffideat, vel cum istis concordet; sed agitur, an Cæsar Cyclum illum publicaverit; quo casu veteres notæ chronologicæ quæ Cyclo respondeant, quam plurimum juvant; non autem assensus Cycli, vel dissensus a Cœlo. Ipse Vir clarissimus *pag.* 23. §. *Testium &c.* inducit solum hanc notam chronologicam Sancti Hippoliti Martyris, per extensum ab eodem Blanchino relatam *pag.* 92. ubi legitur -- *Anno primo Regiminis Alexandri Imperatoris facta est quarta decima Paschæ Idibus Aprilibus Sabbato cum mensis Embolimæus fuisset &c.* Bene notat idem Blanchinus *cit. pag.* 23. illum Annum fuisse 222. Æræ Christianæ insignitumque fuisse aureo numero I. docet vero hunc aureum numerum in commentitio hoc Cæsaris Cyclo signare novilunium die 30. Martii. At videas amabo, quod manifestum est, Cyclum ipsum proclamare quartadecimam die 12. Aprilis, ac feria sexta, non autem *Idibus Aprilibus Sabbato*, ut dixit Sanctus Hippolytus.

Reddat ergo Blanchinus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ vero sua sunt, sibi accipiat.

QUOMODO PASCHATA JUXTA EXPOSITUM CYCLUM JULII CÆSARIS, ET RESPECTIVE SANCTI DIONYSII ALEXANDRINI CELEBRATA IN ROMANA ECCLESIA ULTRA DIEM 21. APRILIS CONCILIENTUR CUM LIMITIBUS PASCHALIBUS A CÆSARIENSI CONCILIO PRÆSTITUTIS, ET CUM EPISTOLIS SANCTI LEONIS MAGNI.

112 Vindicato a tot controversiis Cyclo Julii Cæsaris, ac respective Sancti Dionysii Alexandrini usum ejusdem Cycli perintricatum faciunt limites, quos diei Paschæ Dominico Concilium Cæsariense Anno 198., auctoritate, & hortatu Sancti Victoris Primi celebratum præstituit a die 22. Martii exclusive, ad diem 21. Aprilis inclusive; ultra enim hunc diem 21. Aprilis, prædictus Cyclus Pascha indicebat, & præcipue Anno 208. Cyclus Cæsaris, atque Anno 292. Cyclus Sancti Dionysii Alexandrini indixit, quo die 24. Aprilis Sanctus Leo Magnus in Epistola 68. ad Julianum Choensem Episcopum affirmat, quod — ibi — *Nunquam ita a tempore Dominicæ Resurrectionis celebratum est. . . . Unde sollicitus congruit hic requiri, ut omnis occasio tollatur erroris. Nam in nostris Annalibus decimus quintus Kalendarum majarum dies aptissime a Patribus nostris, & constitutus legitur, & celebratus* — Et in Epistola 65. ad Pulcheriam Augustam ait, quod adnotatio Theophili Patriarchæ Alexandrini de Paschate Anni 455. — ibi — *a totius antiquitatis exemplo, & ab omni auctoritate Patrum discordat* — In Epistola autem 64. ad Martianum Augustum dicit, quod diem 24. Aprilis — ibi — *a Passione Domini nullius exempli, nullius constitutionis admittit auctoritas . . . . Quod enim in decimum, & in nonum Kalendarum majarum videtur nonnunquam pervenisse festivitas, quadam ratione defenditur. Quia etsi dies Resurrectionis ultra terminum videtur exisse, Dies tamen Passionis limitem positum non invenietur egressus. Ad octavum autem Kalendarum majarum Paschalem observantiam perducere nimis insolens, & aperta transgressio est . . . . & contra morem Ecclesiasticum* — Hæc omnia maxime torquent intellectum, & quomodo conciliari possint non facile apparet.

113 Quoad prædictos igitur limites Cæsariensis Concilii, memoratos etiam per Sanctum Leonem in citata Epistola 64. dico, quod lunaris cursus tam astronomicus, quam civilis, est natura sua ita variabilis, ut intra prædictos fines concludi perpetuo nequeat dies Dominicus post quartam decimam primi mensis contingens; ac propterea nullus Cyclus, nullusque calculus astronomicus assignari potest, per quem necessitas omnium varietatum prædicti diei Dominici intra prædictos fines concludatur. Aut igitur contra rei veritatem fingendum est, Pascha quibusdam Annis non fuisse celebratum; aut dicendum est, Cæsarienses Paschæ limites indictionibus prædicti Cycli non obstare.

114 Verum si rem attentius exploremus, existimo, quod hæc verba synodalis Epistolæ prællegati Concilii Cæsariensis — *nec antea, nec postea*

ftca cuicumque limites transgrediendi fit facultas -- non includant (per illud verbum -- *cuicunque* --) fummum Romanum Pontificem, cujus auctoritate, & hortatu prædictum Concilium celebratum fuit, fed hanc implicitam conditionem retineant -- *nisi quando fummus Romanus Pontifex hofce limites excedendos effe fua Pafchæ indictione manifeftaverit* -- Idque non fine ratione, quam (præteritis iis, quæ fummum Pontificem expreffe non nominatum patefaciunt non includi verbis generalibus) ex hifce quatuor fundamentis deduco.

115 *Primum* eft, quod intra prædictos fines neceffitas omnium varietatum diei Dominici Pafchæ concludi non poterat. *Alterum* eft, quod doctrina de celebrando Pafchate poft Æquinoctium Ecclefiafticum perpetuo conftans eft in Ecclefia. *Tertium* eft, quod ex allegato Sancti Leonis Magni teftimonio Pafcha vere, & realiter ultra prædictos fines, nempe die 22. & 23. Aprilis, celebratum fuit; & licet ratione per eumdem Sanctum Leonem, uti fupra, allegata id per veteres fummos Romanos Pontifices peragi potuerit, nihilominus repugnaffet decreto Cæfarienfis Concilii, nifi hoc fuiffet habitum cum prædicta implicita conditione. Id ipfum confirmatur duobus Pafchæ Feftis realiter celebratis die 24. Aprilis, atque per Victorium Aquitanum memoratis, Anno fcilicet 208., & 292. ut patebit *num.* 159., & 160., abfque eo, quod inter fefe contradicantur Sanctus Leo Magnus, & Victorius Aquitanus, ut clarum etiam erit numero fequente. *Quartum* eft, quia Patres Cæfarienfis Concilii (notetur) primum terminum diei Dominici Pafchæ locarunt *ab undecimo Kalendas Aprilis*, nimirum exclufive, uti manifeftant Acta ejufdem Concilii apud Bedam *lib. de ver. Æquin. prope finem*; apud Regiam Collect. *Conc. tom.* 1. *pag.* 261. apud Binium *tom.* 1. *Concil. pag.* 132., & apud Bucherium *in Comment. in Victorii Canonem Pafch. pag.* 99. & alios, & confequenter locarunt die 23. Martii die fcilicet, in quo antea (nempe ante Ævum Cæfarienfis Concilii) Æquinoctium Ecclefiafticum contingebat; nec unquam Dominicum Pafcha illuc ufque fuit celebratum. Ipfi ergo Patres variarunt Annos embolifmales, communem fcilicet facientes Annum, aureo Cæfaris numero tertio infignitum, qui antea perpetuo fuerat embolifmalis. Quare ne diffidium inter Chrifti fideles in celebratione Pafchę contingeret contra ftatutum Sancti Pii Primi Papę, & Martyris *in cap. noffe. De confecrat. dift.* 3., ac etiam contra decretum Sancti Victoris Primi Papæ, & Martyris in Epiftola ad Theophilum Cæfarienfem Epifcopum, qui eidem Concilio prefuit, allegata *num.* 8. *&* 9. ubi fic legitur -- *non decet, ut membra a capite difcrepent, aut aliter gerant* -- quemadmodum expofita Annorum Embolifmalium variatio proximum diffidendi periculum præferebat, Cęfarienfes Patres dixerunt, quod -- *nec antea, nec poftea cuicumque limites tranfgrediendi fit facultas* -- ac propterea id dixerunt ad precavendum diffidendi periculum, & confequenter cum predicta implicita conditione -- *nifi quando fummus Romanus Pontifex hofce limites excedendos effe fua Pafchæ indictione manifeftaverit* --. Cęfarienfes ergo diei Pafchę limites, cum predictam includant conditionem, non obftant Pafchę indictionibus, quas ultra diem 21. Aprilis Cyclus defignabat, fummufque Romanus Pontifex fuis literis Pafchalibus *juxta confuetudinem*, ut legitur in Arelatenfi Concilio, proclamabat.

116 Quo autem ad allegata Sancti Leonis verba, Sanctus Doctor loquitur de Pascha Anni 455. in quo currebat litera Dominicalis B. aureusque numerus 19., qui in veteri Calendario adscriptus diei 4. Aprilis, Paschalem quartam decimam signabat die 17. tunc Dominico, Pascha autem die 24. ejusdem mensis. Itaque errori obnoxium sit quodcunque judicium circa intelligentiam verborum Sancti Leonis, nisi priora tempora expendantur. Quamobrem deprehendo, quod a Nicęni Ævo usque ad Sanctum Leonem nunquam contigit, ut simul concurrerit aureus numerus Nicęnus 19. atque litera Dominicalis B.; neque unquam contigit, ut hęc litera Dominicalis in orbem redierit cum aureo numèro octavo Nicęno, quibus tantum casibus fieri poterat post Nicęnum Concilium, ut Pascha die 24. Aprilis perageretur. Ab Anno autem Passionis Domini usque ad Nicęnum accidit quidem concursus aureorum numerorum 19. & 8. cum litera Dominicali B., sed hi aurei numeri certo non sunt Nicęni, sed Julii Cęsaris, ac propterea neomeniam Paschalem non signabant mense Aprili, sed mense Martio, quemadmodum manifestat Laterculus, quem edidi *num.* 74. *&* *num.* 77. Re ita sese habente, usui prędicti Cycli Cęsaris, ac Sancti Dionysii Alexandrini non adversantur, quę Sanctus Leo Magnus profert. Simul enim consonat veritati, quod tempus ante Nicęnum Concilium tali ratione fuerit ordinatum, ut Pascha a Cyclo tunc annunciatum sit, ac realiter [ut fidem facit Victorius Aquitanus sub *num.* 154., explicaturque sub *num.* 159. *&* 160.] celebratum die 22. Aprilis, & quod Pascha, ut dixit Sanctus Leo Magnus -- *nunquam ita* [notetur adverbium -- *ita* -- quod propositionem facit non absolutam, sed modalem, perindeque sonat, ut clarius patebit *num.* 160. ac si dictum fuisset; currente eodem aureo numero 19. atque eadem litera Dominicali B.] a tempore Dominicę Resurrectionis celebratum est. Quoniam currente aureo numero 19. ac litera Dominicali B. nunquam antea celebratum fuit die 24. Aprilis. Quare veritati consentanea sunt etiam verba Sancti Leonis, nempe, quod Pascha Anni 455. a Theophilo Patriarcha Alexandrino adnotatum diei 24. Aprilis, nullo pręciso, atque individuali exemplo; ac propterea neque secundum morem Ecclesiasticum confirmari poterat. Etsi enim Anno 208., & 292. Ærę vulgaris Pascha a Cyclo Cęsaris, & respective Sancti Dionysii proclamatum, & celebratum fuerit die 24. Aprilis, id tamen contigit non currente aureo numero 19. sed currente aureo Cęsaris numero 6. & respective 14. Qui namque Anni ante Nicęni Ævum proleptica methodo signantur ab aureis nùmeris Nicęnis 19. & 8. vere, & realiter insigniti erant aureis numeris Julii Cęsaris 6. & 14. quemadmodum faciliter comperies ex Laterculo, quem elucubratus sum *num.* 164.

117 Hine bene procedit, quod ipse Sanctus Leo deinde dicit, scilicet, quod illud Pascha Anni 455. ne poterat quidem confirmari auctoritate Patrum, aut alicujus Constitutionis. Sanctus enim Doctor non loquitur de Patrum aut Constitutionis auctoritate, propter quam Pascha peragi debet die Dominico post quartam decimam primi mensis, & secundum quam recte procedebat definitio Theophili Patriarchę Alexandrini, qui intra limitem positum reposuerat etiam -- *diem Passionis Domini* -- nempe lunam quintam decimam; sed loquitur de Patrum, aut Constitutionis auctoritate, quæ nulla quidem extabat, & per quam

præ-

prædictum Pascha expresse definitum fuerit ultra diem 21. Aprilis. Ipse enim in allegata Epistola 64., rationem proferens, qua prælaudatus Theophilus suam Paschæ indictionem nulla Patrum, aut Constitutionis auctoritate confirmare poterat, sic ait -- *nam diem octavum Kalendarum Majarum ab eo cognoscimus præfinitum, qui Anni limitem antiquitus constitutum excedit, cum alii quinto decimo Kalendarum majarum huic festivitati deputaverint diem* -- Et de facto Cyclus Cæsaris, uti supra emendatus a S. Dionysio Alexandrino, præseferebat die Dominico 17. Aprilis Paschalem quintam decimam primi mensis, ac propterea diem Paschæ, ut explicatum est *num.* 70. *in fine*.

118 Si vero quæras, cur Theophilus Patriarcha Alexandrinus ultra diem 21. Aprilis diem Paschæ Dominicum adscripserit, cum id a nullo alio, nisi a summo Romano Pontifice, uti patet ex dictis, fieri potuerit; Respondeo, Theophilum id fecisse ex præcipua delegatione Nicæni Concilii, quod a Sancto Sylvestro Papa in Concilio Romæ celebrato, ac memorato sub *num.* 14. confirmatum fuit. Alexandrino enim Præsuli propter Astronomiæ scientiam, quæ præ cæteris Orbis Partibus Alexandriæ tunc florebat, id curę commissum fuit, ut quota Kalendarum, sive Nonarum, vel Idium die Paschæ singulis Annis occurrat, summo Romano Pontifici annuntiaret, ut hic per universum Orbem diem hujus Festivitatis indiceret; quemadmodum referunt Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus *in Prologo apud Petavium de Doct. Temp. tom.* 2. *in Apend.* atque Sanctus Leo Magnus *in allegata Epistola* 64. Quorum auctoritas, cum circa proprium eorumdem officium versetur, tanti valet, ut in dubium revocari nequeat.

QUÆ NAM PRÆCISE PASCHATA SANCTUS LEO MAGNUS ALLEGATIS EPISTOLIS COMMEMORET.

119 Dum sermo est de Epistolis Sancti Leonis, silentio prętereunda non sunt Paschata, quę ibidem ipse commemorat, cum multum lucis inde elici possit contra quędam inferius referenda dissidia, quę diversi scriptores comminiscuntur, prę sertim post Nicęnum Concilium. Sanctus Leo, uti vidimus *num.* 112. narrat, quod -- *in decimum, & in nonum Kalendarum Majarum videtur nonnunquam pervenisse Festivitas* --. Quamobrem animadverti debet illud adverbium -- *nonnumquam* --; si enim pro *nonnumquam* dixisset *semel*, Sanctus Leo locutus tantum fuisset de duobus Annis, nempe de Pascha Anni 360., in quo cum in usu fuerit litera Dominicalis A. aureusque numerus 19. Pascha contigit die 23. Aprilis, atque de Pascha Anni 417. in quo in orbem rediit idem aureus numerus 19., ac litera Dominicalis G., ac propterea Pascha fuit die 22. Aprilis; aliis namque Annis post Nicęnum Concilium nunquam accidit prędictarum duarum literarum concursus cum aureo Nicęno numero 19., & currentibus aliis aureis numeris id -- *semel* -- contigisse non poterat. At quoniam dixit -- *nonnunquam* --, ideo Sanctus Leo locutus est etiam de Annis 333. & 428. in quibus in usu fuit litera Dominicalis G. aureusque numerus XI., atque de Annis 349. & 444. in quibus rediit in orbem aureus numerus VIII.,

ac li-

ac litera Dominicalis A. ac denique de Anno 406., in quo idem aureus numerus VIII. fuit in usu una cum litera Dominicali G. Aliis enim currentibus aureis numeris contingere non poterat Paschæ Festum die 22. neque 23. Aprilis; ac solum litera Dominicalis G. illud designat die 22. litera vero A. die 23. ejusdem mensis; quę literę cum prędictis aureis numeris occurrebant solum Annis prędictis. De facto si etiam cęlestes motus consulamus, ex iis utique deprehendemus, id prędictis solum Annis potuisse contingere, & ad plene evacuandum prelaudati Sancti Leonis testimonium aliter dici nequit.

120 Dices cum Paulo Middelburgensi, atque Eminentiss. Noris, & aliis, quomodo Sanctus Doctor loqui potuit de Paschate Anni 417. si Paschasinus Lilibetanus Episcopus in Epistola ad Sanctum Leonem Magnum reposita post Epistolam 63. ejusdem Sancti Leonis dixit, hoc Pascha tempore Zosimi fuisse celebratum die 25. Martii?

Respondeo, non Romanam Ecclesiam, sed Novatianos, qui propter suum Conciliabulum Pazzense, ac deinde Sangariense, hujusque Decretum a Socrate, & Sozomeno — *Indifferens* — appellatum a Romana Ecclesia in celebratione Paschę scissi erant, Cyclumque Annorum 84. non una tantum ratione directum, ac Cyclum etiam Sancti Hyppoliti usurpabant, Pascha celebrasse isto die 25. Martii, ut inferius patefaciam *num.* 166. 221. *& seqq.* 287. *& seqq.* Quem Novatianorum errorem Deus manifestum fecit evidenti miraculo per eumdem Paschasinum ibidem relato.

121 De facto Zosimus ex deductis per Illustriss. Blanchinum *tom.* 3. *super Anastasium in Chronologia*, *atque in notis Chronologicis*, creatus fuit Papa die nona Martii Anno 417. ac propterea Romana Ecclesia Pascha (propter ea, quę huic Festo precedunt) celebrare non potuit, nisi quo die indictum fuerat a Sancto Innocentio Primo Papa. Sanctus vero Innocentius Papa Primus pro Paschę indictione utebatur Cyclo aureorum numerorum Niceno, sive clarius, utebatur Cyclo Alexandrinorum, ut patet ex dictis *Quæst. tertia num.* 29. *& seq.* atque manifestat Pascha prędicti Anni 406. a Sancto Leone enunciatum. Ipse ergo Sanctus Innocentius Pascha Anni 417. non aliter indixit, nisi cum Alexandrinis die 22. Aprilis.

122 Insuper manifesto patet ipsa Quęstione tertia *loc. nuper cit.* Romanam Ecclesiam Anno 414. celebrasse juxta indictionem Cycli Alexandrini; id ipsum ex Sancto Leone Magno constat de Pascha Anni 428. quomodo ergo affirmari potest, quod intermedio Anno 417. ipsa Romana Ecclesia ab Alexandrinis discrepaverit? Eoque fortius, quomodo id affirmari potest, cum evidens sit, quod ad plene evacuandum Sancti Leonis testimonium, propter notatum adverbium — *nonnunquam* — fateri cogimur, ultra ea, quę notabuntur *num.* 152. *&* 158. fateri, inquam, cogimur, Romanam Ecclesiam cum Alexandrinis pluries ante, & post Annum 417. celebrasse Pascha die 22. & 23. Aprilis?

123 Eminentiss. Noris, ut Romanam inter Alexandrinamque Ecclesiam dissidium suadeat, in pręallegatis dissertationibus Lipsię impressis Anno 1696. *pag.* 47. *&* 110. dicit ex Paschasino, quod illud Pascha celebratum fuit die 25. Martii — ibi, nempe *pag.* 47. — *jubente Zosimo* —. Legatur quęso Epistola Paschasini *loc. cit.* ac etiam apud Bucherium *loc. cit. in fine*, & deprehendetur, quod Paschasinus non dixit — *ju-*

bente

bente Zosimo -- sed -- *tempore Zosimi* --. Quam multa fiunt tempore alicujus Pontificis, quę eidem attribui non possunt? unde venerabilis Beda *lib. de Temporum ratione cap.* 41. ex eodem Paschasino non dicit, Zosimum celebrasse, sed quosdam -- ibi -- *Tempore Zosimi Papæ, cum esset ultimus circu'i decennovennalis Annus, & declinarent Quidam decimo Kalendas Majarum die Pascha tenere, celebrantes octavo die Kalendarum Aprilium* -- Insuper idem Norisius, ut prędicta vehementius suadeat, hęc verba profert *pag.* 47. -- *Addit ibidem Paschasinus, quod a Zosimo, ac Romana Ecclesia pro Embolismo communis est Annus tentus* -- In Epistola tamen Paschasini non leguntur hęc verba -- *a Zosimo, ac Romana Ecclesia* --; ac proptera ex Paschasino non constat, ut vult Norisius Romanam Ecclesiam tunc celebrasse Pascha die 25. Martii.

124 Utinam vero hic finem fecissent scriptorum commenta circa Paschata, quę Sanctus Leo commemorat! Allegata Sancti Leonis verba, quę sunt -- *nam in nostris annalibus quintus Kalendarum majarum dies aptissime a Patribus nostris & constitutus legitur, & celebratus* --, effecerunt, ut absurdum maximum protulerint Paulus Middelburgensis *lib.* 4. *&* 5. *suæ Paulinæ*, Stoefflerus in suo Calendario *Proposit.* 35. *lit. H.* & Petavius *de Doct. temp. lib.* 2. *cap-* 65. *pag.* 115., deducentes ex illis Sancti Leonis verbis, Romanam Ecclesiam Anno 455. maluisse Pascha celebrare die 17. Aprilis *luna decima quarta* Cycli, quam Festum ad diem 24. Aprilis extendere. Ita ne Romana Ecclesia Pascha celebrare volebat, quę tantopere studuit contra quartadecimanos? Paschata, quę Sanctus Leo Magnus dicit fuisse celebrata die 17. Aprilis; vel celebrata fuerunt currente eodem aureo numero 19., vel non, si celebrata fuerunt currente aureo nnmero 19., ergo Romana Ecclesia a Nicęni Ævo usque ad eundem Annum 455. nunquam Pascha celebravit (ut perperam putant citati Paulus Middelburgensis, Stoefflerus, & Petavius) luna decima quarta, quoniam dies 17. Aprilis currente aureo numero 19. nunquam fuit Dominica, notetur; nunquam fuit Dominica; nec ante Nicęni Ævum hujusmodi Festum pro die 17. Aprilis peragi potuit, quia aureus Cęsaris numerus XIX. ante Nicęnum Concilium usitatus, Paschalem quartam decimam mense Martio proclamabat. Si vero ipsa Paschata celebrata non fuerunt currente aureo numero 19. ergo Romana Ecclesia ab eodem Nicęni Ævo, usque ad Sanctum Leonem ne potuit quidem Pascha celebrare luna quarta decima; solus enim aureus numerus 19. post Nicęnum Concilium quartam decimam Paschalem signabat die 17. Aprilis; ante Nicęnum vero Concilium nullus aureus Cęsaris numerus in Cyclo Sancti Dionysii Alexandrini quartam decimam pręseferebat ipso Aprilis die 17. uti constat *num.* 74. & licet in Cyclo Julii Cęsaris usque ad Annum Ærę vulgaris 260. adhibito, aureus Cęsaris numerus 6. quartam decimam Paschalem eodem die 17. Aprilis exhiberet, nunquam tamen accidit post Cęsariense Concilium usque ad Nicęni Ævum, ut ipse aureus numerus 6. consociaret ut literam Dominicalem B. nisi Anno 208. in quo notavimus ex Victorio Aquitano, Pascha celebratum fuisse die 24. Aprilis. Cum ergo Sanctus Leo referat, quod -- *in nostris annalibus decimus quintus Kalendarum Majarum dies aptissime a Patribus nostris, & constitutus legitur, & celebratus* -- consequens est, ut ipse locutus sit prout late secundum

rei

rei veritatem explicavimus *num.* 70. *in fine*; vel (quo prędictis Scriptoribus indulgeamus) locutus ſit de Paſcha Anni 371. currente aureo numero XI. qui Paſchalem quartam decimam ſignabat die 15. Aprilis; atque Anni 382. currente aureo numero 3. qui ipſam notabat die 13. nec non Anni 393. currente aureo numero 14. qui eandem indicebat die 12. ac deinde Anni 404. currente aureo numero 6. qui prędictam Paſchalem quartam decimam pręſeferebat die 10. ejuſdem menſis Aprilis, qui fuit Dominica. Hiſce enim omnibus Annis litera Dominicalis B. cum prędictis aureis numeris concurrebat; currentibus vero aliis aureis numeris Nicęnis contingere non poterat, ut Paſcha peractum fuerit die 17. Aprilis, quoniam Paſchalis quartadecima vel non tranſgrediebatur diem nonum, vel excedebat diem 17. Aprilis. Quare manifeſtum eſt, quod recitata Sancti Leonis Magni verba nullo modo patiuntur abſurdum, quod pręcitati ſcriptores protulerunt.

CONFUTANTUR PETAVIUS, PETRUS PITATUS, STOEFFLERUS PAULUS MIDDELBURGENSIS, ET QUIDAM ALII RECENTIORES, QUI ANTE, ET POST NICÆNUM, ET USQUE AD S. LEONEM MAGNUM DISSIDIA INTER ROMANAM, ATQUE ALEXANDRINAM ECCLESIAM FUISSE PONUNT EX EO, QUIA ROMANA ECCLESIA PRO INDICTIONE PASCHÆ USURPAVERIT LUNAREM CYCLUM AUREORUM NUMERORUM, TERNARIO MINOREM AUREIS NUMERIS ALEXANDRINORUM, INITIUMQUE MENSIS PASCHALIS CÆPERIT DIE QUINTO, ET PROXIME SEQUENTIBUS DIEBUS MARTII.

125 Heu heu; quam duram provinciam aggreſſus ſum! Ex quibuſdam Sancti Leonis verbis, nec non ex Victorio Aquitano, ac etiam ex Dionyſio Exiguo paulo inferius allegandis non recens ac fere communis ſcriptorum opinio orta eſt; priſcos Romanę Eccleſię Patres prioribus quinque Chriſti ſęculis, ac propterea tum ante, tum poſt Nicęnum Concilium, & uſque ad Sanctum Leonem Magnum, pro indagandis Paſchalibus neomeniis adhuibuiſſe lunarem Cyclum, quem decennovennalem ęque, ac alterum Cyclum Alexandrinorum fuiſſe, prędicti ſcriptores affirmant, ſed tali ratione directum; ut uterque Cyclus *iiſdem diebus* neomenias habuerit affixas, nec aliam prodiderit differentiam, niſi propter Epocham, quę effecerit, ut aurei numeri Cycli, qui priſcis Romanę Eccleſię Patribus attribuitur, tribus unitatibus perpetuo fuerint minores aureis numeris Cycli Nicęni, ſive Alexandrinorum; exempli gratia, in quo Anno currebat aureus numerus 1. Cycli

Eccleſię

Ecclesiæ Romanæ, Alexandrinis in usu fuerit aureus numerus IV. nullum huc usque fuisset dissidium in celebratione Paschæ propter neomenias iisdem diebus mensis affixas. Addunt tamen ipsi Scriptores, quod in ordinandis Annis Embolismalibus hæc fuerit inter utrumque Cyclum differentia, ut aureus numerus VIII, & XIX. apud Alexandrinos signaverint Annos Embolimæos, isti vero Anni apud Romanam Ecclesiam, cui tunc recurrisset aureus numerus V. & respective XVI. fuerint communes. Hinc quoties isti aurei numeri in orbem redibant, iidem Scriptores docent, Romanam Ecclesiam uno solido mense lunari ante Alexandrinam Pascha celebrasse. Hoc permagnum dissidium deducunt ex hisce Sancti Leonis verbis jam *num.* 116. explicatis — *nunquam ita fuit celebratum* die 24. Aprilis; ac etiam ex Prologo Victorii Aquitani apud Petavium, & Bucherium *loc. cit.* dicentis, Latinos usurpasse citimum terminum neomeniarum Paschalium die quinta Martii. Quod vero attinet ad prædictos aureos numeros, Ecclesiam scilicet Romanam usurpasse illos ternario minores, quam fuerint aurei numeri Cycli Alexandrinorum; & utrumque Cyclum iisdem diebus designasse neomenias, prædicti Scriptores deducunt ex Epistola Dionysii Exigui ad Bonifacium, & Bonum, quam referunt Petavius, & Bucherius *loc. cit.* Ipse enim Abbas Dionysius *loc. cit.* Cyclum ternario minorem distinguit ab Alexandrino, illum appellans lunarem, hunc vero decennovennalem; & ab utroque Cyclo quartasdecimas Paschales iisdem diebus indicari pronuntiat. Quare insignes Viri Paulus Middelburgensis *lib.* 2. *suæ Paulinæ*, Joannes Stoefflerus in suo Calendario *Propos.* 34. Petrus Pitatus in suo Calendario, Petavius *de Doct. Temp. lib.* 2. *cap.* 64. *&* 69. *& lib.* 6. *cap.* 5. utrumque Cyclum in expansis Tabulis exhibuerunt, indeque propter memoratum recursum aureorum numerorum 5. & 16. apud Ecclesiam Romanam, & 8. e 19. apud Alexandrinam, plures de mense Paschali contentiones & dissidia inter utramque Ecclesiam comminiscuntur diversis Annis tum ante, tum post Nicænum Concilium — *non enim* [sunt verba Stoeffleri Propos. 34. *lit. A.*] *in lunæ ætate discordarunt, sed in principiando mensem Paschalem* —.

126 Ut prædicta, & quæ pro eorum solutione dicturus sum, facilius intelligantur, utrumque Cyclum ex tabulis Pauli Middelburgensis *lib.* 4. *suæ Paulinæ* excerptum quoad mensem Martium, & Aprilem referam in sequenti schemmate, & quam in eo aureorum numerorum descriptionem vides mense Martio &c. eadem est mense Januario &c.

Mensis Martius				Mensis Aprilis			
Dies Mensis	*Litera Dominicalis.*	*Cyclus Lunaris Romanæ Ecclesiæ attributus*	*Cyclus Alexandrinorum, sive Nicænus servatus usque ad Gregorium* XIII.	*Dies Mensis*	*Litera Dominicalis*	*Cyclus Lunaris Romanæ Ecclesiæ attributus*	*Cyclus Alexandrinorum, sive Nicænus servatus usque ad Gregorium* XIII.
1	D	XIX	III	1	G	·	·
2	E	·	·	2	A	VIII	XI
3	F	VIII	XI	3	B	·	·
4	G	·	·	4	C	XVI	XIX
5	A	XVI	XIX	5	D	V	VIII
6	B	V	VIII	6	E	XIII	XVI
7	C	·	·	7	F	II	V
8	D	XIII	XVI	8	G	·	·
9	E	II	V	9	A	X	XIII
10	F	·	·	10	B	XVIII	II
11	G	X	XIII	11	C	·	·
12	A	XVIII	II	12	D	VII	X
13	B	·	·	13	E	·	·
14	C	VII	X	14	F	XV	XVIII
15	D	·	·	15	G	IV	VII
16	E	XV	XVIII	16	A	·	·
17	F	IV	VII	17	B	XII	XV
18	G	·	·	18	C	I	IV
19	A	XII	XV	19	D	·	·
20	B	I	IV	20	E	IX	XII
21	C	·	·	21	F	XVII	I
22	D	IX	XII	22	G	·	·
23	E	XVII	I	23	A	VI	IX
24	F	·	·	24	B	·	·
25	G	VI	IX	25	C	XIV	XVII
26	A	·	·	26	D	III	VI
27	B	XIV	XVII	27	E	·	·
28	C	III	VI	28	F	XI	XIV
29	D	·	·	29	G	XIX	III
30	E	XI	XIV	30	A	·	·
31	F	XIX	III	—	—	—	—

127 Si quæras nunc aureum numerum Nicænum in dato Anno currentem, adiicias unitatem Anno Æræ vulgaris Christi; summa autem dividatur per 19. quod enim reliquum est, exhibet aureum numerum quæsitum in Cyclo Alexandrinorum, cui si tollas tres unitates, habebis aureum numerum Ecclesiæ Romanæ attributum. Demum si in prædicta summa, uti supra, divisa nihil reliqui sit, aureus numerus Cycli Alexandrinorum erit 19. & consequenter aureus numerus Ecclesiæ Romanæ attributus tunc erit 16.

128 Eminentiss. Noris in Dissertatione *de Paschali Latinorum Cyclo* ostendisse sibi suadet lunarem Cyclum, uti supra, Romanæ Ecclesiæ attributum, esse fictitium, fabulosumque; sed pro veritate id non ostendit. Ideo enim Norisius hunc Cyclum lunarem putat esse fictitium, quia existimat Romanam Ecclesiam adhibuisse Cyclum Anonymi, Annis 84. constantem, cujus Cycli usu lubenter admittit prædicta dissidia quoad mensem inter Romanam, Alexandrinamque Ecclesias, adiicitque inter eas hoc etiam dissidium, de quo principalis est quæstio in hac Dissertatione, comminiscens, scilicet, Romanam Ecclesiam consuevisse celebrationem Paschæ luna cyclari vigesima secunda, dimissa quinta decima. Verumtamen postquam expeditus fuero a prædicto lunari Cyclo, evidenter ostendam, æque fabulosum esse, fictitiumque Romanam Ecclesiam usurpasse prædictum Cyclum Anonymi.

Dicam igitur quid prodat ille Cyclus lunaris, cujus meminit Abbas Dionysius Exiguus in citata Epistola *ad Bonifacium, & Bonum*;
129 deinde evidenter ostendam, merum esse commentum, quod ex Dionysio Exiguo deduci possit, hunc Cyclum lunarem fuisse Paschalem apud Romanam Ecclesiam; postremo autem evidenter patefaciam, falsum omnino esse, quod eadem Ecclesia ipsum Cyclum pro indictione Paschæ adhibuerit, pro ut tradunt prælaudati Scriptores.

130 Quid prodat iste Cyclus, facilius assequemur, si præcognitum habeamus quid prodat Cyclus Julii Cæsaris, ac deinde Cyclus Nicænus, qui idem est, ac Alexandrinorum, usque ad Gregorium XIII. usurpatus. Itaque Cyclus Julii Cæsaris, cuius typum supra exhibui *num.* 53. sine Calendario, & uniformiter ad ipsum, ætatem Lunæ Kalendis Januarii pronuntiabat hac methodo, ut unitas tollatur ex Annis ejusdem Cycli, & quod reliquum est, multiplicetur per 11. producta denique summa dividatur per 30. quod enim reliqui erat, ætatem lunæ ostendebat ultima die Decembris; quod perinde est, ac dicere, ostendebat futuram Epactam, quæ nihil aliud est, nisi reliquum Anni Solaris supra Annum Lunarem. Quamobrem addita huic Epactæ unitate regularis diei Kalendarum Januarii, Romani ætatem Lunæ Kalendis ipsis Januarii consequebantur uniformem Calendario Julii Cæsaris. Exemplum rem faciet clariorem; ex Anno Cycli decimo dempta unitate fit 9., qui numerus per 11. multiplicatus producit summam 99. qua partita per 30. reliquum est Epacta 9. cui addita unitate diei regularis fit 10. quota currente aureo Cæsaris numero decimo est ætas Lunæ Kalendis Januarii, exhibens lunam trigesimam die 21. novilunium autem die 22. ejusdem mensis, cui revera aureus Cæsaris numerus x. affixus erat.

131 Prædicta Methodus unicam habebat limitationem, ut scilicet decimus nonus Cycli Annus, qui -- *Epactat* (sunt verba Dionysii Exigui in citata Epistola) *idest adjectiones lunares octodenas retinens, primo*

[nempe Cycli] *Anno non undecim, ut cæteris Annis fieri solet, sed duodecim dies* (nempe propter subtractionem diei ex Anno ultimo Cycli, a Computistis appellatam — *saltum Lunæ*) *accomodat* : *& quia triginta dierum fine volvuntur* (Epacta enim trigesima prima perpetuo illa est, a qua computus incipit) *nulla Epacta in principio ipsius Cycli ponitur. Secundus autem Annus Epactas undecim suscipit* —: quod ipsum repetit Beda *lib. de Temporibus*, *cap.* 13. atque exemplo ejusdem Cycli Julii Cæsaris ostendam. Anno ultimo Cycli dempta unitate remanet 18., qui numerus multiplicatus per 11. exhibet summam 198. qua partita per 30. reliquum est 18. quod si additum habeat diem regularem Kalendarum Januarii, currente aureo Cæsaris numero 19. est ætas Lunæ Kalendis Januarii, Luna vero trigesima erit die 12. novilunium denique die 13. Januarii, quemadmodum in Calendario Cæsaris aureus numerus 19. affixus est diei 13. ejusdem mensis, proclamans eodem die novilunium. Constat ergo, quod decimus nonus Cycli Annus in principio retinet Epactas *octodenas*; in fine autem ipse Annus, non undecim, sed duodecim dies accomodans primo Cycli Anno, efficit, ut ultimam suam lunationem tunc agnoscamus completam in eodem Anno decimo nono, quemadmodum ultima lunatio Anni decimi noni in Calendario Cæsaris completa deprehenditur die ultimo Decembris; & cum nulla lunatio dies triginta excedat; hinc fit, ut diei ultimo Decembris absque aliarum Epactarum additamento immediate succedat novilunium; sicuti hoc re ipsa in eodem Cæsaris Calendario adscriptum est Kalendis Januarii, currente aureo Cæsaris numero primo. Patet igitur, quod rudes etiam, atque indocti homines vulgari usu aureorum numerorum Julii Cæsaris scire poterant ad sua peragenda negocia ætatem Lunæ Kalendis Januariis uniformem Calendario Cæsaris, & consequenter scire poterant Lunæ ætatem reliquo Anni tempore constitutis lunationibus alternatim plenis, & cavis.

132 Præterenndum tamen non est, quod verba nuper allegata Dionysius Exiguus non protulit de Cyclo Cæsaris, sed de Cyclo Nicæno, ac relative solum ad quartas decimas Paschales designandas in Anno sacro, prout istas Nicæni Patres adscripserant. Sanctus enim Proterius Patriarcha Alexandrinus, & Martyr in Epistola ad Sanctum Leonem Magnum apud Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* & Bucherium *loc. cit.* refert, quod — ibi — *Beatissimi Patres nostri....... non juxta Judæorum indictas, atque ineptas actiones, neque secundum exterorum putativam, fictamque prudentiam, sed secundum gratiam Spiritus Sancti instituti, in revolutione sæpe memorati decennovennalis circuli decimas quartas Paschales diligentius adnotarunt* —. Quæ regula igitur ætatem Lunæ Kalendis Januariis prodebat in Cyclo Cæsaris, a Nicænis Patribus retenta fuit ad designandas Paschales quartas decimas in Anno Sacro. At non facile apparet, qnonam modo id possit explicari.

133 Prælaudatus Dionysius Exiguus, qui prope finem allegatæ suæ Epistolæ id egregie exposuit [notetur] non secundum temporis successionem, sed secundum rationem sacrorum Annorum communium, & Embolismalium, viam quibusdam controversiis aperuit. Paulus Middelburgensis *sub initium lib. 6. suæ Paulinæ*; Stoefflerus *in suo Calendario Proposit* 36. Petrus Pitatus *cap. 6. Canon. Paschal*; & alii, quos secutus esse videtur Petavius *de Doct. Temp. lib.* 12. *cap.* 2. existimarunt, Nicænum

cænum Cyclum incipere ab aureo numero XIX. & inde comminiscuntur, quod consequens est, scilicet, subtractionem diei ex Anno lunari, quam Computistæ vulgo appellant *saltum Lunæ*, factam fuisse Anno primo Cycli Nicæni, non autem ultimo. Isti tamen clarissimi Viri non animadverterunt, quod Dionysius Exiguus, qui prædictam regulam exponebat non secundum temporis successionem, sed secundum rationem sacrorum Annorum communium, & Embolismalium, Nicænos Patres sequutus, singulos Cycli Annos sacros ita auspicatus est a luna decima quinta Paschali Anni proxime præcedentis usque ad quartam decimam Paschaleminstantis Anni, ut ex dierum numero inter illos terminos intercedente, atque in eadem Dionysii Epistola recensito, duo illico innotescerent; nimirum recta positio Paschalis quartę decimæ quę ut pote quovis Anno notato, vel die Æquinoctii 21. Martii, vel diebus huic proxime succedentibus rectissima deprehendebatur, atque mensium lunarium quantitas, sive numerus, sacrum Annum communem, Embolismumque componens. Ideo enim cognoscitur, quod mensis lunaris, qui currente Nicæno aureo numero XIX. incipit die quinto Martii, desinitque die tertio Aprilis, non erat primus, sed ultimus in Anno sacro, quia quartam decimam habet ante Æquinoctii diem 21. Martii, atque ideo mensis iste discernitur ultimus Anni Embolismalis, & non ultimus Anni communis, quia est lunaris mensis tertius decimus in Anno sacro. At quomodo dici potest tertius decimus mensis, nisi computus instituatur a primo mense, hunc proxime pręcedente? Ex quo igitur Dionysius Exiguus, prædictam regulam exponens secundum rationem Annorum communium, & Embolismalium, Annos Sacros auspicatus est a primo mense Anni pręcedentis, deduci nequit, Cyclum Nicænum incipere ab aureo numero XIX. eoque fortius, quia ipsemet Dionysius tum in allegata Epistola, tum in suo Cyclo Ravennæ reperto, clare docet, Annum Cycli primum incipere ab aureo numero primo, quemadmodum id certum esse affirmat Eminentiss. Noris *loc. cit. cap.* 5. §. *Hactenus &c. pag.* 212. *& seq.* editionis Lipsiæ, aliis ibidem cumulatis veterum testimoniis, quibus addi potest Paschasinus, Sanctus Hisidorus Hispalensis, & Rhabanus.

134 Quod præstitit Dionysius Exiguus secundum rationem sacrorum Annorum communium, & Embolismalium, id ipsum secundum temporis successionem, breviter explicabo; & ut facilius fieri possint collationes, pro quartis decimis utar neomeniis Paschalibus. Cyclus Nicænus, secundum temporis successionem expensus, incipit, quo die Neomeniam Paschalem ipse signat Anno primo, sive clarius, currente aureo numero primo; ac propterea incipit die 23. Martii, cui revera aureus numerus 1. in Calendario veteri affixus est. Quamobrem Epactæ, quæ secundum allegatam regulam singulis Nicæni Cycli Annis congruunt, manifestant ætatem Lunæ die 22. Martii; quemadmodum eædem Epactæ in Cyclo Julii Cæsaris ætatem Lunæ proclamabant ultimo die Decembris. Hæc vero, quamvis certa deprehenderim proprio marte non protuli. Sanctus enim Hisidorus Hispalensis *lib. 6. Orig. cap.* 17. sic ait -- *Epactæ semper undecimo Kalendas Aprilis reperiuntur in eadem luna, quæ fuerit eo die* --; Et Venerabilis Beda scribit *in lib. de Argum. Lunæ, pag.* 152. *editionis Coloniensis* -- *Primo Anno circuli decennovennalis trigesima est Luna in* XI. *Kalendas Aprilis, eodemque*

Anno

Anno luna decima quarta, quinto die Kalendarum Aprilis, idest nonis Aprilis —; quæ præcise verba repetit *in libello de Æquinoctio tom.* 2. *pag.* 231. & quidem currente aureo numero primo luna numeratur trigesima die 22. Martii. Quare idem Beda *in lib. de Temp. ratione cap.* 44. *ait* — *Primo Anno circuli decennovennalis nullæ sunt Epactæ, quia in* XI. *Kalendas Aprilis Lunæ finitus est cursus* —; nempe paria cum solis motu facit, ac propterea Cyclus exitum habet, nullæque supersunt Epactæ, novusque Cyclus die sequenti x. Kalendas Aprilis, sive 23. Martii exordium sumit cum aureo numero primo. Insuper apud eumdem Bedam axioma est — *locum Epactarum esse diem* XI. *Kalen. Aprilis* —, hoc enim docet *in lib. de Temporibus, cap.* 13. *& in lib. de Temp. ratione cap.* 48. *&* 58. ubi ait —. XI. *Kalendarum supradictarum, sicut sæpe dictum est, proprius est omnium locus Epactarum*. Quota ergo est Lunæ ætas die 22. Martii, tot sunt ejus Anni Epactæ; *cap.* enim 48. *de Temp. ratione* ita scribit — *proprie quæ in circulo decennovennali adnotatæ sunt Epactæ, Lunam quota sit in* XI. *Kal. Aprilis, ubi Paschalis est Festi principium, signant* —. Super est itaque, ut res ipsa fiat clarior exemplis. Anno Cycli decimo, dempta unitate, fit 9. qui numerus multiplicatus per 11. producit summam 99. qua partita per 30. reliquum est Epacta 9. cui addita unitate diei regularis, diei scilicet, in quo Cyclus incipit, fit 10. quota est Lunæ ætas die 23. Martii, quod utique concordat cum veteri Calendario, in quo aureus numerus x. utpote affixus diei 14. Martii, lunam decimam proclamabat die 23. ejusdem mensis. Anno Cycli decimo nono, dempta unitate, remanet 18. qui numerus multiplicatus per 11. exhibet summam 198. qua partita per 30. reliquum est 18. cui si addas prædictum diem regularem, erit 19. quota est luna die 23. Martii currente aureo Nicæno numero 19. quod quidem responde veteri Calendario, in quo aureus numerus 19. diei 5. Martii adscriptus est, lunam undevigesimam proclamans die 23. Martii; & sic de cæteris Nicæni Cycli Annis — *Excepto videlicet* (sunt verba allegatæ Epistolæ Dionysii Exigui) *Anno primo sæpe dicti decennovennalis Cycli, quem a decima quarta Luna PASCHÆ ULTIMI numerare curamus. Propter quod idem ultimus Epactas, idest adjectiones lunares octodenas tunc retinens, primo Anno, non undecim, ut cæteris Annis fieri solet, sed duodecim dies accomodat: & quia triginta dierum fine volvuntur, nulla Epacta in principio ipsius Cycli ponitur; secundus autem Annus Epactas undecim suscipit* —. Cum igitur Annus ultimus octodenas, uti etiam nuper vidimus, Epactas retineat, atque duodecim dies in fine accomodet Anno Cycli primo, fit, ut conflata summa sit triginta, quota currente aureo numero primo est Lunæ ætas die 22. Martii, & hæc respondet veteri Calendario, in quo aureus numerus 1. affixus die 21. Februarii, lunam trigesimam signat ipso die 22. Martii, at quia dies lunares — *triginta dierum fine volvuntur* —, fit, ut nulla posita Epacta in principio ipsius Cycli, novilunium Paschale Anni primi proxime succedat diei 22. Martii, pro ut revera vetus Calendarium diei 23. Martii affixum habet aureum numerum 1. ibique Paschalem novilunium Anni primi indicit.

135 Hinc patet contra Josephum Scaligerum, qui *lib.* 5. *de Emend. Temp.* cum viderit Dionysium Exiguum de Cyclo Paschali simul, ac de Cyclo lunari loquentem, existimare videtur Cyclum Paschalem, sive Nicænum

Nicænum *ad rationes* Lunæ non fuisse directum; patet, inquam, Nicænum Cyclum fuisse non solum *ad rationes* Lunæ directum, verum etiam quam accuratissime; & quam diligentissime ordinatum ad designandas quotannis Paschales quartas decimas, ut dixit S. Proterius Patriarcha Alexandrinus *num.* 132. allegatus.

136 Rursus patet, quod a Paschali neomenia Anni primi Cycli Nicæni, successivæ posteriorum mensium neomeniæ deducuntur, si lunationes alternatim cavæ, & plenæ accipiantur, adeo ut hac methodo deprehendas, neomeniam, sive novilunium coincidere cum Kalendis Januariis statim, ac de more perveneris ad usum aurei numeri tertii Nicæni. Hoc novilunium iisdem Kalendis contingere reperies, si illud a neomenia Paschali, currente aureo numero tertio, exquiras ordine retrogrado. Cum ergo Nicænus Cyclus quartas decimas Paschales ita digestas habeat, ut currente aureo numero tertio novilunium Kalendis Januariis necessario proferat, cur desumi debet initium ejusdem Cycli ab aureo numero tertio, ex eo, quia hic aureus numerus diei primo Januarii adscriptus est in veteri Calendario? merito igitur Eminentiss. Noris *loc. nuper cit.* arguit Clavium, qui *in Explic.* Calend. *cap.* 17. *num.* 35. & 12. docet, Nicænum -- *Cyclum aurei numeri a nullo alio numero, quam tertio in veteri Calendario initium habere potuisse* --. Hoc quidem vir clarissimus non dixisset, si præ oculis saltem habuisset rationem Ogdoadis, & Hendecadis Nicænæ, quæ sunt partes principales, simulque constitutivæ totius Cycli Nicæni, cum priores octo Anni, ab aureo numero primo computati, Octoadem constituant, posteriores vero undecim Anni ad Hendecadem spectent, ut tradunt citati Paschasinus, Dionysius Exiguus, Sanctus Hisidorus, Beda, & Rhabanus de Computo apud Balutium *tom.* 1. *Miscel.* atque clare manifestat Cyclus ejusdem Dionysii Exigui Ravennæ repertus, nec non vulgatus per Eminentiss. Noris ante prællegatam Dissertationem, in quo Cyclo Annus aureo numero primo insignitus expresse appellatur -- *Primus* -- & insuper notatus est cum Cruceola, initium Cycli indicante.

137 Quamvis Nicænus Cyclus quam accuratissime, & quam diligentissime neomenias Paschales quotannis, uti supra, proclamaret, nihilominus a Calendario sejunctus ætatem Lunæ Kalendis Januariis non prodebat eidem veteri Calendario uniformem, quemadmodum indocti, ac rudes homines adsciscere eam olim consueverant ex Cyclo Cæsaris. Cum enim Annus primus Cycli Nicæni, ab aureo numero primo signatus sit, & Kalendis Januariis in veteri Calendario non adhæreat aureus numerus primus, sed tertius; id, quod de Anno Solari superat Anno Cycli primo, & secundo ultra Annum lunarem, ætatem Lunæ Calendario veteri uniformem proclamare non poterat; imo ætatem Lunæ ab ipso Calendario, & a Cælo longe diversam proclamasset.

138 Antiquato itaque per Nicænos Patres usu, simulque rupto filo aureorum numerorum Cycli Julii Cæsaris, per quem homines ad sua peragenda negocia ætatem Lunæ adsciscebant, quamvis a Cœlo tunc aberrantem uno circiter die, uti manifestat emendatio ejusdem Cycli Cæsaris, a Sancto Dionysio Alexandrino edita, ac superius *num.* 65. exposita; nec non in usum per eosdem Nicænos Patres producto Paschali suorum aureorum numerorum Cyclo, qui a Calendario sejunctus ætatem

ætatem Lunæ, ut olim Cyclus Cæfaris, non prodebat; veteres Computiftæ, ne pro agendis civilibus negociis ignota rudibus hominibus deinceps foret ætas Lunæ Kalendis Januarii, cui ætati perpetuo uniformis eft illa Kalendis Martii, & a qua faciliter deduci poterat ætas Lunæ aliis omnibus Anni menfibus, excogitarunt aureorum numerorum Epocham ab ea, quæ aureis numeris Cycli Cæfaris olim congruebat, diverfam, propter quam iidem aurei numeri Kalendis Januariis, ut moris olim erat, ætatem Lunæ deinceps proderent uniformem Cyclo Nicæno, & fic eruditionis gratia, ediderunt Cyclum ternario minorem aureis numeris Nicænis, quem ut pote pro agnofcenda Lunæ ætate fine ulla a Cyclo Nicæno diffonantia excogitatum, appellarunt *Lunarem*, quemadmodum vere lunaris erat ille Julii Cæfaris, idemque officium præfeferebat; & fic illum diftinferunt a Nicæno, quem fpeciali vocabulo appellarunt *Decennovennalem*, quamvis utrumque fuiffe Lunarem, ac Decennovennalem iifdemque diebus neomenias indicaffe, bene animadvertit Eminentifs. Noris in Differtatione de Cyclo Pafchali Ravennate *cap.* 4. ubi egregie etiam docet, prædictum Cyclum lunarem a veteribus Computiftis methodi gratia inventum fuiffe ad prodendam in Kalendis præcipue Januariis ætatem Lunæ Nicænis Neomeniis conformem.

139 Nec dubium eft, hunc Lunarem Cyclum prodere ætatem Lunæ Kalendis Januarii. Venerabilis enim Beda *lib. de Temp. ratione cap* 55. cum hunc Titulum infcripfiffet -- *Quota fit Luna in Kalendis Januarii* -- fic ait -- *Poteft qui vult a Cyclo lunari facere argumentum ad inveniendum quota fit luna Kalendarum Januariarum. Sume enim Cyclum Lunæ quemlibet ut puta quintum; multiplica per undecim fiunt* 55. *adde unum femper regularem* [nempe Kalendarum Januariarum] *fiunt* 56. *partire per triginta, remanent* 26. *vigefima fexta eft luna in Kalendis Januarii Anno quinto Cycli Lunaris* --. Regula ifta quam Beda refert, & qua Lunaris Cyclus quolibet Anno prodit ætatem Lunæ Kalendis Januarii conformem Cyclo Nicæno, expofitione non indiget. Supereft ergo, ut Lunæ ætas, a Bedæ verbis enunciata probetur veritati refpondere. Annus itaque quintus Cycli Lunaris concurrit cum octavo Cycli Nicæni; & cum Lunæ ætas Kalendis Januarii, fcateat ex proxima Neomenia antecedentis menfis Decembris, hæc Neomenia fignata eft a Nicæno aureo numero feptimo, qui in veteri Calendario adfcriptus eft diei feptimo Decembris, ac propterea lunam vigefimam fextam proclamat Kalendis Januarii, lunam vero trigefimam die quinto Januarii; dies enim fextus ejufdem menfis in ipfo Calendario infcriptus eft cum aureo Nicæno numero octavo, lunam novam proclamante. Prædicta regula unicam tantum habebat limitationem, quam ipfe Beda *loc. cit.* clare exponit his verbis -- *Tantum memor efto; feptimo decimo, octavo decimo, & nono decimo Cycli memorati* (nempe lunaris) *Anno, non unum ut in reliquis, fed duos* [nempe dies] *adiicere regulares; & lunam in Kalendis Januariis fine errore reperies* --; Duos, inquam dies adiicere regulares, *alterum* fcilicet, qui eft earumdem Kalendarum Januariarum; *alterum* vero propter diei fubtractionem, a Computiftis -- *Saltum Lunæ* -- appellatam, quæ Anno Cycli Nicæni undevigefimo *definente* contingebat.

Re ita fefe habente, ac rem ipfam fpectans in Anno facro, qui ut dictum

dictum est *num.* 86. §. Antequam &c. a veteribus Computistis a Paschali quinta decima Anni præteriti usque ad Paschalem quartam decimam Anni instantis concluditur, ac de facto ista ratione concordat cum verbis illis Exodi *cap.* 12. *vers.* 2. — *mensis iste vobis principium mensium, primus erit in Mensibus Anni* —; manifestum est, quod Annus sacer (adtendas amabo, quia progredimur ad detectionem rei non levis momenti) de duobus Romanis Annis perpetuo participat, ac similiter de duobus Annis Cycli tam lunaris, quam Nicæni, ad normam Romani Anni acceptis; regulariterque signatur illo utriusque Cycli Anno, in quo ipse Sacer Annus terminat, uti clara sunt exempla etiam in citata Epistola Dionysii Exigui ad Bonifacium, & Bonum, & in allegato Cyclo Ravennæ reperto; quorum exemplorum alterum est, hisce Dionysii Exigui verbis expressum — *Anno decennovennalis* [nempe Cycli Nicæni] octavo, Lunari (nempe Cycli Lunaris) *quinto, ex secundo Kalendas Aprilis usque in decimum quartum Kalendas Maji, quia Embolismus est, fiunt dies* 384. —; ubi vides quod finis Anni Sacri, sive quarta decima Paschalis signatur Anno utriusque Cycli currente; ac de facto ad nullum alium Annum pertinet, nisi ad octavum Cycli Nicæni, & quintum Cycli Lunaris, cujus quarta decima Paschalis in veteri Calendario adscripta est diei 18. Aprilis. Illud igitur consequens est, quod initium ejusdem Anni Sacri octavi spectat ad Annum utriusque Cycli præcedentem, occurritque labente Nicæno aureo numero septimo, Cycli vero Lunaris quarto; Et de facto initium ipsum, sive Paschalis quinta decima Anni Sacri octavi secundum Cyclum Nicænum, & quinti secundum Cyclum Lunarem, quippe quę a Dionysio Exiguo uti supra signatur — *Secundo Kalendas Aprilis* —. Nulli alteri Anno in veteri Calendario adscripta est diei 31. Martii, nisi Anno septimo Cycli Nicæni, & quarto Cycli Lunaris. Quoties ergo dicimus Anno Cycli Nicæni octavo, & quinto Cycli Lunaris, *loquimurque de Anni Sacri initio*, perinde est, ac si dicamus Anno Cycli Nicæni septimo, & quarto Cycli Lunaris, & sic de cæteris quibuslibet Annis utriusque Cycli.

Neque ab hisce discrepat Beda *de Temp. ratione cap.* 54. Hoc enim antequam in Diagrammate ibidem recenseat singulos utriusque Cycli Annos protestatur, se facere, quod fecit Dionysius Exiguus dicens — *Quod Dionysius in mense Paschali, nos in Januario* [nempe initium Anni Sacri præcedente] *facere curemus* — ac propterea ipse Beda in allegato Diagrammate cum describat Lunæ ætatem, quæ Kalendis Januariis initium Anni Sacri præcedentibus, congruit, retinuit nomenclaturam Anni Sacri exempligratia, octavi secundum Cyclum Nicænum, & quinti secundum Cyclum Lunarem; Et Kalendis ipsis Januarii, initium prædicti Anni Sacri præcedentibus; tribuit Lunæ ætatem congruentem illi utriusque Cycli Anno, quo labente Sacer Annus incipit, tribuit inquam, Lunæ ætatem Anno septimo Cycli Nicæni, & quarto Cycli Lunaris congruentem, dicens — *Anno Lunari quinto, Decennovennalis* (nempe Cycli Nicæni) *octavo, & decimo quinto Kalendas Januarii*, usque in octavum Idus Decembris, quia communis est fiunt dies 354. — quemadmodum Dionysius Exiguus. Sacrum ipsum Annum octavum incipit, ut dictum est, a Paschali quinta decima Anni septimi secundum Cyclum Nicænum, & quarti secundum

Cyclum

Cyclum Lunarem. Ætatem vero Lunæ ipsis Kalendis Januariis, a Beda expressam, inclusamque in prædicta sua Anni Lunaris descriptione, veritati respondere comperies, si eam computes, uti decet a Neomenia Kalendis ipsis Januariio proxime præcedente, nimirum, ab aureo numero Cycli Lunaris tertio, & Cycli Nicæni sexto, qui in veteri Calendario adscriptus est diei 18. Decembris, & consequenter Kalendis Januarii signat lunam decimam quintam, die 16. Januarii lunam trigesimam. Dies namque 17. istius mensis in veteri Calendario affixum habet aureum numerum septimum, quo labente incipit Sacer Annus octavus.

Ex hisce manifesta apparet ratio, cur diximus *num.* 86. §. *Itaque* quoad primam &c. Bedam ita recensisse Annos Cycli Cæsaris, ut etiam rationem simul patefaciat, qua Computistæ tunc vetustiores, variata aureorum Cycli Cæsaris numerorum Epocha, Cyclum ipsum Lunarem accomodaverunt ad designandam Kalendis Januariis ætatem Lunæ uniformem Cyclo Nicæno efficientes, ut aureus numerus primus Cycli Lunaris propter prædictam Epochæ variationem, consociaret Nicænum aureum numerum quartum, & sic de cæteris. Quoad posteriorem enim Propositionis partem, scilicet, quod Beda rationem patefecerit, qua Computistæ variata aureorum Cycli Cæsaris numerorum Epocha Cyclum ipsum Lunarem accomodarunt ad designandam Kalendis Januariis ætatem Lunæ uniformem Cyclo Nicæno, adeo perspicuum est, ut dubitari deinceps nequeat. Ipse namque cum consociet Annum primum Cycli Lunaris cum quarto Cycli Nicæni ætatem Lunæ Kalendis Januariis facit conformem Cyclo Nicæno usu regulæ, sub initium hujusce numeri 139. relatæ. Equidem Annus primus Cycli Lunaris secundum prædictam regulam habet Kalendis Januarii lunam duodecimam, quotam habet Nicænus Annus quartus; Aureus enim numerus tertius Nicænus in veteri Calendario inscriptus est die 21. Decembris, proditque lunam duodecimam Kalendis Januarii, lunam vero trigesimam die 19. Januarii; quoniam die 20. ejusdem mensis ibidem affixus est Nicænus aureus numerus quartus. Quoad priorem verò Propositionis partem, videlicet, quod idem Beda simul etiam recensuerit Annos Cycli Cæsaris, silentio prateritis quæ exibuimus *num.* 86. *. *Cæterum &c* ex eo manifestum est, quia ætas Lunæ Kalendis Januarii in allegato Bedæ Diagrammate adscripta prædicto Anno primo Cycli Lunaris, & quarto Cycli Nicæni, quamplurimum discordat a Cyclo Nicæno, & Lunari; ac præcise concordat cum Cyclo Cæsaris, qui, uti vidimus *n.* 53. Anno primo Kalendis ipsius signat lunam primam; simulque ab eodem Beda cum utroque Cyclo conciliatur in ratione Anni Sacri; retenta, nimirum, ipso Januario mense Nomenclatura Anni Sacri primi secundum Cyclum Lunarem, & quarti secundum Nicænum, atque descripta prædictis Kalendis Januariis, initium Anni Sacri præcedentibus, ætate Lunæ, quæ solum respondet Nicæno aureo numero tertio, & decimo nono Cycli Lunaris, quo labente Anno incipit Sacer Annus primus ipsius Cycli Lunaris, & quartus Cycli Nicæni; quemadmodum Dionysius Exiguus, quem Beda (uti resultat ex hujus verbis sub præcedentis paragraphi initium recitatis) imitatur, Annum Sacrum Anni primi secundum Cyclum Lunarem, & quarti secundum Cyclum Nicenum, incipit a Paschali quinta decima Anni tertii Cycli Nicæni, & decimi noni Cycli Lunaris. Cum

140 Cum igitur hic lunaris Cyclus a veteribus Computistis inventus fuerit eruditionis gratia ad prodendam Lunæ ætatem juxta designationem Cycli Nicæni, atque ea intentione editus, ne indocti homines, qui prædictam facilem ætatis Lunæ notitiam ex Cyclo Julii Cæsaris, jam per Nicænos Patres, uti supra, antiquato, habere consueverant, similem notitiam ad sua peragenda negocia ignorarent; perperam inducitur Abbas Dionysius Exiguus in allegata Epistola ad probandum, quod illum Cyclum Ecclesia Romana usurpaverit pro indictione Paschæ; eoque fortius; non solum quia si tempora ante Nicæni Ævum spectemus, ipse Cyclus valde discrepabat a Cælo, uti cuicunque manifestum erit, collato hoc Cyclo cum Eclipsibus relatis *n.* 109. verum etiam, quia idem Dionysius Exiguus Cyclum decennovennalem, hujusque partes principales in prædicta Epistola commemorans relative ad tempus rectæ celebrationis Paschæ, satis manifestat, prædictum Cyclum lunarem non fuisse Paschalem, quamvis cum Lunæ ætate a Cyclo decennovennali, sive Paschali non dissideret, ac denique, quia in Cyclo Annorum 95. quem ipse Dionysius Exiguus edidit, Ravennæ præterito sæculo repertum in Camera Ecclesiæ Metropolitanę *Cartilogio* denominata, lapide ad instar sphæræ scalptum, atque ab Eminentiss. Noris *loc. cit.* relatum, plures circulares lineæ conspiciuntur, sphæram quamdam constituentes. In prima linea limbo sphæræ proxima descripti sunt omnes novemdecim Anni Cycli lunaris, initio facto *ab Anno ejusdem Cycli primo*, qui a cæteris Annis etiam distinctus est cum cruceola, initium Cycli designante. Huic versus centrum Sphærę succedunt aliæ quinque lineæ, quæ scalptas habent inter sese distinctas quinque revolutiones Cycli. decennovennalis, sive Nicæni in universum conficientes summam Annorum 95. Unaquæque ex his quinque lineis notatos exhibet omnes novemdecim Annos Cycli decennovennalis, initio facto ab Anno primo, a cæteris Annis etiam cum croceola distincto, qui respondet Anno Æræ vulgaris 532. insignito cum aureo numero primo, subjacetque semper Anno decimo septimo Cycli lunaris; & hoc ordine cæteri omnes Anni Cycli decennovennalis respective subjacent Annis Cycli lunaris. Singuli tamen Anni Cycli decennovennalis affixum habent diem quartæ decimæ Paschalis uniformem indictioni Cycli Nicæni jam relati *num.* 125. nec non diem Paschæ Dominicum, ac etiam ætatem Lunæ diei Paschæ tunc concurrentem. Inter unam vero, & alteram Cycli decennovennalis revolutionem, alia linea semper apposita est, quæ post primam ejusdem Cycli revolutionem hæc verba singulis Cycli Annis repetita profert — *Cycli secundi Paschalis* — post secundam revolutionem profert — *Cycli tertii Paschalis* —; post tertiam revolutionem profert — *Cycli quarti Paschalis* --; subintellige; Anno primo secundi Cycli Paschalis; Anno secundo secundi Cycli Paschalis &c. Omnium linearum maxime proxima centro sphæræ est linea, quæ singulorum Annorum Cycli decennovennalis qualitatem declarat, Annorum scilicet communium, & Embolismalium, notans ejusdem Cycli decennovennalis Annos Embolismales 3. 6. 8. 11. 14. 17. & 19. cæteros vero omnes communes. Præterea extra sphæræ limbum ad Annum Cycli lunaris sextum, Cycli autem decennovennalis nonum, hæc verba jacent — Distinctio Cycli 11. — nempe *secundi*; quod perinde est, ac dicere, distinctio Ogdoadis ab

 Hende-

Hendecade, quæ præcise, ut inquit etiam Paschasinus in citata Epistola ad Sanctum Leonem Magnum, incipiebat Anno Cycli decennovennalis nono. Præ oculis itaque habes Abbatis Dionysii Exigui Cyclum, quem si conferas cum ejusdem verbis in allegata Epistola ad Bonifacium, & Bonum, nullam discrepantiam reperies, nisi quoad diem Paschæ Dominicum, qui in prædicta Epistola omissus est. Cum ergo Dionysius Exiguus de lunari Cyclo mentionem faciat in Epistola ad Bonifacium, & Bonum æque, ac in suo Cyclo Ravennę, uti supra, reperto; nullibi autem hunc lunarem Cyclum appellet Paschalem, solumque Cyclum decennovennalem -- *Paschalis* -- titulo pronuntiet in suo Cyclo Ravennę reperto, quomodo sine injuria Romanę Ecclesiæ inferri, sive deduci potest ex laudato Dionysio Exiguo, quod ipsa Romana Ecclesia Cyclum lunarem fecerit Paschalem?

141 Revera Victorius Aquitanus, qui tempore Sancti Leonis magni, ac propterea octoginta fere Annis ante Dionysium Exiguum floruit, omnes Cyclos in suo Prologo Paschali apud Bucherium, & Petavium de *Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* diligenter notat, & quorum usu dissidia in celebrando Paschate post Nicænum Concilium oriebantur, de hoc tamen lunari Cyclo ne verbum quidem facit. Si igitur ipse Cyclus apud Romanam Ecclesiam fuisset Paschalis, id utique silentio non præteriisset; eoque fortius non præteriisset, si hujusce rei historiam in mentem revocemus, Sanctus enim Hilarius olim in secunda Ephesina synodo legatus Sancti Leonis Magni, ac deinde Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, postea vero in summo Pontificatu successor ejusdem Sancti Leonis, Epistolam, quam refert Petavius *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* scripsit prælaudato Victorio; ut diligenter exponeret tum dissensionum causas, tum etiam rationem, qua potissimum veritas indagetur; -- *quatenus*, inquiens, *cuncti in commune fideles, a dubiis omnibus expediti in summi celebritate Mysterii inoffenso devotionis tramite dirigantur*. Quamobrem silentio prætereundus non fuisset Cyclus, quem Romana Ecclesia pro indictione Paschæ adhibuisset aliquo modo diversum ab aliis Cyclis, quos ipse Victorius commemorat. Nec dubium est istum lunarem Cyclum ab aliis fuisse aliquo modo diversum. Ultra enim diversam aureorum numerorum nomenclaturam in quolibet dato Anno, ipse lunaris Cyclus locatum habuisset saltum Lunæ post aureum numerum 16. quoniam iste aureus numerus ad eamdem proclamandam Lunæ etatem cum Cyclo Alexandrinorum prodebat neomeniam Paschalem die 4. Aprilis, & in fine Anni subtractionem diei, saltum Lunæ appellatam, exigebat.

142 Adeo denique a veritate alienum est, hunc Lunarem Cyclum in Romana Ecclesia fuisse Paschalem ante Nicænum Concilium, ut potius evidenter pateat, inventum fuisse post Nicænum Concilium. Iste enim Cyclus ante Nicęni Ævum non solum a Cœlo dissidebat, ut dictum est *num.* 140. verum etiam notis chronologicis non respondet. Diximus *num.* 111. ex Sancto Hippolyto Martyre, quartam decimam Paschalem Anni 222. contigisse *Idibus Aprilibus Sabbato*. Ipse vero Cyclus eam signat pridie Idus Aprilis feria sexta. Anno namque 222. in usu fuisset aureus Romanę Ecclesię attributus numerus XI. qui *num.* 126. adscriptus est diei 30. Martii. Rursus ex Epitaphio Sanctę Severę Martyris diximus *num.* 69. quod Anno 269. Luna vigesima quarta fuit

fuit — *Nonis Novembribus, ac die Veneris*. Cyclus autem lunaris eam lunam proclamat, pridie nonas Novembris. ac feria quinta. Anno enim 269. in orbem rediisset aureus Ecclesię Romanę attributus numerus 1. qui utpote affixus diei 12. Octobris neomeniam, sive lunam primam ipso die 12. signabat.

143 At per modum hypothesis, dato, quod iste Cyclus in Romana Ecclesia fuerit Paschalis; ergo ne Romana Ecclesia in celebratione Paschę Alexandrinam uno mense præveniebat currentibus aureis numeris 5. & 16. Cycli lunaris; 8. autem, & 19. Cycli decennovennalis, sive Alexandrinorum? Id omnino falsum esse evidenter ostendam.

144 Dionysius Exiguus in allegata Epistola Paschalem quartam decimam exhibet omnium novemdecim Annorum utriusque Cycli, iisdem diebus mensis semper adscriptam, & signanter illam Anni quinti Cycli lunaris, Anni autem octavi Cycli decennovennalis notat — ibi — XIV. *Kal. Maii, quia Embolismus est* —; illam denique Anni decimi sexti Cycli lunaris, decimi autem noni Cycli decennovennalis signat — ibi — XV. *Kal. Maii, quia Embolismus est* —, Hoc eodem modo idem Dionysius in suo Cyclo Ravennæ, uti supra, reperto Paschalem utriusque Cycli quartam decimam describit. Si ergo ex Dionysio Exiguo deducere placet usum lunaris Cycli apud Romanam Ecclesiam, ratio postulat, ut iste usus ab eo diversus non proferatur, quem ipsemet Dionysius notat, & consequenter Romanæ Ecclesiæ nullo modo attribui potest, & ipsa currentibus prædictis aureis numeris Alexandrinam prævenire: uno Mense, communem scilicet faciens Annum, quem Alexandrina Ecclesia Embolismalem usurpabat; quoniam Dionysius Exiguus Paschalem quartam decimam utriusque Cycli eodem mensis Aprilis die recenset.

145 Talium dissidiorum fundamentum prælaudati scriptores præcipue deducunt ex Victorio Aquitano, qui in allegato Prologo sic ait — *Latini a tertio nonas Martii usque in tertium nonas Aprilis, diebus scilicet 29. observandum maxime consueverunt, ut quocunque eorum die Luna fuerit nata, efficiat primi mensis initium* —. Respondeo, quod si Victorius locutus fuisset de Romana Ecclesia, utique illius verba proderent dissidium, quod prælaudati scriptores comminiscuntur, sed revera Victorius hæc protulit non de Romana Ecclesia, sed de Novatianis Latinorum nomine designatis, qui post Pazzense, ac deinde Sangariense Conciliabula, pręcipue propter Decretum — *Indifferens* — a Socrate & Sozomeno appellatum, scissi a Romana Ecclesia in celebratione Paschę, ac nihilominus tolerati propter decretum Theodosii senioris, plurimum etiam Romę florebant, Ecclesiasque suas audacter, & libere retinebant usque ad tempora Sancti Cęlestini Papę Primi, ut clare patefaciam *num.* 295. *sub titulo — Quæ fuerint Norisii fundamenta &c.* eoque fortius dici debet, Victorium ea non protulisse de Romana Ecclesia propter quędam ejusdem Victorii verba, quę notabuntur *num.* 154. ac etiam propter ea, quę exhibebuntur *num.* 287. & seqq.

146 De facto si ista, quę refert Victorius Aquitanus, Romana Ecclesia usurpasset, Sanctus Leo Magnus, qui quatuor ferme Annis scripsit ante eumdem Victorium, in pręallegatis suis Epistolis dixisset utique, controversiam de Pascha Anni 455. tunc fuisse de mense Paschali,

atque

atque ortam esse propter mensem Embolimum, quem Alexandrini, aureo numero 19. tunc apud ipsos currente, inserebant contra assertum morem Romanę Ecclesię; non autem dixisset ex eo ortam esse, quia nonnulli putabant, agendum esse Pascha die 17. Aprilis, dum Theophilus Patriarcha Alexandrinus declaraverat, celebrandum esse die 24. ejusdem mensis, Dominica scilicet tunc sequente. Sanctus ergo Leo Magnus satis aperte manifestat, Romanam Ecclesiam ea non usurpasse, quę, uti supra, refert Victorius.

147 Hoc ipsum autem evidentius patefacit Sanctus Augustinus, qui in Epistola 55. ad Inquisitiones Januarii hęc verba profert — *eo tempore, quo Pascha celebramus, sol in Ariete est* —, & paulo post sic ait — *illie eum reperiet hac celebratio propter similitudinem renovandæ vitæ* — Sanctus Augustinus Pascha celebrabat secundum indictionem Aurelii Primatis Carthaginis, uti constat ex Canone primo Concilii tertii Carthaginis, Anno 397. celebrati *apud Labbe tom. 2. Concil. pag.* 1167. *& Harduinum tom.* 1. *Concil. pag.* 962. nec non ex Canone sexagesimo quinto Concilii quarti Carthaginis, celebrati Anno 398. cui interfuit idem Sanctus Augustinus *apud Labbe loc. cit. pag.* 1205. *& Harduinum loc. cit. pag.* 983. Ipse vero Aurelius, prout Arelatense Concilium de Anno 314. allegatum, *num.* 175. decreverat, notitiam diei Paschę accipiebat a summo Romano Pontifice, ut de facto manifestat Epistola Sancti Innocentii Primi Papę ad eumdem Aurelium jam relata *Quæstione tertia num.* 29. Quomodo ergo fieri potuit, ut Romana Ecclesia novilunium Paschale acceperit die quinto, ac nonullis proxime sequentibus Martii diebus, ex quo Dominica Paschę interdum contigisset die 19. 20. & 21. mensis Martii, cum Sanctus Augustinus claram fidem faciat, quod — *& tempore, quo Pascha celebramus, sol in Ariete est*? Aut ergo dicendum est, Sanctum Augustinum falsa de suo tempore, ac de se ipso retulisse, quod absit, aut necessario fateri debemus, Novatianos, ut dictum est *num.* 145. non autem Romanam Ecclesiam ea usurpasse, quę refert Victorius Aquitanus.

148 Cum Divo Augustino concordat Socrates, qui *lib.* 4. *Hist. Eccles. cap.* 23. scribit — ibi — *Novatus ipse & si de severo vivendi modo ab Ecclesia Romana dissentiebat, tempus tamen Festi Paschalis celebrandi non omnino mutavit. Perpetuo enim illud Festum de more illorum, qui in partibus ad Occidentem spectantibus habitabant, observavit, eodemque celebravit modo. Qui autem ibi vitam degunt, a primo tempore, quo fidem Christianam cœpere profiteri, SEMPER POST ÆQUINOCTIUM Festum illud celebrarunt* — *Et insuper lib.* 4. *cap.* 28. sic ait — *NOVATUS licet ob rigorem arctioris disciplinæ sese ab aliis segregaverit, tamen festum Paschæ diem nullatenus immutavit. Eodem enim modo, quo Occidentales, etiam ipse Pascha celebravit. Porro illi Pascha semper CELEBRANT post ÆQUINOCTIUM, more ipsis antiquitus tradito jam inde ab eo tempore, quo Christiani esse cœperunt.*

Nec solum Socrates, sed etiam Hermias Sozomenus cum Divo Augustino concordat. Sozomenus enim *lib.* 6. *Hist. Eccles. cap.* 24. sic refert — *non aliter, atque Romana Ecclesia POST ÆQUINOCTIUM VERNUM, istum diem Festum, tum ipse Novatus, tum ejus successores usque eo celebrarunt, quoad quidem in Phrigia Novatiani*

Episcopi

Episcopi in vicum Pazum profecti; *&* *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 18. sic ait -- *Romani quidem nunquam aliter* (intellige, nisi post Æquinoctium) celebrasse superiori tempore deprehensi sunt, cum Apostolorum Petri, & Pauli Traditionibus uterentur --. Quid plura? Idem Sozomenus non solum dixit, Novatianos a Romana Ecclesia in celebratione Paschæ dissidisse post Pazzense Conciliabulum tempore Valentis Imperatoris celebratum; verum etiam apertissime refert *lib.* 4. *cap.* 18. usum celebrandi Paschæ ante Æquinoctium exortum esse non ex Romana Ecclesia, sed ex Pazzensi Conciliabulo, dicens -- *ab iis, qui Pazucume convenerunt id primitus innovatum* --; quod non sine admiratione fuit apud eundem Sozomenum *loc. cit.* dicens -- *mihi vero mirari subit tum hominem istum* [nempe Sabbatium cujus causa Novatiani Pazzense Conciliabulum celebrarunt] *tum eos, qui illum secuti sunt, cur hanc NOVITATEM induxerint* -- Vehementius autem ipse Sozomenus *loc. cit.* miratur, Novatianos in Pazzensi Conciliabulo recentioribus Judæis, Pascha antequam præterierit Æquinoctium peragentibus adhæsisse, non autem veteri Judæorum Praxi, per Josephum, Philonem, & Aristobulum relatæ, dicens -- *eos, qui hac in re Judæos imitantur magnopere admiror, quod non potius vetustum apud illos morem prætulerint* --. Ista, quæ Sozomenus de Novatianis refert, scripta *implicite* reliquit etiam Socrates *lib.* 4. *Hist. Eccles. cap.* 28. ubi enim dicet, quod Novatiani -- *circa hoc tempus* [nempe Valentis Imperatoris) *Festum Paschæ immutarunt. Pauci quippe & obscuri Novatianorum in Phrigia Episcopi, collecto Synodo in Vico Pazzo, ubi fontes Annis Sangarii visuntur, regulam promulgarunt, ut quotannis observaretur, quo die Judæi Azyma celebrarunt, & una cum illis Festum Paschale celebraretur* -- Dixi -- *implicite* --, quoniam cum Novaliani Festum Paschæ in Pazzensi Conciliabulo immutaverint, promulgaverintque ibidem regulam, ut quotannis observaretur, quo die Judæi Azyma celebrarent, & una cum illis Festum Paschale celebraretur; necessario sequitur, quod Novatiani non solum usurpare cæperint Cyclum Judæorum; alterius namque Cycli usu Festum Paschale quotannis una cum Judæis celebrare non potuissent; verum etiam in usum invexerint celebrandi Paschæ antequam præterierit Æquinoctium. Constantinus enim Magnus in Epistola de Synodo Nicæna ad absentes Episcopos allegata *num.* 19. *sub litera D.* cum aperte refert, quod Judæi -- *uno eodemque Anno duo Paschata celebrent* -- perinde est, ac si dixisset eos Pascha celebrare antequam præterierit Æquinoctium; quemadmodum revera Judæis signanter contigit Anno vulgaris Æræ Christi 387. ut clare refert Sanctus Ambrosius *in Epistola* 83. & evidenter ex Judæorum Cyclo Annorum 84. patefaciam in Dissertatione post quintam Quæstionem *num.* 101. *& seq.* Si ista Novatiani fecerunt suis licita in Pazzensi conciliabulo, quænam deinde suis licita non fecerunt in Sangarensi Conciliabulo, in quo ad relata per Socratem, & Sozomenum citatos *num.* 282. decreverunt -- ibi -- *Eam Consuetudinem in hoc Festo celebrando pro arbitratu sequi, quam sequi animo instituissent.*

Cum ergo tam clara testimonia sint, Romanam Ecclesiam semper celebrasse Pascha post Æquinoctium, Novatianosque sub Valente Imperatore in usum invexerint peragendi hoc Festum ante Æquinoctium, prout de facto istos ita Pascha celebrasse constat etiam ex Sancto Cy-

rillo

rillo relato *sub num.* 281. *& seqq.* a veritate prorsus alienum est, quod ipsa Romana Ecclesia initium primi mensis effecerit die quinto, & nonnullis sequentibus diebus Martii; vitare enim non potuisset celebrationem Paschę die Æquinoctii, & interdum diebus ante Æquinoctium.

149 At falsitas prędictę sententię non exhisce solum auctoritatibus constat, sed etiam ex verbis Sancti Leonis Magni relatis *num.* 70. manifesta apparet; ut ibidem notatum est, & insuper ipsam falsitatem evidentius deinceps ostendam.

Primo quia dies Paschę Dominicus extendi nunquam potuisset ultram diem 22. Aprilis, ultimus enim terminus Neomeniarum Paschalium fit dies secundus Aprilis, & consequenter ultimus terminus quartæ decimæ Paschalis fit dies quintus decimus ejusdem mensis, qui si fuisset Dominica, Pascha extendi non potuisset ultra diem 22. Aprilis. At Romana Ecclesia, uti constat ex allegata Epistola 64. Sancti Leonis Magni *nonnunquam* celebravit Pascha die 23. Aprilis, Anno scilicet Æræ vulgaris Christi 349. 360. & 444. uti patet *num.* 119. ergo &c.

150 *Secundo*, quia Anno 208. currente aureo Romanæ Ecclesiæ attributo numero 16. ac litera Dominicali B. Pascha celebratum fuisset die 20. Martii luna decima sexta; quod *nunquam* hoc die celebratum fuisse, *etiamsi luna conveniat*, affirmat Victorius Aquitanus in allegato Prologo. Si vero dicatur, Pascha tunc fuisse translatum in sequentem Dominicam, hæc concurrisset cum luna vigesima tertia, in qua luna Pascha *nunquam* fuisse celebratum affirmat Sanctus Innocentius Primus Papa in allegata Epistola ad Aurelium Africæ Primatem; ergo &c.

151 *Tertio*; quia Anno 292. currente aureo Romanæ Ecclesiæ attributo numero 5. atque litera Dominicali B. Pascha celebratum fuisset eodem die 20. Martii, luna quinta decima, contra ea, quæ refert præcitatus Victorius Aquitanus, Sanctus Augustinus, Socrates; & Sozomenus, & contra dispositionem Concilii Romani de Anno 198. relati *num.* 3. & contra dispositionem etiam Canonis septimi Apostolorum *apud Labbe tom.* 1. *Concil. pag.* 47. *& Harduinum tom.* 1. *Concil. pag.* 11. ergo &c.

152 *Quarto*, quia Anno 265. & 360. currente aureo eidem Ecclesiæ attributo numero 16. atque litera Dominicali A. Pascha peractum fuisset die 19. Martii, luna decima quinta, ac pluribus diebus ante Æquinoctium. Victorius dicit, *nunquam* fuisse celebratum die 20. Martii, *etiamsi luna conveniat*; hisce vero Annis Ecclesia Romana celebravit Pascha die 19.? Ea ergo veneremur, de quibus fidem facit non solum Sanctus Leo Magnus, qui, ut patet *num.* 119. dixit, Pascha ipsius Anni 360. fuisse celebratum die 23. Aprilis; verum etiam Sanctus Ambrosius, qui in Epistola 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos expresse affirmat, quod prædicto Anno 360 -- ibi -- *nono Kalendas Maji Dominicam Paschæ celebravimus sine ulla dubitatione Majorum* --; & insuper dicit, quod Anno 379. in quo idem recurrebat aureus numerus, Pascha celebratum fuit, non mense Martio, sed die 21. Aprilis.

153 *Quinto*, quia Anno 303. & 398. currente prædicto aureo numero 16. atque litera Dominicali C. Pascha celebratum fuisset die 21. Martii, luna decima septima. An non id fuisset apertissime contra memoratos Cæsarienses, & respective Nicænos diei Paschę limites, &

contra

contra Decretum Concilii Romani de Anno 198. ac denique contra relata per Sanctum Augustinum, Socratem; & Sozomenum?

154 Paschata tamen apud Romanam Ecclesiam celebrata fuisse die 21. Martii docet Eminentiss. Noris *in Dissertatione de Paschali Latinorum Cyclo, Lipsiæ edita pag.* 108. Videamus breviter, quo fundamento id ipse proferat — *Victorius dixit* (sunt verba ejusdem Norisii *loc. cit.*) *nunquam Pascha XIII. Kal. Aprilis, idest die* 20. *Martii peractum fuisse. Ubi cum non idem moneat de die* 21. *insequenti, colligimus, Latinos aliquando eodem die Festo defunctos esse* —. Ne videar quidquam temere alicui imputare, referam præcisa Victorii verba in allegato Prologo — ibi — *cum vero contigerit lunam* XXVII. *Sabbato, vel maxime die Kalendarum Januarium provenire absque Bissexto, noverit sanctitas vestra, Pascha nisi aut* XIII. *Kal. Aprilis secundum Latinos* [*quod nunquam celebratum, etiamsi luna conveniat, penitus invenitur*] *aut* VIII. *Kal. Maji secundum Ægyptios* (*quod aliquoties observatum est*) *reperiri non posse* —. Quamvis Eminentiss. Noris perperam Romanæ Ecclesiæ hic attribuat *Latinorum* nomen, quo Victorius Novatianos designat, post Pazenze, ac deinde Sangariense Conciliabula, scissos a Romana Ecclesia in celebratione Paschæ, uti notatum est *num.* 145. ac etiam indicant (notetur) illa verba — *secundum Latinos* — quibus denotatur quædam hominum secta, a summo Romano Pontifice, ad quem mediante Sancti Hilarii olim Archidiaconi Romanæ Ecclesiæ Persona, ipse Victorius ibidem loquitur, scissa; tamen idem Norisius ex allegatis Victorii verbis inferens celebrationem Paschæ die 21. Martii, nimia licentia utitur immemor, quod — *expuris particularibus nihil sequitur* —. Tu ergo vides quonam fundamento innitantur, quæ Paschata apud Ecclesiam Romanam dicuntur celebrata die 21. Martii. Potest ne quid levius excogitari?

155 *Sexto*, quia Sanctus Ambrosius in Epistola 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos loquens de Pascha Anni 387. docuit, Pascha tunc peragendum esse die 25. Aprilis, secundum Alexandrinam jam vulgatam definitionem. Si Romana Ecclesia initium primi mensis effecisset die quinto, & sequentibus diebus Martii, illud Pascha a Divo Ambrosio proclamatum non fuisset die 25. Aprilis, sed die 21. Martii, ac luna decima sexta. Anno enim 387. recurrisset in orbem litera Dominicalis C. atque aureus Romanæ Ecclesiæ attributus numerus 5. Insuper idem Sanctus Ambrosius *loc. cit.* refert, non Romanam Ecclesiam, sed Judæos illo Anno suum Pascha celebraturos fuisse ultimo mense, nempe die 20. Martii Sabbato, ac propterea non Romana Ecclesia, sed Judæi, & qui horum Cyclum sequebantur, Pascha celebrarunt mense Martio.

156 *Septimo*, quia idem Sanctus Ambrosius in citata Epistola sic ait — *Necesse fuit, quia etiam post Ægyptiorum supputationes, & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem, Episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ* (qui nempe ad Dioecesim Metropoliticam Romanæ Ecclesiæ pertinebant) *per literas plerique meam adhuc expectant sententiam, quid existimem scribere de die Paschæ* —. Hinc legitime infertur, quod prædictis Episcopis summus Romanus Pontifex mediantibus literis Encyclicis Pascha annuntiaverit secundum Alexandrinam definitionem. Alexandrini namque Patriarchæ ex præcipua Nicænorum Patrum delegatione (uti

constat ex memorata Epistola 64. Sancti Leonis, atque ex Prologo Sancti Cyrilli *apud Petavium de Doct. Temp. tom. 2. in Append.*) quota Luna, & quota Kalendarum, nonarum, vel Iduum die celebrandum esset, summo Romano Pontifici annuntiabant, ut hic universum Orbem de Paschæ die instrueret. Ergo summi Romani Pontifices Pascha celebrabant secundum definitionem Alexandrinam, quoniam secundum hanc definitionem Pascha aliis Ecclesiis, ut colligitur ex divo Ambrosio, proclamabant; ac propterea falsum est, Romanam Ecclesiam initium primi mensis accepisse, ab Alexandrinis diversum.

157 Insuper, si plerique Episcopi ad Dioecesim Metropoliticam Romanæ Ecclesiæ pertinentes -- *Etiam post Ægyptiorum supputationes, & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem* -- Sententiam Sancti Ambrosii adhuc expectabant, utique cum ipso in celebratione Paschæ consueverant convenire; non enim sententiam ejus expectassent, a quo jam diffidissent; neque Sanctus Doctor usus fuisset argumento ab exemplis deducto, inferiusque allegando *num.* 175. Sed prædicta Epistola 83. certo manifestat, quod Sanctus Ambrosius Pascha semper celebravit, prout ipsum celebrabant Alexandrini. Ipse enim refert, Pascha Anni 360. celebratum fuisse die 23. Aprilis, currente aureo Alexandrinorum numero 19. & aureo Romanæ Ecclesiæ attributo numero 16. Pascha vero Anni 379. peractum fuisse die 21. Aprilis, eodem in orbem redeunte aureo numero. Ergo Episcopi, qui ad Diœcesim Metropoliticam Romanæ Ecclesiæ pertinebant, Festum Paschæ peragere consueverant, prout illud Alexandrini celebrabant; summus vero Romanus Pontifex, qui ex Decreto etiam Arelatensis Concilii allegato *num.* 31. hisce Episcopis diem Paschæ annuntiabat, diverso tempore idem Festum celebrabat? Si absurdum illud proferre in alicujus mentem forsan veniret, memoratur, quod Pascha Anni 360. non solum a Divo Ambrosio traditur uti supra celebratum fuisse cum Alexandrinis 23. Aprilis, sed etiam a Sancto Leone Magno, ut ostendam *num.* 199. *& seqq.* & dictum est *num.* 119. & consequenter prædictum absurdum manifeste adversatur veritati.

158 *Octavo*, quia ex Sancto Leone Magno accepimus *num.* 70. §. *Quid plura*? Quod Annis qui ante Nicæni Ævum aureo Nicæno numero 19. respondent dies 17. Aprilis fuerat a Patribus *constitutus & celebratus* quintus decimus dies Lunæ. Ergo &c.

Rursus patet *num.* 119. quod Anno 406. & 417. Pascha celebratum fuit die 22. Aprilis, currente tunc aureo Romanę Ecclesiæ attributo numero 5. & respective 16. ergo &c.

Dices ex Epistola Paschasini valde controversum esse illud Pascha Anni 417. Respondeo, hujusmodi controversiam resolutam esse *num.* 120. *& seqq.* ibique patet æquivocum, quo ipsa controversia orta est. Revera ex nuper dictis *num.* 149. *& seqq.* atque ex paulo inferius dicendis constat Romanam Ecclesiam non solum non celebrasse Paschæ Festum mense Martio, dum recurrisset aureus eidem Ecclesiæ attributus numerus 5. & 16. sed etiam vere, & realiter eodem, quo Alexandrini peragebant, mense Pascha celebrasse Anno 208. 292. 330. 341. 349. 360, 368. 379. 387. 398. 406. 444. & 455. in quibus Annis in orbem recurrisset aureus Romanæ Ecclesiæ attributus numerus 5. & respective 16. Anno autem 417. dubitari potest, ipsam Romanam Ecclesiam

clesiam ab Alexandrinis dissidisse? eoque fortius dubitari potest, concurrentibus iis quæ dicta sunt *num.* 120. *& seqq.*? & insuper constito sub *num.* 161. eamdem Ecclesiam signanter isto Anno 417. Pascha peregisse, quo mense illud Alexandrini celebrarunt?

159 *Nono*, quia prelaudatus Victorius verbis nuper allegatis *num.* 154. fidem facit, quod Pascha *aliquoties observatum est VIII. Kal. Maji* nempe die 24. Aprilis. Fieri autem non potuit, ut Romana Ecclesia hoc Festum isto die celebraverit, nisi simul concurrerit litera Dominicalis B. atque altera ex lunis a decima quarta usque ad vigesimam primam. A Niceni tamen Ævo usque ad Annum Æræ vulgaris 457. in quo scripsit ipse Victorius, id nunquam contigit, nisi Anno 455. De hoc igitur solo Paschate locutus non est Victorius, qui non dixit *semel* -- sed -- *aliquoties* -- observatum fuisse Pascha die 24. Aprilis. Ergo locutus est etiam de aliis Paschæ Festis ante Nicæni Ævum celebratis. A Cæsariensis autem Concilii tempore usque ad Nicænum bis tantum potuit id ipsum contingere, nempe Anno 208. & 292. Quamvis enim multoties illo temporis intervallo in orbem redierit litera Dominicalis. B. nunquam tamen accidit, ut hæc litera, simul concurrerit cum altera ex prædictis lunis, nisi Anno 208. & 292. Ergo Victorius de hisce quoque Annis locutus est. Et quidem Anno 208. in usu fuit aureus Cæsaris numerus 6. qui Neomeniam Paschalem signabat die 4. Aprilis, quartam decimam die Dominico 17. Festum Paschæ die 24. ejusdem mensis Aprilis, luna vigesima prima; Anno autem 292. fuit in usu aureus Cæsaris numerus 14. qui ad præcedentem diem a Sancto Dionysio Alexandrino, ut dictum est, elevatus annuntiavit Paschalem Neomeniam die 5. Aprilis, quartadecimam die 18. feria secunda, Pascha denique die 24. Aprilis luna vigesima. Sed si Romana Ecclesia lunarem Cyclum ternario minorem aureis numeris Nicænis adhibuisset, initiumque primi mensis cæpisset die quinto, & proxime sequentibus diebus Martii, Pascha hisce Annis non celebrasset die 24. Aprilis, sed die 20. Martii, in quo Victorius affirmat, *nunquam* fuisse celebratum. Ergo Romana Ecclesia neque adhibuit prædictum Cyclum, neque initium primi mensis cœpit die quinto Martii. Anno enim 208. rediisset in orbem aureus eidem Ecclesiæ attributus numerus 16. qui lunam decimam sextam signasset Dominica die 20. Martii, Anno autem 292. recurrisset aureus numerus 5. qui lunam quintam decimam eadem die Dominica 20. Martii designasset.

160 Dices; Victorii verbis adversantur illa Sancti Leonis Magni. Hic enim dicit -- *nunquam* -- ille vero -- *aliquoties* -- celebratum fuisse Pascha die 24. Aprilis. Respondeo, Sanctum Leonem illud dixisse in Epistola 68. ad Julianum Episcopum, atque Legatum suum apud Martianum Imperatorem, quæ scripta fuit die 9. Januarii Anno 454. more Romano. Victorius vero scripsit Anno 457. ac propterea nulla inter eos fuit antilogia quoad Pascha Anni 455. die 24. Aprilis, uti constat ex Epistola 95. ejusdem Sancti Leonis, celebratum. Id ipsum dicendum est de aliis duobus Paschæ Festis, Anni nempe 208. & 292. Quia Victorius absolute dixit -- aliquoties --; Sanctus autem Leo non dixit absolute *nunquam*, sed dixit -- *nunquam ita* --; quod adverbium -- *ita* -- perinde sonat, ac si dictum fuisset, currente aureo numero 19. atque eadem litera Dominicali B. Anno enim 455. de cujus controverso

Paſchate ſcripſit Sanctus Leo, concurrebat litera Dominicalis B. aureuſque numerus Nicænus 19. Hic vero aureus numerus 19. a Nicæni Ævo uſque ad Sanctum Leonem Magnum nunquam rediit in orbem una cum prædicta litera Dominicali B. nec unquam contigit, ut hæc litera in orbem redierit cum aureo numero Nicæno 8. quibus tantum caſibus fieri poterat poſt Nicænum Concilium, ut Paſcha die 24. Aprilis perageretur. Ante Nicænum autem Concilium aureus Cæſaris numerus 19. nunquam potuit Paſcha proclamare die 24. Aprilis, quia Paſchalem quartam decimam uſque ad Annum 259. Æræ vulgaris Chriſti ſignabat die 26. Martii, uti conſtat *num.* 77. deinde autem uſque ad Nicænum, die 25. ejuſdem menſis, uti patet *num.* 74. Quod ipſum dicendum eſſe *loc. cit.* apparet de aureo Cæſaris numero octavo.

161 *Decimo*, quia vetuſtiſſimum laterculum Paſchalem Bucherius reperiit, atque in lucem edidit *pag.* 252. *& ſeqq.* — *quo vetuſtiorem Latinorum quidem* (ſunt verba ejuſdem Bucherii *pag.* 264.) *nondum videre contigit* —; & in quo notata ſunt non ſine multis mendis, quorum aliqua ſolum corrigit idem Bucherius, notata, inquam, ſunt Paſchata ab Anno Æræ vulgaris Chriſti 312. uſque ad Annum 419. Utinam ſine mendis hic laterculus Paſchalis fuiſſet! Nihilominus talia profert, quibus patet, Eccleſiam Romanam non cæpiſſe initium menſis Paſchalis die quinto & proxime ſequentibus diebus martii. Paſcha enim non menſe Martio, ſed menſe Aprili fuiſſe celebratum prædictus laterculus, uniformiter ad ea, quæ Sanctus Ambroſius; & Sanctus Leo Magnus referunt, profert hiſce Annis 341. 360. 379. 398. 417. quibus in uſu fuiſſet aureus eidem Eccleſiæ attributus numerus 16. atque Annis 330. 368. 387. & 406. quibus in orbem rediiſſet ſimilis aureus numerus 5.

162 *Undecimo*, quia ex Epitaphio, quod ex Muſæo Illuſtriſs. ac Rev. D. Raphaelis Fabretti refert Eminentiſs. Noris *in Diſſert. ad Faſtos Conſulares* §. *Et ſane &c.* conſtat Paſcha Anni 463. fuiſſe a Romana Eccleſia celebratum die 21. Aprilis, currente aureo eidem Eccleſiæ attributo numero 5. ac litera Dominicali F. Videas quęſo quantus, & quam gravis ſit error Pauli Middelburgenſis *lib.* 5. *ſuæ Paulinæ*, ac Stoeffleri Propoſit. 35. *litera F.* Hi namque inſignes Viri prędictę generali quidem, ſed falſę regulę inhęrentes affirmarunt, hoc Paſcha Anni 463. fuiſſe a Romana Eccleſia celebratum die 24. Martii.

Rebus ita diſcuſſis evidenter patet, merum eſſe commentum, quod Romana Eccleſia ante, & poſt Nicæni Ævum Paſchalem fecerit lunarem Cyclum ternario minorem aureis numeris Alexandrinorum, ſive Nicænis; & quod ipſa initium menſis Paſchalis cœperit die quinto, & proxime ſequentibus diebus Martii.

DE

DE RATIONE, QUA PRÆDICTI TRES CYCLI ENNEADECAETERICI, OLIM RESPECTIVE USURPATI, INTER SESE NON SOLUM CONVENIANT IN DESIGNANDIS IISDEM ANNIS VULGARIS ÆRÆ CHRISTI, VERUM ETIAM DISCREPENT IN DESIGNATIONE NEOMENIARUM CUJUSLIBET DATI ANNI; INDEQUE CONFIRMATUR RESPECTIVUS EORUMDEM CYCLORUM USUS.

163 Diximus, quod Enneadecaetericus Julii Cæsaris Cyclus lunaris, quia Calendario sejunctus ætatem Lunæ Kalendis Januariis, & consequenter aliis Solaris Anni Mensibus, prodebat, in usu fuit Romanæ Ecclesiæ usque ad Annum vulgaris Æræ Christi 260. ac etiam ab hoc Anno usque ad Nicæni Ævum, sed emendatus a Sancto Dionysio Alexandrino, qui aureos Cæsaris numeros ad præcedentem diem elevavit, excepto aureo numero tertio, quem eidem diei affixum retinuit. Insuper diximus, quod Nicæni Patres rupto filo aureorum numerorum Cæsaris, decennovennalem Cyclum, quem Romana Ecclesia pro indictione Paschæ a Nicæni Ævo usque ad Gregorium XIII. Pont. Max. perpetuo adhibuit, ediderunt, ut Paschalem quartam decimam quotannis indiceret; & quæ regula in Cyclo Cæsaris ætatem Lunæ prodebat Kalendis Januariis, inserviebat ad proclamandam quot Annis ætatem Lunæ die 23. Martii, quem Nicænus aureus numerus primus consociabat. At quoniam hic Nicænus Cyclus a Calendario sejunctus ætatem Lunæ Kalendis Januariis non prodebat usu etiam prędictę regulę; diximus insuper, quod veteres Computistę, rupto similiter filo aureorum numerorum Cęsaris, quibus homines pro civilibus usibus adsciscere consueverant ętatem Lunę Kalendis Januarii, ediderunt pro usibus tantum civilibus enneadecaetericum Cyclum, qui ad differentiam Cycli Nicęni speciali vocabulo appellatus fuit *Lunaris*, atque aureos numeros ternario minores aureis numeris Nicęnis retinebat, ętatemque Lunę Kalendis Januariis, uti contingebat in Cyclo Cęsaris, prodebat, sed uniformem Cyclo Nicæno.

164 Quamobrem operæ pretium esse putavi ob oculos ponere in sequenti Laterculo rationem, qua isti tres Cycli enneadecaeterici, quorum quisque suos Annos signatos habebat novemdecim numeris, quos posterior ætas aureos dixit, inter sese congruant ad designandum eumdem Annum vulgaris Æræ Christi.

Aurei

Aurei Numeri Cycli Cæſaris.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Aurei numeri Cycli Decennovennalis, ſive Nicæni.	14	15	16	17	18	19	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
Aurei numeri Cycli qui appellatus fuit Lunaris.	11	12	13	14	15	16	17	18	19	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

Uſus Laterculi hic eſt; quem annum vulgaris Æræ Chriſti ſignat aureus numerus Cycli Cæſaris, ſignant etiam aurei numeri aliorum Cyclorum, repoſiti in eadem linea a ſurſum uſque deorſum ducta; & ſic è contra. Hinc quæ de hiſce reſpective Cyclis dicta ſunt, faciliter comprobari poterunt, comperto enim, exempli gratia, quod Anno 222. juxta regulam traditam *num.* 65. currebat aureus Cæſaris numerus primus: & quod aureus numerus primus in Calendario Cæſaris, cujus typum exhibui *num.* 53. Neomeniam ſignabat die 31. Martii; Nicænus vero aureus numerus XIV. in veteri Calendario, cujus typum retuli *num.* 126. Neomeniam ſignabat die 30. Martii; illico innoteſcit, quod ſolus Cæſaris Cyclus Paſchalem quartam decimam Anni 222. proclamabat Idibus Aprilibus, quemadmodum iſtam ita contigiſſe affirmat Sanctus Hippolitus Martyr, & ſic de cæteris.

165 Dum præ oculis eſt ratio, qua iſti tres Cycli inter ſeſe conveniant in deſignatione Anni Æræ vulgaris Chriſti, ne quæſo inconſultam prætereamus quoque rationem, qua iidem Cycli in deſignatione Neomeniarum cujuslibet dati Anni inter ſeſe diſſideant, & quæ non leviter confirmat eorumdem Cyclorum uſum temporibus reſpective enunciatis. Non diſcrepaſſe inter ſeſe Cyclum Nicænum, atque Cyclum in laterculo nuper exhibito appellatum ***Lunarem***, conſtat ex dictis. Diſcrepantia igitur explicanda eſt inter Cyclum Cæſaris, & Nicænum. Hic Nicænus Cyclus, currente aureo Cæſaris numero primo, ſecundo, tertio, quarto, quinto, & ſexto, Neomenias ejuſdem Anni Æræ vulgaris Chriſti ſemper proclamabat uno die citius, quam indicat Cyclus Cęſaris, ut evidenter patet ex *num.* 53. *&* 126. idque & eo, quia ab Anno primo Julii Cæſaris ad Annum 260. Æræ vulgaris, revera elapſi jam erant Anni 304. quotos Aſtronomica Hipparchi, & Ptolemæi doctrina tunc uſitata exigebat, ut cæleſtia novilunia uno ſolido die verſus initium menſis præcurrerent. At quoniam ex ultimo Cycli Cæſaris Anno, quem deſignabat aureus numerus XIX. olim fieri conſueverat unius diei ſubtractio, quam poſterior ætas *ſaltum Lunæ* appellavit, & quæ in eodem Cæſaris Cyclo paria cum ſolis motu faciebat; ideo per Nicænos Patres ſapientiſſime factum eſt, ut Nicænus Cyclus, currentibus aliis Cæſaris numeris, qui in Laterculo nuper exhibito Nicænum aureum numerum XIX. ſubſequebantur, Neomenias ejuſdem Anni Æræ vulgaris Chriſti biduo citius, quam Cyclus Cæſaris indicaret, propter ſaltum Lunæ tunc in Cyclo Nicæno interpoſitum. Hinc vero ſcatebat, ut qui Anni Æræ vulgaris ſecundum enunciatam Sancti Dionyſii emendationem erant Emboliſmales, tales a Nicænis

cænis Patribus servati sint, licet diversis fuerint aureis numeris insigniti. Ogdoas enim Sancti Dionysii incipiebat currente aureo Cæsaris numero 7. desinebatque currente aureo Cæsaris numero 14. & sic de cæteris, ut ostendimus *num.* 76. Quis credidisset, hujusmodi consonantiam cum auctoritatibus superius relatis, nisi hanc evidenter exhibuissem? Ista namque consonantia, quem protulimus respectivum usum de prædictis Cyclis, mirifice confirmat.

CONFUTATUR EMINENTISS. NORIS, QUI STRENUE CONTENDIT, ROMANAM ECCLESIAM SUB INITIUM QUARTI SÆCULI CHRISTI USQUE AD SANCTUM LEONEM MAGNUM ADHIBUISSE CYCLUM ANONYMI CONSTANTEM ANNIS OCTOGINTA QUATUOR, ATQUE HUJUS CYCLI USU CONSUEVISSE INITIUM PRIMI MENSIS ACCIPERE A DIE QUINTA MARTII, ATQUE DIMISSA QUINTA DECIMA DIFFERRE PASCHA IN LUNAM VIGESIMAM SECUNDAM.

166 Subingreditur Eminentiss Noris, quem nonnulli recentiores sequuntur, ac duabus pereruditis Dissertationibus, nempe *ad Fastos Consulares, atque de Paschali Latinorum Cyclo*, strenue, lateque contendit, quod Romana Ecclesia, omissa [ut ipse profert *pag.* 35. *Editionis Lipsiæ*] Græcorum enneadecaeteride sub initium quarti sæculi Christi usque ad Sanctum Leonem Magnum adhibuerit Judaicum Cyclum Annorum octoginta quatuor ab Anonymo scriptum cum Fastis Consularibus ab Anno Urbis 246. usque in Annum 1107. sive clarius usque in Annum vulgaris Æræ Christi 354. servatum in Viennensi Cæsarea Bibliotheca numero inter Historicos *Codices* 36. & 648. nec non a Norisio cum prædictis Fastis relatum ante Dissertationem *ad Fastos Consulares*, & expositam sub initium hujus Dissertationis, ac deinde ab eodem Norisio copiose extensum in Diagrammate ante Dissertationem *de Paschali Latinorum Cyclo*; & quod eadem Ecclesia hujus Cycli usu consueverit non solum primi mensis initium accipere a die quinto Martii, diemque Paschæ Dominicum extendere usque ad diem 21. Aprilis, & non ultra; verum etiam dimissa quinta decima differre Pascha in lunam vigesimam secundam. De hoc postremo Articulo sermonem habuimus initio præsentis Dissertationis, iterum suo loco recursurum; ac propterea de isto ne verbum quidem nunc proferam; quoniam tum ex dictis, tum fortius ex dicendis evidenter patet, id injuria Romanæ Ecclesiæ fuisse imputatum.

167 An vero ipsamet Ecclesia initium primi mensis accipere consueverit die quinto Martii, diemque Paschæ Dominicum extendere usque in diem 21. Aprilis, & non ultra, demonstravimus *num.* 147. *usque ad numerum* 162. id similiter injuria Romanæ Ecclesiæ fuisse impositum. Etsi enim Paschata, quæ *a num.* 149. & sequentibus probantur fuisse

fuisse vere, & realiter celebrata mense Aprili, Cyclus a Norisio in allegato Diagrammate relatus interdum non indicat eodem Martii die ibidem notato; nihilominus ea semper proclamat contra rei veritatem mense Martio; & quod præcipuum est, interdum die 21. ejusdem mensis Martii, nimirum Anno 303. 314. 387. & 398. quo die 21. Martii celebrationem Paschæ adnotari potuisse Norisium ipsum confutavimus *num.* 154. ac revera isto die Pascha nunquam fuisse in Romana Ecclesia celebratum patet, ultra Concilium Romanum de Anno 198. circiter, patet, inquam, ex Sancto Augustino, Socrate, & Sozomeno relatis *num.* 147. *& seq.* De facto constat in vetustissimo Paschali Laterculo allegato *num.* 161. quod Pascha Anni 314. non fuit celebratum die 21. Martii, sed -- ibi -- XIV. *Kal. Maji* prout illud hac die proclamavit Cyclus Sancti Dionysii Alexandrini exhibitus *num.* 74. tunc enim in usu fuit aureus Cæsaris numerus 17. ac litera Dominicalis C. Pascha vero Anni 398. celebratum fuit -- ibi -- XI. *Kal. Maji* -- legendum tamen est XIV. Kalendas Maji, quia tunc in orbem rediit litera Dominicalis C. currebatque aureus Nicænus numerus 19, Pascha denique Anni 387. constat ex Epistola 83. Sancti Ambrosii ad Episcopos per Æmiliam constitutos, fuisse celebratum non die 21. Martii, sed die 25. Aprilis, currente aureo Nicæno numero 8.; atque litera Domiuicali C. Insuper idem Cyclus a Norisio relatus, ultra memoratam de mense dissonantiam, ideo Pascha Anni 360. & 444. quibus Annis celebratum fuit die 23. Aprilis, ut ex Sancto Leone Magno probatum est *num.* 119. & quoad Pascha Anni 360. constat etiam ex Sancto Ambrosio sub *num.* 152. & quoad illud Anni 444. patet etiam ex Paschasino in allegata Epistola ad Sanctum Leonem, nec non ex Prospero Aquitano in Chronico *apud Labbeum tom.* 1. *Bibl. M.* 55. *pag.* 53. ac etiam ex Epistola Sancti Proterii ad Sanctum Leonem *apud Petavium de Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* ideo, inquam, Pascha Anni 369. & 444. non indicit die 19. Martii, quia illud hisce Annis extendit in diem Dominicum tunc sequentem, quem ipse Cyclus signabat cum luna vigesima secunda. At dato, quod Romana Ecclesia extendere Pascha non consueverit, prout revera nunquam extendit, in Cyclarem lunam vigesimam secundam, Cyclus ipse Pascha tunc proclamasset die 19. Martii, quod fuisset etiam contra ea, quæ exhibui *num.* 152. Merum ergo Norisii commentum est, quod Romana Ecclesia initium primi mensis acceperit die quinta Martii, diemque Paschæ non extenderit ultra diem 21. Aprilis; & consequenter, quod Cyclum Anonymi a Norisio relatum usurpaverit. Romana enim Ecclesia adhibere non potuit Cyclum, quo Pascha mense Martio indicitur illis annis, quibus peractum fuisse constat mense Aprili. Quod ipsum ultra Paschata a *num.* 149. usque ad numerum 162. memorata, confirmatur ex Pascha Anni 333. atque 428. quod ex Sancto Leone patet *num.* 119. celebratum fuisse die 22. Aprilis; Cyclus enim Anonymi Pascha Anni 333. die 25. Martii; Pascha vero Anni 428. proclamat die 15. Aprilis, luna decima sexta.

168 Notetur quæso istud Pascha Anni 428. In orbem tunc rediit Nicænus aureus numerus XI. qui neomeniam Paschalem signabat die secundo Aprilis, quartam decimam autem die 15. ejusdem mensis. Cum ergo Anonymi Cyclus hoc die 15. Aprilis signaret lunam decimam sextam,

sextam, patet, quod non Romana Ecclesia, sed Novatiani hunc Cyclum adhibuerint. Dices cur ista illatio? Respondeo, quod Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in Prologo apud Petavium *de Doct. Temp. tom. 2. in Append.* Novatianos, qui Cyclum Annorum 84. a Norisio vulgatum adhibebant, reprehendit, dicens, *lunam, quam illi tertiam, vel decimam sextam, vel vigesimam tertiam improprie nuncupant, hanc Sanctus Theophilus primam, vel decimam quartam, vel vigesimam primam, Cœlo demonstrante confirmat*, quemadmodum est præcisus casus prædicti Anni 428. quo florebat Sanctus Cyrillus. Quem enim diem Novatiani improprie nuncupabant lunam decimam sextam, Cyclus Nicænus, quippe qui tunc prodebat aureum numerum XI., signabat lunam quartam decimam, hancque lunam Sanctus Theophilus Patriarcha Alexandrinus, cœlo demonstrante, confirmat; quoniam medium Plenilunium Paschale Anni 428. ad Meridianum Romanum contigit Aprilis die 15. hor. 4. min. 29. & sec. 22. post meridiem. Novatianos autem fuisse illos, quos Sanctus Cyrillus, uti supra, reprehendit, ex Prologo etiam ejusdem Sancti Cyrilli ostendam *num.* 281. *& seqq.*

169 At non ista solum patefaciunt, hunc Cyclum usui Romanæ Ecclesiæ non fuisse, plura enim ad alium finem superius exhibui, quæ id ipsum manifestant; ac ne nimis abutar humanissimi Lectoris patientia, ea summarie solum memorabo.

170 *Primum* est; Nicæna Synodus, quæ uti patet *num.* 19. decrevit — *eam festivitatem uno, eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere* — exemplum Romanorum æque, ac Alexandrinorum sequendum tradidit, uti constat ex Synodali Epistola ejusdem Synodi sub *num.* 15. Inter Alexandrinos igitur, atque Romanos nulla erat differentia; id, quod colligitur etiam ex Sozomeno, qui *cum lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 18. referat, quosdam hunc diem Festum agere — ibi — *eodem modo, quo Romani, & Ægyptii* — utique manifestat, nullum fuisse dissidium inter Romanos, & Ægyptios; eoque fortius, quia omnes cum Norisio fatentur, Alexandrinos nunquam adhibuisse hunc Cyclum; ergo neque Romana Ecclesia.

171 *Secundum* est; Constantinus Magnus in Epistola de Synodo Nicena sub *num.* 19. *& seqq.* hortabatur ad sequendum Romanorum, atque Alexandrinorum exemplum, hortabatur inquam nonnullos Orientales, qui Cyclum Judaicum Annis 84. constantem, usurpabant. Quomodo ergo Romanæ Ecclesiæ imputari potest usus hujus Cycli?

172 *Tertium* est; ipsa Constantini Magni Epistola clare cum S. Epiphanio ostendit, ut probatum est *num.* 63. *& seq.* Cyclum decennovennalem in usu fuisse Romanæ Ecclesiæ, quemadmodum hunc Cyclum in Ecclesia Romana tunc usurpatum fuisse tradit etiam Clavius, Paulus Middelburgensis, Stoefflerus citati sub *num.* 68. & venerabilis Beda *lib.* 5. *Hist. Gentis Angl. cap.* 22. *ex Epistola Ceolfridi Abbatis ad Regem Naitanum*, ac denique vetustissimis notis chronologicis confirmavimus *num.* 67. *&* 69. *& seqq.* An non ergo injuriosum non est, eidem Romanæ Ecclesiæ imputare usum Cycli Annorum 84.?

173 *Quartum* est; Nicæna Synodus -- *ob Arrianam Hæresim, & ob Paschatis solemnitatem* (sunt verba Sancti Athanasii) *convocata fuit; quia Syri, Cilices, & qui in Mesopotamia degunt, a nobis dissidebant, & tem-*

& tempore, [scilicet altero ex septem diebus, sive clarius die Dominico incidente in alterum ex septem diebus, in quibus Judæi Azyma comedentes Pascha celebrabant, ut ex Græco Sancti Athanasii textu exposui *num.* 23. *&* 39. *& seqq.*] *quo Judæi celebrant, ipsi quoque celebrabant*. Si Romana Ecclesia ab Alexandrina dissidisset, eumdemque Cyclum adhibuisset, quo utebantur Syri, Cilices, & Mesopotamiam incolentes, id ne tacuisset Sanctus Athanasius.

174 *Quintum* est; ex Eusebio Pamphili, ex Sancto Epiphanio, ex Socrate, & Sozomeno allegatis *num.* 24. *& pluribus seqq.* aperte cognoscitur, hæc Nicæni Ævo fuisse in celebratione Paschæ dissidia; nimirum, propter quosdam paucos Quartadecimanos, qui Pascha peragebant quartodecimo Lunæ die, & propter quosdam Orientales, qui, licet Pascha celebraverint die Dominico, atque post Æquinoctium, & sic a Quartadecimanis discrepaverint, tamen cum Quartadecimanis ex eo conveniebant, quia utrique nomenclaturam dierum lunarium accipiebant ex Cyclo Judaico, qui Annis 84. constabat. Imo Socrates *num.* 29. refert quod Occidentales nunquam inter sese dissenserunt. Non ergo Romana Ecclesia Cyclum illum adhibebat.

175 *Sextum* est; Patres Arelatensis Concilii Anno 314. celebrati, decreverunt, *ut uno die, & uno tempore per omnem Orbem* Pascha observetur, idque decreverunt, non quia inter eos fuerint dissidia, sed — *ne divisiones, & dissensiones in tanto obsequio devotionis possint exurgere* — propter quosdam Orientales, qui Cyclo Judaico Annorum 84. utebantur, ac propter Hebræos ubique diffusos, qui se jactitabant, diem Paschæ legitimum sine eorum magisterio haberi non posse, quemadmodum manifestum feci *num.* 31. Eidem autem Concilio ultra Constantinum Magnum, & quatuor ex Urbe Roma Legatos Sancti Sylvestri, interfuit, inter cæteros Patres, Episcopus Mediolanensis, ergo Romanam inter, atque Mediolanensem Ecclesiam nullum erat dissidium, ut ostendimus etiam *num.* 156. *&* 157. & fortius *num.* 197. *& seqq.* Sed Mediolanensis Ecclesia etiam antequam creatus fuerit ejusdem Episcopus Sanctus Ambrosius, Pascha celebrabat secundum designationem decennovennalis Cycli Alexandrinorum, ut ipse Sanctus Ambrosius indubiam fidem facit in citata Epistola 83. ergo Romana Ecclesia non adhibebat Cyclum Annorum 84. sed Cyclum decennovennalem Nicænum, sive Alexandrinorum. Quod ipsum ex eo confirmatur, quia præmemoratum Arelatense Concilium decreverat, ut summus Romanus Pontifex literas ad omnes Episcopos — *juxta consuetudinem* — dirigeret, diem celebrandi Pascha annuncians; ac propterea Mediolanensis Ecclesia, quo die summus Romanus Pontifex indicebat, Pascha celebrabat. Nec dubium est, quod Mediolanensis Ecclesia Pascha celebraverit secundum designationem decennovennalis Cycli Alexandrinorum. Hæc enim sunt Paschata a Sancto Ambrosio ibidem relata, nimirum Anni 360. die 23. Aprilis, Anni 379. die 21. Aprilis, & Anno 387. die 25. Aprilis. Cyclus vero Annorum 84. a Norisio relatus hisce Annis Festum Paschæ indicebat, mense Martio, ac propterea Romana Ecclesia hunc Cyclum non adhibebat; eoque fortius, quia idem Sanctus Ambrosius loquens de Pascha Anni 387. dixit, non Romanam Ecclesiam, sed Judæos ipso Anno 387. celebrasse Pascha mense Martio, atque ultimo mense Anni Lunaris superioris.

Rursus

Rursus idem Sanctus Ambrosius alia duo Paschata ibidem refert, notans etiam præcise diem quartæ decimæ Paschalis, ex qua certo constat, quę luna fuerit die Paschæ; & sunt Pascha Anni 373. die Dominico 31. Martii, ac luna vigesima prima, & Pascha Anni 377. die 16. Aprilis luna similiter vigesima prima, quemadmodum hisce diebus, ac luna Cyclus Alexandrinus Festum Paschæ indicit. Cyclus vero Annorum 84. a Norisio exhibitus *loc. cit.* hisce duobus Annis annunciat quidem Pascha eodem die Dominico, sed [notetur] Lunæ dies discrepat. Utroque enim Anno ipse Cyclus tunc proclamat Lunam vigesimam secundam. Non ergo hunc Cyclum adhibuit Romana Ecclesia.

Revera, si Romana Ecclesia hunc Cyclum adhibuisset, ac propterea a Mediolanensi diffidisset; argumentum Sancti Doctoris ab allegatis Paschæ exemplis deductum, nihili valuisset apud plerosque Episcopos, qui pertinebant ad Diœcesim Metropoliticam Romani Pontificis, & post Alexandrinam definitionem expectabant ejus sententiam; nihili, inquam, valuisset hujusmodi argumentum apud ipsos Episcopos, qui in citata Sancti Ambrosii Epistola legebant hæc verba -- *cum ratio sit, & exemplum nihil super hoc movere nos debet* -- & in fine ejusdem Epistolæ legebant -- *Ergo cum tot veritatis indicia CONCURRANT, JUXTA Majorum exempla Festum publicæ salutis læti, exultantesque celebremus* --.

176 *Septimum* est; ex Sancto Cyrillo *sub num.* 281. *& seqq.* evidentius autem ex Victorio Aquitano *sub num.* 287. *& seqq.* constat, non Romanam Ecclesiam usam fuisse hoc Cyclo Annorum 84. sed Novatianos, qui circa tempora Valentis Imperatoris, ac deinceps in Pazensi Conciliabulo errorem Quartadecimanorum amplexi sunt, ac postea in Sangariensi Conciliabulo suis licitum fecerunt -- *eam consuetudinem in hoc Festo celebrando pro arbitratu sequi, quam sequi animo instituissent* -- ut ex Socrate, & Sozomeno ostendam *num.* 282.

At dices; quomodo Novatiani eum Cyclum adhibere potuerunt, cum iste ab Anonymo scriptus appareat non paucis Annis, antequam Novatiani prædicta Conciliabula celebraverint? Censendum enim est, ut inquit Noris initio prædictæ Dissertationis *pag.* 29. fuisse scriptum, quo Anno 354. Fasti Consulares, cum prædicto Cyclo adnotati, clauduntur.

Respondeo, quod vetustissimus Codex, in Viennensi Cæsarea Bibliotheca servatus, in qua tam longa Consulum series una simul cum prædicto Cyclo descripta est, insertum etiam habet, ut refert Norisius *loc. cit.* quemdam sine Auctoris nomine Laterculum Paschalem, interposita unica pagina vacua inter prædictum Cyclum cum Fastis Consularibus scriptum, & hunc Laterculum Paschalem, qui incipit a Constantino, ac Licinio iterum Consulibus, nempe ab Anno vulgaris Æræ Christi, 312. usque ad Theodosium II. & Honorium VII. Coss. post cujus Consulatus Annum sine Consulum adnotatione indicantur characteres Paschales aliorum Annorum viginti. Hunc igitur Laterculum Paschalem scriptum fuisse Annis non paucis post prædicta Novatianorum Conciliabula, certum est. Quamobrem dico, quod prædictus Codex aut primum Exemplar est, aut Exscriptio.

Si primum Exemplar est; ergo prædictus Cyclus una cum Fastis Consularibus scriptus est, quo tempore post memorata Novatianorum

Conciliabula scriptus fuit Laterculus Paschalis; & consequenter vacua relicta fuit prædicta pagina animo prosequendi Fastos Consulares, tunc ideo intermissos, ut fieri solet, propter aliquam forsan obortam dubietatem circa rectam Consulum seriem, aut alia ex causa; perinverisimile enim, atque prorsus incredibile est, ut in quo primo exemplari Codice scripti erant Fasti Consulares cum Cyclo, deinde post Annos quinquaginta scriptus quoque fuerit prædictus Laterculus Paschalis nullis præsertim extantibus in contrarium urgentibus conjecturis. Revera, vir eruditissimus Cuspinianus, qui illius Codicis dominus olim fuerat, atque a Norisio allegatus, censuit, unum, eumdemque fuisse utriusque Opusculi auctorem. At contra Cuspinianum Norisius affirmat, diversos fuisse auctores; idque deducit, ex dissonantia Cycli cum Paschali Laterculo. Si tamen rei veritas optatur, cum consilium, finisve scriptoris prorsus ignoretur, discerni nequit, an unus, vel plures fuerint illorum Opusculorum scriptores ex consonantia, aut dissonantia Cycli cum Laterculo Paschali. Quis namque dixerit, unum, eumdemque Scriptorem non potuisse duo inserere opuscula in eodem Codice, inter sese diversa, aut inter sese non correspectiva?

Si vero prælaudatus Codex est Exscriptio, quemadmodum exscriptionem esse colligitur ex Norisio, qui *loc. cit. pag.* 31. nonnulla errata ejusdem Codicis *librariorum negligentiæ* attribuit; ergo primum utriusque opusculi Exemplar scriptum fuit post memorata Novatianorum Conciliabula. Ista enim Exscriptio aut facta fuit, prout constabat ex unico tantum Exemplari primo, illa duo opuscula includente; quo casu ea ipsa recurrerunt, quæ nuper dicta sunt; aut facta fuit, prout constabat ex duobus exemplaribus primis, trascriptionis occasione in unum congestis; & tunc animadverti debet, cur vacua relicta fuit memorata pagina? An non mutilum tunc esse non potuit Exemplar illud Fastorum Consularium cum Cyclo? & ad hoc designandum, illa pagina, uti fieri solet, relinqui non potuit vacua?

Hæc eruendæ veritatis studio dicta sint, non quia necesse sit, ut ille Codex Scriptus fuerit post memorata Novatianorum Conciliabula, ad excludendam Romanam Ecclesiam ab usu ejusdem Cycli. Dato namque per modum hypothesis, quod idem Codex scriptus fuerit Anno 354. non inde sequeretur, quod iste Cyclus in usu fuisset Romanæ Ecclesiæ; sed solum, cum evidenter pateat ex dictis *num.* 20. *&* 23. *& seqq.* nonnullos fuisse Orientales, qui tempore Nicæni Concilii Judaicum Cyclum adhibebant, inde inferri posset, quod Cyclus, uti jacet extensus in memorato Codice illuc usque aut retentus a quibusdam fuerit; quod tamen uniforme non esset iis, quæ narrat Rufinus jam allegatus *num.* 9. & alii, aut potius protractus a quopiam fuerit eruditionis, sive consuetæ adnotationis Consulum causa, & post præmemorata Conciliabula fuerit a Novatianis in usum revocatus.

177 *Octavum* est; ex Sancto Leone Magno patet *num.* 119. Pascha — *nonnunquam* — fuisse celebratum die 22. ac die 23. Aprilis; ex Victorio autem Aquitano constat *num.* 119. fuisse — *aliquoties* — celebratum die 24. ejusdem mensis: At licet *num.* 119. *& seqq.* atque *num.* 159. ostenderim præcise Annos, de quibus Sanctus Leo Magnus, ac Victorius Aquitanus mentionem faciunt, nihilominus, qui Norisium sequuntur, eligant, quos maluerint Annos, ad plene evacuanda Sancti

Leonis

Leonis, ac Victorii Aquitani testimonia; semper enim evidenter resultabit, quod Romanæ Ecclesiæ in usu esse non potuit Cyclus a Norisio in allegato Diagrammate extensus, qui Paschæ diem non extendit ultra diem 21. Aprilis.

178 *Nonum* est. Ex Epistola Sancti Innocentii primi Papæ ad Aurelium Africæ Primatem, jam exposita *Quæst. tertia num.*17. *& seqq.* patet, Pascha Anni 414. fuisse celebratum die 22. Martii, luna decima quinta. Concordat quidem prædictus Cyclus, quoad diem mensis Martii, non autem quoad diem Lunæ. Hic enim Cyclus in allegato Norisii Diagrammate tunc proclamat lunam decimam sextam; non ergo fuit in usu Romanæ Ecclesiæ.

179 *Decimum* est; Sanctus Leo Magnus in Epistola 64. ad Martianum Imperatorem, quam ipse scripsit Opilione Consule, nempe Anno 453. die sexta Junii, sic ait — *Sanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus cum hujus observationis Annos centum numero collegisset* . . . . . *cujus complexionis septuagesimus, & quartus est Annus*, (nempe Annus 453.) *in quo pridie Idus Aprilis Sanctum Pascha celebravimus, sequenti Anno* (nempe 454.) *pridie nonas Aprilis eadem, propitio Deo, erit habenda Festivitas, sicut regulariter centenariæ Annorum rationis ordo declarat* —. Cum ergo Sanctus Leo apertis verbis ostendat, Cyclum Alexandrinum, sive Nicænum pro celebratione Paschæ in usu fuisse Romanæ Ecclesiæ, quomodo dici potest, quod eidem Romanæ Ecclesiæ in usu fuerit Cyclus ab Eminentiss. Noris vulgatus? qui insuper Anno 453. die Paschæ pronunciat lunam decimam nonam; Cyclus vero Alexandrinus lunam decimam septimam cœlestibus motibus conformem: Anno autem 454. Cyclus a Norisio vulgatus Pascha indicit die 28. Martii luna decimæ sexta, & consequenter biduo ante Plenilunium, quod ad Meridianum Romanum tunc contigit Martii die 29. hor. 12. min. 10. & sec. 22. post meridiem; atque octiduo antequam fuit realiter celebratum juxta Cyclum Alexandrinum a Sancto Leone, uti supra memoratum, qui pridie nonas Aprilis lunam vigesimam prodebat cœlestibus motibus conformem. Insuper ipse S. Leo ut vidimus *num.* 70. §. *Quod plura*, ideo dubitabat circa Pascha Anni 455. a Theophilo Alexandrino adscriptum diei 24. Aprilis, quia dies 17. Aprilis *a Patribus nostris constitutus fuerat, & celebratus* quintus decimus lunæ. Usus ergo Romanæ Ecclesiæ esse non potuit prædictus Cyclus Annorum 84. qui Anno 455. diem lunæ non decimum quintum, sed decimum septimum proclamabat die 17. Aprilis, quemadmodum manifestat Diagramma a Norisio exhibitum ante Dissertationem de Paschali Latinorum Cyclo.

180 *Undecimum* est; ex Epitaphio, quod Eminentiss. Noris versus finem Dissertationis *ad Fastos Consulares* refert, ab Illustriss. Raphaele Fabretto Urbinate eidem transmissum constat, Pascha Anno 457. fuisse celebratum die 31. Martii; Anno autem 463. peractum fuisse die 21. Aprilis. At Cyclus a Norisio vulgatus Anno 457. Pascha indicit eodem quidem die 31. Martii, sed luna vigesima secunda, in qua non Romana Ecclesia, ut dictum est, sed Novatiani prædictum Festum agebant; Anno demum 463. ipse Cyclus Pascha indicit die 24. Martii; nimirum uno mense citius, quam revera celebratum fuit; non ergo erat in usu Romanæ Ecclesiæ.

Duode-

181 *Duodecimum* est; cum Norisius usum ejusdem Cycli imputare videatur Romanæ Ecclesiæ etiam ante quartum Christi sæculum, ideo prædictis hanc adhibere placuit animadversionem, qua evidenter ostenditur Norisii commentum. Annus 222. Æræ vulgaris Christi concurrit cum Anno prædicti Cycli Nono, qui in allegato Norisii Diagrammate Neomeniam Paschalem exhibet die 2. Aprilis, & consequenter Paschalem quartam decimam die 15. ejusdem mensis, feria secunda, currebat enim litera Dominicalis F. At Sanctus Martyr Hippolitus refert, ut probavi *num.* 111. quartam decimam Paschalem illo Anno factam fuisse die 13. Aprilis, Sabbato; ergo ipse Cyclus discordat in die mensis, atque in die hebdomadæ, ergo non fuit in usu Romanæ Ecclesiæ. Insuper ex Epitaphio Sanctæ Severæ Martyris, quod Romæ effossum est Anno 1730. & de quo erit Sermo *num.* 202. *& pluribus seqq.* constat, quod Anno ejusdem Æræ Christi 269. dies quintus Novembris erat dies Veneris, ac luna vigesima quarta. Prædictus vero Cyclus isto die quinto Novembris proclamat lunam vigesimam tertiam, ut ostensum est *num.* 246. non ergo fuit in usu Romanæ Ecclesiæ.

182 Id porrò animadverti debet quod uterque Annus, nempe 222. & 269. ad eamdem Periodum Annorum 84. spectant. Quare impossibile est, ut ipse Cyclus a Norisio vulgatus, etiamsi æquari vellet, utramque notam Chronologicam possit designare. Epactæ enim illius Cycli augendæ forent unitate, ut juxta Epitaphium Sanctæ Severæ Martyris Anno 269. prodant lunam vigesimam quartam die quinto Novembris, ac die Veneris; duabus vero unitatibus similiter augendæ forent, ut secundum notam Chronologicam Sancti Hippoliti Martyris Paschalem quartam decimam Anni 222. designent Idibus Aprilibus, Sabbato. Usque adeo verum est, Romanam Ecclesiam hoc Cyclo usam non fuisse, ut ipse Cyclus ne accomodari quidem possit, ut cum utraque nota Chronologica concordet.

183 Singula, quæ exhibui, aperte ostendunt, merum esse commentum, quod Romana Ecclesia adhibuerit Cyclum Annorum 84. quid ergo dicemus, tot vetustissimis, irrefragabilibusque monumentis veritatem ipsam confirmantibus? Hanc igitur veritatem fateamur, quam superius evidenter patefeci *num.* 61. *usque ad num.* 78. ac deinde a controversiis illam perturbantibus vindicavi, edoctam a Ceolfrido Abbate apud Bedam *lib.* 5. *Hist. Eccles.* Gentis Anglorum *cap.* 22. — ibi — *Computus Paschæ decennovennali circulo continetur, quia dudum quidem, hoc est, ipsis Apostolorum temporibus jam servari in Ecclesia cœpit, maxime Romæ & Ægypti ut supra diximus, sed per industriam Eusebii, qui a B. Martyre Pamphilo cognomen habet, distinctius in ordinem compositus est.* Eusebium enim Nicæno Concilio interfuisse, dubium non est, atque inter eos recensendum esse qui, uti narrat Sanctus Ambrosius *Epistola* 83. a Nicæna Synodo ad hunc finem congregati fuerunt, satis manifestat ejusdem doctissimi Viri nomen.

184 Norisius tamen *in Dissertatione de Paschali Latinorum Cyclo* §. *Cum Paschasini &c.* credidit, se in Romana Ecclesia usum prædicti Cycli Judaici comprobasse testimoniis Paschasini, & Prosperi Aquitani ab ipso allegatis.

Ego tamen non dubito, quin ipse Prosper alter ex illis fuerit, qui apud Sanctum Leonem Magnum instabant, ut Pascha Anni 455. celebraretur

hebaretur die 17. Aprilis. In Epistolis enim Sancti Leonis, etsi nihil legatur, ex quo deduci possit usus prædicti Cycli, nihilominus legitur, quod -- ibi -- *alii decreverant* -- *alii putaverant* -- *alii constituere* -- illud Pascha die 17. Aprilis. Cur ergo inter istos censeri non debet Prosper Aquitanus? qui propter insignem suam Doctrinam ad aures merito erat Sancti Leonis, qui ejusdem Prosperi opera etiam usus est, ut colligitur ex Philippo Labbe *de Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo Prosper*, atque ex Oudino *tom.* 1. *pag.* 1182. *&* 1199. Unde cum summus Pontifex Sanctus Leo Magnus sententiam Prosperi secutus non sit, ut manifestat ejusdem Sancti Leonis Epistola 95. mirum non est, quod ipse Prosper ægre ferens exitialem propriæ sententiæ offensionem, dixerit in Chronico *apud citatum Labbe tom.* 1. *pag.* 55. *Bibliot. M. SS.* -- ibi -- *eodem Anno* (scilicet 455.) *Pascha Dominicum octavo Kalendas Majas celebratum est, pertinaci intentione Alexandrini Episcopi* -- qui fuit Sanctus Proterius Martyr. Hic enim interpellatus, Epistolam ad Sanctum Leonem Magnum direxit relatam a Petavio *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* atque a Bucherio *loc. cit.* in qua non dixit, Romanam Ecclesiam alio Cyclo usam fuisse, sed solum -- ibi -- *æstimare quosdam non diligenter adscriptum diem Festi Paschalis* -- & prope finem ejusdem Epistolæ sic ait -- *Cognoscant igitur per tuam sanctitatem, qui in illis Partibus ambigunt, quod legitime Pascha peragimus* -- Ex quo tamen alii alia putant, inferri potest in usu esse, quod putatur?

185 Cæterum Prosper nihil profert, quo legitime in Ecclesia Romana inferri possit usus prædicti Cycli, sed solum narrat Annos, in quibus revolutiones ejusdem Cycli contigerunt; dicens in Chronico -- *Vetere, & Nerviliano. Paschalis Cycli ratio ab his Consulibus incipit per Annos* 84. *& ad eandem legem revertens* --. Hi Consules spectant ad Annum Urbis 803. Æræ autem vulgaris Christi 50. ac propterea error irrepsit ob luxata Consulum Collegia, ut adnotat etiam Noris. Sed recitata Prosperi verba, propter illud adjunctum -- *Paschalis* -- tanti ne facienda sunt, ut hic Cyclus censeri debeat in usu Romanæ Ecclesiæ? An non hic Cyclus fuit Paschalis Judæis? Quartadecimanis? Quibusdam, ut dictum est, Orientalibus? Novatianisque post Pazense, & Sangariense Conciliabula? Illud ergo adjunctum -- *Paschalis* -- nihil facit ad Norisii intentum. Ipse enim Cyclus non cessat fuisse Paschalis, quamvis Romana Ecclesia usum ejus nunquam agnoverit.

186 Paschasinus vero, quem Eminentiss. Noris refert, uti legitur *pag.* 48. *& pag.* 112. tanquam -- *aliud præclarissimum usurpati a Romana Ecclesia Cycli Annorum* 84. *testimonium* -- in Epistola ad Sanctum Leonem Magnum, quam lego post Epistolam 63. ejusdem Sancti Leonis, sic ait -- *Diutino itaque tractatu, vel ratiocinatione, id verum invenimus, quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ Antistite rescriptum est. Nam cum Romana supputatio, quæ Cyclo concluditur, cujus ipse, de quo agitur* (videlicet Annus Christi 444.) *erit sexagesimus quartus Annus, qui Cyclus cæpit a Consulatu Antonii, & Syagrii, vobis dubitatem afferret, & quod septimo Calendarum Apriliium die dies Dominica, & luna vigesima prima incurreret, & iterum nono Calendarum Majarum die* [*ut rei veritas habet*] *Dominica dies, & luna decima nona obveniret: in hoc ambiguo fluctuantes ad Hebræorum, hoc est legalem supputationem nos convertimus, quæ cum a Romanis ignoretur, facile errorem incurrunt. Cæpit ergo*

ogdoas

Ogdoas a Consulatu Virorum clarissimorum, Etii iterum, & Sigismildi; quæ clauditur Anno, de quo quæstio videtur exorta —. Paschasini contextum, quem Norisius mutilum allegat, ideo integrum retuli, ne quæ dicturus sum, in alienum sensum extorta videantur, si computus instituatur a Consulatu Antonii, & Syagrii, pro — *Sexagesimus quartus Annus* — Norisius censet, quod legi debeat — *Sexagesimus tertius* —; isti enim fuerunt Consules Anno 382. a quo usque ad Annum 444. numerantur solum Anni 63. An Norisius sese in hoc fefellerit, videbimus *num.* 188. *in fine*. Insuper Norisius non legit — *vobis dubietatem afferret* — sed inquit — *nobis dubietatem afferret* — mutato pronomine — *vobis* — in pronomen — *nobis*. In editione Romana, atque Luteriæ de Anno 1623. lego — *vobis* —; atque ita legendum existimo, quoniam Paschasinus causam dubii apud Sanctum Leonem ibidem narrat.

187 Præcipua Norisii ratio, ex testu Paschasini desumpta, in eo consistit, quod a Paschasino nominatur *Romana supputatio*, & ista concluditur in Cyclo, qui cæpit Anno 382. quare ipsemet Norisius cum Bucherio affirmat, quod nomine — *Romanæ supputationis* — intelligi debeat Cyclus Annorum 84. cujus primus Annus concurrebat cum Anno 382. sexagesimus vero *tertius* Annus coincidebat cum Anno 444. Hinc facta ex Norisii placito correctione de Anno sexagesimo quarto in sexagesimum tertium, infert istum Cyclum in usu fuisse Romanæ Ecclesiæ.

188 Petavius *de Doct. Temp. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 20. eumdem Paschasini textum expendens scribit, Paschasinum nomine *Romanæ supputationis* designare lunarem Cyclum, ternario minorem aureis numeris Nicænis. Petavii rationes in examen deductæ rem propositam mihi non suadent. Etsi enim Lunæ dies a Paschasino notati, consentiant cum prædicto lunari Cyclo; hic tamen non incipiebat ab Anno ejusdem Cycli decimo nono, quotus concurrebat cum Anno 382. sed incipiebat ab Anno Cycli primo; ut probatum est *num.* 136. & 140. ac falsum est, quod decennovennalis Cyclus Nicænus incæperit ab aureo numero tertio, ut ibidem probatum est etiam ex ipsomet Paschasino, cujus verba expenduntur. Paschasinus enim initium Ogdoadis reponit in Annum 437. quo fuerunt Consules Etius iterum, & Sigismildus, & in orbem redit Nicænus aureus numerus primus. Insuper ipse lunaris Cyclus constabat Annis tantum undeviginti, ac propterea huic Cyclo congruere nequit sexagesimus tertius neque sexagesimus quartus Annus, quem Paschasinus tribuit Cyclo, de quo ipse loquitur.

Sententia vero mea hæc est; Paschasinum nomine *Romanæ supputationis* designare supputationem illegitime (nempe sine Embolismo) factam ex Cyclo Nicæno. Et sic præcise respondent, quæ Paschasinus profert de Romanorum ignorantia. Posita nanque ignorantia sedis Annorum Embolismalium, quæ tantummodo habebatur per legalem supputationem faciliter error incurritur, habito nimirum communi Anno, qui secundum legalem supputationem fieri debebat Embolismalis. De facto Nicænus Cyclus Romano Anno 444. Æræ vulgaris præseferebat die Dominico 26. Martii lunam a Paschasino enunciatam vigesimam primam; die autem Dominico 23. Aprilis lunam decimam nonam; quæ dierum lunarium consonantia plurimi facienda est; idque fortius, quia Cyclus Anonymi a Norisio Romanæ Ecclesiæ imputatus, utroque die Dominico, ut videbimus, discordat. Superest enodandum, quomodo a Pascha-

a Paſchaſino ipſe Annus 444. dictus fuerit Cycli Annus 64. Dico itaque, quod licet Cyclus Nicænus fuerit mere decennovennalis; tamen acceptus pluries revolutus, prout accipitur Cyclus Calippi, Sancti Cyrilli, Dionyſii Exigui, & aliorum; acceptus, inquam, prout iſtum deſignat -- *Centenariæ Annorum Rationis Ordo* -- memoratus (ut patet *num.* 179.) a S. Leone Magno *in Epiſtola 64. ad Martianum Auguſtum*, miſſuſque a Theophilo Patriarcha Alexandrino ad Theodoſium Seniorem; quæ vox -- Ordo -- idem ſignificat, ac -- Cyclus --, ut explicatum eſt in Diſſertatione poſt Quæſtionem quintam *num.* 104. præſefert, quod Romanus Annus Æræ vulgaris 444. dici poteſt Annus Cycli [nimirum prælaudati Theophili] ſexagiſimus *quartus*, nulla facta verborum Paſchaſini Correctione; ſimulque dici poteſt incœptus a Conſulatu Antonii, & Syagrii, qui Conſulatum geſſerunt Anno 382. Quamvis enim Anni Cycli prædicti Theophili apud Sanctum Leonem *loc. cit.* numerentur ab ejuſdem Cycli Epocha, nempe a primo Conſulatu Theodoſii, qui fuit Romanus Annus 380. ipſe namque Anno præcedenti proclamatus fuerat Imperator; tamen Paſchaſino aliter numerantur, ſed abſque eo quod inde ſcateat inter eos diſcrepantia in Annorum Romanorum deſignatione, numerantur, inquam, ab Anno quo cœpit uſus iſtius Cycli, nimirum a Conſulatu Antonii, & Syagrii. Epochæ namque Cycli tempori jam elapſo regulariter obſignantur; uſus vero Cycli ſubſequitur; ſubſequitur, inquam, relative ad Cyclum prælaudati Theophili, non autem relative ad Cyclum Nicænum, qui longe antea jam obſervabatur. Occaſione namque Legiſa Theodoſio editæ de Fidei obſervantia, quam Princeps Apoſtolorum Petrus Romæ, & S. Marcus ejus Diſcipulus in Ægypto prædicarunt, memoratus Theophilus prædictum Cyclum compoſuit. Itaque in ratione Anni ſacri, de quo loquitur Paſchaſinus, Romanus Annus 382. pro duobus Annis Sacris accipi poteſt; *Altero* ſcilicet, in quo ipſe Sacer Annus terminat, nempe, a Kalendis Januarii uſque ad Paſchalem quartam decimam incluſive; quoniam Annus Sacer ſignatur illo Anno, in quo terminat, ut late expoſitum eſt *num.* 139. *Altero* autem in quo Sacer Annus incipit, nimirum, a Paſchali quinta decima ejuſdem Romani Anni 382. Quare in ratione Anni Sacri vere, & realiter Cyclus dicitur incœptus a prædicto Conſulum Collegio, nempe, Romano Anno 382. ſimulque ejuſdem Cycli Annus ſexageſimus *quartus*, ab initio Anni Sacri ſupputatus, dicitur eſſe Romanus Annus 444. Æræ vulgaris; quoniam ipſe Sacer Annus initium habet a Paſchali quinta decima ejuſdem Romani Anni 444. ut probatum eſt *cit. num.* 139. Nullo igitur modo fieri poterat a Noriſio prædicta Anni Sexageſimi *tertii* Correctio; Hæc quidem, cum veritati reſpondeant, rationem Noriſii totaliter evertunt, atque confirmant quod dictum eſt, nempe Romanam Eccleſiam adhibuiſſe Cyclum Alexandrinorum ſive Nicænum. At nihilominus ex abundanti per modum hypotheſis concedatur, quod vult Noriſius.

189 Concedo itaque Noriſio, ut dictum eſt, per modum hypotheſis quod nomine *Romanæ ſupputationis* intelligi debeat Cyclus Annorum 84. At numquid ex eo univoce, uti oporteret, inferri poteſt, Cyclum hunc in uſu fuiſſe Romanæ Eccleſiæ? Silentio præterita correctione, quam [ut dictum eſt *num.* 187.] Noriſius ex arbitrio facit; ſupputatio a Paſchaſino memorata dicitur *Romana*; non quia Romana Eccleſia

ipsam illuc usque usurpaverit; sed quia ipsam ex urbe Roma Paschasinus acceperat, tanquam causam oborti dubii apud Sanctum Leonem; ac etiam, quia erat illorum, qui Romæ degentes, legalemque sedis Annorum Embolismalium supputationem ignorantes, instabant apud Sanctum Leonem, ut Pascha secundum erroneam illam supputationem celebraretur. Cæterum tantum abest, ut inde possit univoce inferri usus hujus Cycli apud Romanam Ecclesiam, ut potius contrarium concludatur. Animadvertendum enim est, quod Lunæ dies a Paschasino ibidem notati non congruunt huic Cyclo, qui die 26. Martii, ut constat in allegato Dionisii Diagrammate, prodit lunam vigesimam secundam; die autem 23. Aprilis designat lunam saltem vigesimam, sed præcise congruunt decennovennali Cyclo Niceno. Quare ista Paschasini verba -- *eo quod septimo Kalendarum Aprilium die &c.* -- non pertinent ad præcedentem sermonem, scilicet ad dubietatem, quam Romana supputatio afferebat, sed pertinent ad illa posteriora verba -- *in hoc ambiguo fluctuantes* -- explicantque ambiguitatem, in qua quis fluctuans ad legalem supputationem converti debet.

190 His notatis; Paschasinus rationem reddens, qua id verum invenerat, -- *quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ Antistite rescriptum est* -- dicit -- *Nam cum Romana supputatio* ex Cyclo Annorum 84. ut vult Norisius elicita, *nobis dubietatem afferret in hoc ambiguo fluctuantes* --: in quo nam ambiguo? *eo quod septimo Kalendarum Aprilium die, dies Dominica, & luna vigesima prima incurreret, & iterum nono Kalendarum Majarum die (ut rei veritas habet) Dominica dies, & luna decima nona obveniret; in hoc* [in quam] *ambiguo fluctuantes, ad Hebræorum, hoc est legalem supputationem nos convertimus* --. Romana igitur supputatio denotat dubii causam apud Sanctum Leonem, quoniam adverbium -- *cum* -- quando subjunctivo jungitur denotat causam. Ergo Romana supputatio, sive Cyclus Annorum 84. in usu non erat Romanæ Ecclesiæ. Dices; cur ista illatio? Respondeo, quod non affert dubium, quod regulariter in usu est, sed quod de recenti advenit, affert dubium in iis, quæ regulariter in usu sunt. Dixit enim Apostolus ad Romanos *cap. 7. vers. 7. -- Peccatum non cognovi, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.* Quamobrem sicuti Lex superveniens reddit illicitum, quod antea, Lege non extante, fiebat: ita non quod in usu est, affert dubium, sed quod de recenti advenit, quia retinet diversam agendi regulam, affert dubium in iis, quæ in usu sunt. Cum ergo ex Paschasini verbis *Romana supputatio* fuerit illa, quæ Sancto Leoni dubium afferebat, in usu non erat Romanæ Ecclesiæ.

191 Corruunt igitur fundamenta, quibus Norisius, uti supra existimat, se comprobasse usum prædicti Cycli. Nunc breviter dicamus de aliis, quæ ipsemet Norisius inducit, ut usum prædicti Cycli in Romana Ecclesia confirmet.

192 Norisius sępe inducit Victorii Aquitani testimonium, sed Victorii verba, etiam quoad hunc pręcise articulum, de quo loquimur, Norisio adversantur, ut evidenter ostendam *num. 287. & seqq.*

193 Inducit quędam verba Epistolę Sancti Innocentii Primi Papę ad Aurelium Africę Primatem; & cum prędictus Anonymi Cyclus Anno 414. Ærę vulgaris proclamet lunam decimam sextam die 22. Martii, lunam

lunam vero vigesimam tertiam die 29. ejusdem mensis, dicit, quod Sanctus ille Pontifex hisce verbis — *Nam quippiam minus est* — notabat aliquot horas deesse diei 22. Martii prius quam Luna decima sexta astronomica inciperet; idque comminiscitur, proferens, Romanam Ecclesiam abhorruisse celebrationem Paschę luna decima quinta. At patet ex dictis, falsum esse, quod Romana Ecclesia id abhorruerit, ac propterea corruit Norisiana interpretatio. Nihilominus *Quæst. tertia num.* 29. *& seqq.* retulimus integrum textum prędictę Epistolæ, istumque serio expendimus; atque ex illo constat, hæc verba — *nam quippiam minus est* — significare lunam decimam quintam, adeo ut genuinus totius Epistolæ sensus, quem *loc. cit.* exhibuimus, Norisianam interpretationem non admittat. Præterea animadverto, quod Novilunium Paschale Anni 414. ad meridianum Romanum contigit Martii die 7. hor. 2. min. 22. & sec. 9. post meridiem. Quo autem momento fit Novilunium, incipit etiam luna prima astronomica, Quare decima sexta astronomica incæpit die 23. Martii hor. 2. min. 22. & sec. 9. post meridiem. Cum itaque dies civiles lunares, juxta veterem Ecclesiæ praxim Quæstione secunda inductam, non incipiant, ut perperam putavit Norisius, a media nocte, sed ab occasu solis, ut etiam de tempore, de quo præcise loquimur, fidem facit Sanctus Augustinus, *qui tom.* 5. *serm.* 221. *in vigiliis Paschę*, *serm.* 3. *pag.* 671. sic ait — *Sabbati dies a sua nocte incipiens, finitus est VESPERE INCIPIENTIS NOCTIS, quæ pertinet ad initium Dominici diei* — quatuor tantum, etiam non solidæ, ultimæ horæ diei 22. Martii spectabant ad lunam decimam sextam astronomicam. Norisius ergo ne secutus quidem est sensum hujus vocis — *quippiam* —, quæ in accurato præsertim sermone ad majorem diei partem extendi neqnit.

Imo prædicta Norisii interpretatio adeo a veritate aliena est, ut abhorreat etiam a S. Pontificis mente. Quoniam cum medium Novilunium tunc contigerit duabus, & amplius horis post meridiem, diei septimæ Martii, ipsum diem Novilunii medii septimum Martii fecisset lunam primam Paschalem contra Nicænorum Patrum dispositionem, & contra ea, quę docet Venerabilis Beda, & alii communiter. Ipse enim Beda lib. de Temporum ratione *cap.* 41. sic ait — *si quidem eam paullo ante vesperam accendi a Sole contigerit* (istud accendi a Sole significat medium Novilunium contigerit, ut ex Beda, Clavio, & Petavio probatum est Quęst. Quarta *num.* 26. ac pręcise est casus noster) *Mox sole occidente primam computari, & esse necesse est*.

194 Inducit etiam Pascha Anni 417. dicens ex Paschasino, quod Romana Ecclesia illud celebravit die 25. Martii — *jubente Zosimo* —, & quod — *a Zosimo, & Romana Ecclesia pro Embolismo communis est Annus tentus*. At constat ex dictis *num.* 119. *& tribus seqq.* atque *num.* 158. *&* 161. quod Romana Ecclesia illud præcise Pascha non celebravit die 25. Martii, sed die 22. Aprilis: & insuper *num.* 123. patefeci Norisii commentum circa ista verba — *jubente Zosimo* — atque circa verba — *a Zosimo, & Romana Ecclesia* — quę Norisius Paschasino attribuit, & Paschasinus non protulit; imo si electionem Zosimi animadvertimus, ipse Zosimus id ne jubere quidem potuit, uti patet ex dictis *num.* 121.

195 Inducit quoque Sanctum Leonem, dicens *pag.* 11. §. *Idem Leo &c.*

quod

quod Anno 455. — *Pontifex ille Sanctissimus Festum Paschatis die 17. Aprilis agendum esse protestabatur luna decima sexta* — Sanctus tamen Leo hanc notam chronologicam — *luna decima sexta* — profecto non protulit, ut cuicunque manifestum erit, si legantur Epistolę Sancti Leonis, de isto Paschate loquentes, quæ sunt Epistola 64. 65. 68. & 95. Imo ne verbum quidem istud — *protestabatur* — Norisius deducere poterat ex Sancto Leone, qui hisce verbis utitur — *alii decreverant &c.* — *alii putaverant &c.* — *alii constituere* — illud Paschæ Festum die 17. Aprilis; isto nimirum die prout explicatum est *num.* 70. *in fine*.

196 Quo autem falsam illam notam chronologicam — *luna decima sexta* — Norisius conciliet cum prædicto Cyclo, ac etiam cum Paschate Anni tunc superioris, nempe 454. quod, ut probatum est *num.* 179. certo celebratum fuit die 4. Aprilis, propria Marte affirmat, ipsum Cyclum, qui Anno 454. Pascha proclamabat die 28. Martii luna decima sexta, cœptum fuisse eo Anno reformari; & sic istud Pascha indicasse die 4. Aprilis luna vigesima secunda. At hisce Norisianis commentis non solum ea adversantur, quæ dicta sunt, & quibus patet, Romanam Ecclesiam nunquam celebrasse Pascha in cyclari luna vigesima secunda; verum etiam obstat ipsemet Sanctus Leo, qui Epistola 64. loquens de isto Paschate Anni 454. dixit — *sequenti Anno* (nempe 454.) *pridie nonas Aprilis, eadem, propitio Deo, erit habenda Festivitas* — non sicut regulariter Cyclus Annorum 84. designat, sed — ibi — *sicut regulariter centenariæ Annorum rationis ordo declarat* —, quod perinde est, ac si dixisset, sicut regulariter Cyclus Alexandrinus, sive Nicænus declarat, nempe luna vigesima, in orbem enim tunc rediit Nicænus aureus numerus XVIII. ac litera Dominicalis C. & Sanctus Leo loquebatur de centenario Annorum numero, quo Sanctus Theophilus Patriarcha Alexandrinus Paschata descripsit secundum prædictum Cyclum Nicænum, ut late probatum est *num.* 188.

197 Denique cognovit Norisius, quod suæ sententiæ, ac Cyclo annorum 84. directe adversabantur Paschata a Sancto Ambrosio enunciata, ac relata *sub num.* 175. & præsertim illud Anni 360. quod Sanctus Doctor hisce verbis refert — *tunc 28. die Pharmuthi mensis, qui est nono Kalendas Maji Dominicam Paschæ celebravimus sine ulla dubitatione Majorum* — Quo autem hujusmodi oppositionem avertat, Norisius sic ait *pag.* 115. — *Ecclesiam Mediolanensem jam ante Ambrosii Episcopatum, quem ille Anno 374. suscepit, non cum Latinis, sed cum Alexandrinis in designando die Paschatis conspirasse . . . . . Quare is forte videri possit, tum primum Alexandrini Cycli usum Mediolanum invexisse, si verbo illo — celebravimus — ipsi Mediolanenses ab Ambrosio intelligantur* —.

Respondeo, quod si Mediolanensis Ecclesia, antequam Sanctus Ambrosius Episcopatum ejus suscepisset, cum Alexandrinis, ut rei veritas habet, conveniebat; utique conveniebat etiam cum Ecclesia Romana. Ex iis enim, quæ de Arelatensi Concilio Anni 314. notavimus *num.* 31. *& seqq.* constat, nullum fuisse dissidium inter Mediolanensem, Romanamque Ecclesiam; quod ipsum ostendunt ea, quæ diximus *num.* 156. 157. *&* 175. imo patet, quod Mediolanensis Ecclesia Pascha celebrabat secundum summi Romani Pontificis indictionem; quoniam Arelatenses Patres, inter quos recensetur Mediolanensis Episcopus Anno 314. decreverunt, ut summus Romanus Pontifex omnibus *juxta consue-*

consuetudinem diem Paschæ annuntiaret; quam consuetudinem a Nicænis Patribus non fuisse antiquatam constat ex dictis *num.* 118. *&* 156. ac de facto fuisse observatam manifestat tum memorata Epistola Sancti Innocentii Primi, tum ea, quæ dicta sunt *num.* 156.

Unde ipsemet Norisius gratis dicit, quod ille Annus 360. — *forte videri possit, tum primum Alexandrini Cycli usum Mediolanum invexisse* —. Apud veteres enim Scriptores nullibi legitur, Mediolanensem Ecclesiam unquam variasse ritum in celebratione Paschæ, nec unquam a Romana dissidisse. Legitur quidem, Mediolanensem Ecclesiam ab Episcopo Arriano fuisse aliquando occupatam, sed Arriani, licet osores infestissimi Romanæ Ecclesiæ, celebrationem tamen Paschæ custodierunt illibatam, adeo ut iidem Arriani una cum sexaginta Episcopis Catholicis decreverint in Antiochena Synodo Anni 581. *apud Labbe tom.* 1. *Concil. pag.* 581. *& Harduinum tom.* 1. *Concil. pag.* 492. — ibi — *omnes, qui audent dissolvere regulam Sancti, & Magni Concilii Nicæni, quod celebratum est in præsentia Dei amantissimi Constantini Imperatoris de Sancta, & salutari Festivitate Paschali Salvatoris nostri excommunicatos, & ejectos ab Ecclesia esse debere*.

198 De facto, quomodo dici potest, Mediolanensem Ecclesiam illo Anno 360. dissidisse a Romana, cum Socrates allegatus *num.* 29. referat, *quod omnes ad Occidentis Partes, & ipsum usque Oceanum . . . . nunquam inter se dissenserunt*? Eoque fortius, quomodo id dici potest, cum Sanctus Leo Magnus sub *num.* 119. fidem faciat, quod Romana Ecclesia ipso Anno 360. Pascha celebravit cum Alexandrinis eodem die 23. Aprilis? Sanctus enim Leo in Epistola 64. ad Martianum Augustum non dixit — *semel* —, sed — *nonnunquam* — Pascha fuisse celebratum die 23. ejusdem mensis. Id vero contingere non potuit, nisi currente aureo Nicæno numero 19. aut 8. ac litera Dominicali A. Quæ litera Dominicalis cum prædictis aureis numeris concurrit Annis dumtaxat 349. 360, & 444. Sanctus ergo Leo dixit, Pascha hisce Annis fuisse celebratum die 23. Aprilis. Mediolanensis ergo Ecclesia eodem die, quo Romana, Pascha Anni 360. celebravit. Ergo ab Alexandrinis utraque Ecclesia non dissidebat.

199 Quid amplius? Illo verbo — *celebravimus* — non dubito, quod ab Ambrosio, intelligantur etiam Mediolanenses; quoniam per hanc Episcopalem locutionis formulam omnes Episcopo subjecti regulariter includuntur, & Sanctus Ambrosius ne minimum quidem verbum protulit, quo Mediolanenses excludantur. Id vero haud dubie dicendum est, quod in illo verbo — *celebravimus* — ipse etiam Sanctus Ambrosius inclusus sit. Quamobrem animadverto, quod Sanctus Ambrosius Anno 360. non fuit Mediolani, sed Romæ. Mediolanum enim ipse perrexit statim, ac a Probo Præfecto Prætorii electus fuit, ut Liguriam, Æmiliamque regeret; quod accidisse Anno 369. consentiunt Baronius, Petavius, Pagi, & alii, concordante etiam Valeriani Imperatoris initio.

200 Sanctum vero Ambrosium Romæ Anno 360. fuisse ex eo deduco, quia, &si de natali ejus Anno diversæ sint opiniones, prævalet tamen, ut notat Pagi ad Annum 369. *num.* 13. & ad Annum 387. *num. ultimo*, prævalet, inquam, opinio Hermantii *in vita Sancti Ambrosii lib.* 1. *cap.* 3. qui illum adscribit Anno circiter 340. Quare Sanctus Ambrosius Anno 360. fuisset ætatis suæ Annorum viginti, ac propterea

eumdem

eumdem Sanctum tunc fuisse Romæ resultaret ex ipsius vita, quam scripsit Paulinus ejusdem Sancti Doctoris Notarius, qui sic ait — *Cum adolevisset, & esset in Urbe Roma constitutus cum Matre vidua, & sorore, quæ Virginitatem jam fuerat professa, comite alia Virgine, cujus Virginis Soror Candida, & ipsa ejusdem professionis, quæ nunc Carthagine degit jam anus, cum videret Sacerdotibus a domestica Sororis, vel Matris manus osculari, ipse ludens offerebat dexteram dicens, & sibi id ab eis fieri oportere, siquidem Episcopum se futurum esse memoraret: illa vero, ut adolescentem, & nescientem quid diceret, respuebat* — Hæc autem contingere non potuerunt, nisi post Annum Æræ vulgaris 352. Teste enim Sancto Ambrosio *de Virginibus lib. 3. sub initium* Marcellina ejus Soror, ac natu maxima, ut ipsemet Sanctus Ambrosius refert in funebri Oratione de Satyro suo Fratre natu majore, velum die Natali Salvatoris accepit a Liberio, qui Anno 352. Pontifex ordinatus fuit. Prosequuntur verba ejusdem Paulini — *Sed postquam edoctus esset liberalibus disciplinis, ex Urbe egressus est; professusque in Auditorio Præfecturæ Prætorii, ita splendide causas perorabat, ut eligeretur a Viro illustri Probo tunc Præfecto Prætorii ad consilium tribuendum. Post quod Consularitatis suscepit Insignia, ut regeret Liguriam, Æmiliamque Provincias, venitque Mediolanum* —. Cum ergo Sanctus Ambrosius ex Urbe Roma egressus non sit, nisi post quam edoctus esset liberalibus Disciplinis, & cum post Annum Æræ vulgaris 352. ita reputatus fuerit, ut a Domestica Sororis respueretur, tanquam adolescens, ac nesciens quid diceret, utique credibile est, ut ipse Sanctus Ambrosius Anno 360. liberalibus Disciplinis Romæ adhuc operam daret; eoque fortius, quia ab Anno 360. ad Annum 369. quo ipse Mediolanum venit, longa annorum series intercedit, quibus abunde idem Sanctus Ambrosius mereri potuit, ut a Probo eligeretur ad Consilium tribuendum, ac deinde Liguriæ, & Æmiliæ Præpositus.

201 Cum ergo Sanctus Ambrosius Anno 360. esset Romæ constitutus, & de Pascha hujus Anni fidem faciat his verbis — *Nono Kalendas Maji Dominicum Pascha celebravimus sine ulla dubitatione majorum* — quid ultra desiderari potest? ut certo concludamus, merum esse commentum, Romanam Ecclesiam ab Alexandrinis in celebratione Paschæ dissidisse.

REFELLITUR LUPUS, ET VERITAS ELUCESCIT.

202 Meam Epitomen Operis Paschalis, ut infra, oppugnatam vidi ab eruditis elucubrationibus clarissimi Viri Antonii Mariæ Lupi Presbiteri societatis Jesu. Superest igitur, ut istę elucubrationes ad trutinam revocentur. Ipse Anno 1734. Panormi edidit librum, cujus titulus est — *Dissertatio, & Animadversiones ad nuper inventum Severæ Martyris Epitaphium* —. Mense Decembri Anno 1730. Via Salaria in Coemeterio SS. Thrasonis, & Saturnini fuit inventum, hodieque in Sacrario Sanctæ Mariæ Transtiberim servatur prædictum Epitaphium, cujus notæ chronologicæ sunt — *Consule Claudio, & Paterno — Nonis Novembribus — Die Veneris — Luna* XXIV. — In prædicto autem Libro *pag.* 14. legitur

legitur -- ibi -- *Characteres ab inscriptione enunciatos convenire cum Anno vulgari* 269. *probat Cyclus Judaicus* (4), *cujus ante Nicænum Concilium communis admodum usus fuit etiam in Christiana Ecclesia*. *Qua de re consulendi sunt P. Bucherius, Cardinalis Norisius, & qui ante paucos annos breviter, ac dilucide circa Calendarium scripsit P. Horatius Borgondio Magister meus* --. Instructo per me computo bene concluditur, Annum Æræ vulgaris 269. incidere in Annum 56. ejusdem Cycli Judaici, qui Annis 84. constabat. Deinde vero legitur, quod Annus 56. hujus Cycli -- ibi -- *exhibet literam Dominicalem C. Epactam X. quibus datis ex Calendario Gregoriano patet per Annum Christianæ Æræ* 269. *concurrisse nonas, sive diem quintam Novembris cum die veneris, & luna* XXIV. --. Hucusque Dissertatio. Verum in Animadversionibus *sub citato num.* 4. *eadem pag.* 14. hæc adnotantur -- *Probari luculenter id posset etiam e Cyclis aliis; atque ex iis præsertim, ex quibus Pagius, & Bianchinus VV. CC. characteres eosdem assignant Anno vulgari* 269. *quos ex Cyclo Judaico eruimus. Verum placuit magis Cyclus Judaicus; ut cognosceres injuria dictum a nuperrimo Scriptore* (*Jacobo Bettazzi in Epitome Operis Paschalis pag.* 109.) *usui non fuisse Romanæ Ecclesiæ Cyclum Annorum* 84.... *Quartadecimanos, & Novatianos hunc Cyclum adhibuisse, Quartadecimanis scilicet, aut Novatianis profanandum reliquissent Romani Pontifices Coemeterium adeo insigne, atque Urbi proximum!*

203 Cum itaque plures Cycli eodem tempore, & ad eumdem finem non soleant simul adhiberi, aliis relinquo facilem judicandi provinciam, an id, quod pluribus Cyclis luculenter probari potest, firmo fundamento determinetur ex eo Cyclo, qui magis placet, & præcipue ex eo Cyclo, qui magis placet, ad alium finem, quam ad eruendam veritatem. Quid etiam dici debeat de illo eleganti Epiphonema, cum veniat in quandam prioris judicii consequentiam, ipsimet pariter judicent, qui jam animadverterint, id, quod pluribus Cyclis probari potest, necessario non inducere, ut Romani Pontifices Quartadecimanis, aut aliis profanandum reliquissent Coemeterium prædictum. An vero injuria, vel merito dixerim, quæ leguntur in Epitome *loc. cit.* iidem pariter judicent, qui jam viderint, quæ in præcedentibus exhibui.

204 Profecto Vir Clarissimus Christianus Lupus, qui floruit præterito sæculo, & quem egregia, doctissimaque sua Opera in lucem edita plurimum commendant, in Dissertatione Proemiali de Syra Synodo Hosii *pag.* 167. affirmat -- ibi -- *Alexandrina, ideoque & omnis Ægyptiaca Ecclesia semper celebravit Romano more* -- Nullum vidi, qui Alexandrinam Ecclesiam adhibuisse proferat Cyclum Annorum 84. quare ex citato Christiano Lupo legitime infertur, Romanam quoque Ecclesiam non adhibuisse prædictum Cyclum Annorum 84. alioquin Alexandrina Ecclesia, quippe quæ hunc Cyclum non adhibebat, non celebrasset Pascha Romano more. Cui nam igitur Lupo credendum est? Utique Christiano, qui non ex placito, sed ex Veterum auctoritatibus suam profert sententiam.

205 At quia plurimi facio elucubrationes etiam doctissimi Antonii Mariæ Lupi, credam solum veritati: quam licet contra Norisium evidenter patefecerim in præcedenti Controversia, ad præsens tamen non aliunde exquiram, nisi ex illis, quos ipsemet Lupus consulendos monet.

206 Anno itaque prædicti Cycli quinquagesimo sexto, qui Anno Æræ vulgaris

vulgaris 269. congruit, Eminentiss. Noris in Diagrammate ante Dissertationem de Paschali Latinorum Cyclo, & Vir Clarissimus P. Horatius Borgondius in egregia Constructione Calendarii Gregoriani *Propos.* 14. affixam exhibent literam Dominicalem. C. huncque latinum numerum x. quem ut explicabimus in Dissertatione post Quæstionem quintam *num.* 9. designare ipsi quoque docent ætatem Lunæ Kalendis Januarii, & Martii: ac successive producere Neomeniam Paschalem, pleno, idest dierum triginta, constituto mense, qui ultimus est Sacri Anni lunaris superioris. Anno igitur 56. ejusdem Cycli, Kalendis Martii labebatur luna decima, die autem secundo Martii, luna undecima, & sic deinceps, adeo ut die vigesimo primo Martii laberetur luna trigesima, & die vigesimo secundo Martii contingebat Paschale Novilunium, quemadmodum Novilunium Paschale Anni 56. ejusdem Cycli præcise notant die 22. Martii Bucherius *in Comment. in Cycl. Vict. pag.* 428. & Norisius in citato Diagrammate, quibus concordat etiam exemplum a P. Borgondio exhibitum *loc. cit.* His positis; diei quinto Novembris Anni 269. congruit quidem dies Veneris, sed non congruit luna vigesima quarta, quam Epitaphium notat: est enim luna vigesima tertia, ut quisque haud dubie deprehendit per continuam progressionem lunationis cavæ, & plenæ. Lunatio enim, quæ Paschalem præcedebat, erat plena, nempe diebus 30. Lunatio autem Paschalis erat cava, nempe diebus 29. & sic deinceps. Epitaphium igitur Sanctæ Severæ Martyris evidenter manifestat, quod dixi in Epitome, atque probavi in præcedenti Controversia, scilicet Romanam Ecclesiam hoc Cyclo usam non fuisse.

207 Verum quidem est, quod Epacta x. in Calendario Gregoriano signat Lunam vigesimam quartam diei quinto Novembris, sed ex hoc ipso præcise resultat absque ulterioris Computi constructione, quod Cyclus Annorum 84. tunc designat lunam vigesimam tertiam; quoniam hic Cyclus Neomeniam Paschalem designabat die 22. Martii, ac propterea uno die tardius, quam Epacta x. in Calendario Gregoriano. Epacta enim x. in isto Calendario affixa est diei 21. non autem diei 22. Martii.

208 Dices; quod non contigit prædicto Cycli Anno 56. advenire poterat aliis Cycli Annis, ergo Epitaphium prædictum non patefecit evidenter, quod Cyclus iste usui non fuerit Romanæ Ecclesiæ. Respondeo, quod Consulum series corrueret propter Consulum nomina in Epitaphio adnotata. Insuper lunam vigesimam quartam *Nonis Novembribus* prædictus Cyclus designare nequit, nisi Annis illis, quibus in orbem redit latinus numerus xi., hic enim solus, uti patet ex dictis; producit Paschale Novilunium die 21. Martii, prout facit Epacta x. in Calendario Gregoriano, & consequenter lunam vigesimam quartam nonis Novembris. Sed numerus Latinus xi. prout constat apud prælaudatos Norisium, & Borgondium, in orbem redit tribus tantum Cycli Annis 29. 48. & 75. ergo prædictus Cyclus lunam vigesimam quartam non designat nonis Novembribus, nisi tribus Cycli Annis 29. 48. & 75. Sed hisce Cycli Annis (notetur) nunquam concurrit usus literæ Dominicalis C., quæ sola, prout clarum est in Calendario, efficit, ut dies quintus Novembris coincidat cum die Veneris. Cycli enim Annus 29. perpetuo concurrit cum litera Dominicali B. An-

nus

nus 48. cum litera Dominicali F. & Annus 75. cum litera Dominicali A. G. Dixi *perpetuo*, quia cum hic Cyclus tres revolutiones Cycli Solaris, sive clarius, literarum Dominicalium exacte amplectatur, eædem literæ Domicales in orbem recurrunt una cum revolutione prædicti Cycli. Ergo Cyclus Annorum 84. nunquam designat lunam vigesimam quartam die Veneris, ut notat Epitaphium; ergo Epitaphium evidenter patefacit, prædictum Cyclum usui non fuisse Romanæ Ecclesiæ.

209 Deo igitur gratias, qui nostris temporibus voluit, ut Sanctæ Severæ Martyris Epitaphium effoderetur; ac debitas etiam doctissimo Antonio Mariæ Lupi referimus, qui ipsum edidit Epitaphium, ac suis reprehensionibus occasionem præbuit, ut veritatem, quam protuli in Epitome, atque in præcedenti Controversia patefeci contra Norisium, hoc irrefragabili Antiquitatis monumento evidenter confirmaremus.

QUID DICENDUM CIRCA PETRI GIANNONIS HISTORIAM.

210 Vir clarissimus Petrus Gianno inter ea, quæ de emendatione Calendarii Romani breviter narrat, *in Civili Historia Regni Neapolit. tom. 4. lib. 34. cap. 3. pag. 269. & seqq.* sic ait -- ibi -- *in decorso di tempo l' Editto di Cesare male interpretato da Sacerdoti* -- existimo, quod Gianno intellexerit de Bissextilibus, statim post Cæsarem plus æquo interpositis, atque ab Octaviano Augusto correctis -- *non fu reputato sufficiente; e la sua emendazione ebbe bisogno poi di altra emenda* -- Cæsar diei 25. Martii Æquinoctium vernum affixit, quod, ut pote longe a Cœlo dissidens, neque Hebræi, neque primi Christiani isto die observaverunt; ac propterea Edictum Cæsaris emendatione indiguit --. *Onde Claudio Tolomeo, che fiorì intorno a 180. Anni dopo Cesare, considerando la gran varietà de' pareri in determinare l' Anno naturale* -- Ptolemæus sententias tantum eorum, qui longe ante Hipparchum floruerunt, enarrat *in Almg. lib. 3. cap. 2.* -- *ne descrisse un altra* --, id utique falsum est, si Gianno censuit, Ptolemæum in tradenda Anni tropici, sive æquinoctialis magnitudine discrepasse ab Hipparcho; uterque enim docuit ipsius Anni magnitudinem diebus 365. hor. 5. min. 55. & sec. 12. -- *tanto che variando dalle prime, ne nacque un grande perturbamento, ed una grande confusione*.

211 Sententiam Hipparchi, qui floruit Anno 129. ante vulgarem Christi Epocham, Ptolemæus non variavit; ac propterea ex Ptolemæi sententia nulla oriri potuit perturbatio, aut confusio. Verum quidem est, quod Patres Cæsariensis Concilii de Anno 198. Æquinoctium vernum statuerunt, quo die 22. Martii iidem locaverunt primum progressum quartæ decimæ Paschalis; ac propterea versus initium mensis illud retraxerunt uno die. Id tamen exigebat tam Hipparchi, quam Ptolemæi sententia, quæ singulis Annorum ter centum intervallis præcessionem solis prodit uno solido die. Unde quod etiam Gnomonis umbra in Horologiis Solaribus patefaciebat, designabatque, perturbationem & confusionem producere non poterat, quemadmodum revera non produxit, si eorum reminiscamur, quæ dicta sunt de dissidiis, quæ ante Nicæni Ævum extiterunt; & fortius inspectis iis, quæ narrat Euse-

blus *in Hist. Eccles. lib. 5. cap. 25.* Hic enim ibidem servavit fragmentum Epistolæ Synodalis præmemorati Concilii Cæsariensis, cujus Epistolæ verba sunt — ibi -- *Illud etiam vobis significamus, eodem, quo apud nos, die Pascha Alexandriæ celebrari. A nobis enim ad illos, & vicissim ab illis ad nos literæ perferuntur; ita ut UNO CONSENSU, & simul sacrosanctum peragimus diem* --. Cum ergo Cæsarienses Patres, qui auctoritate, & hortatu Sancti Victoris Primi Papæ, & Martyris illud Concilium celebrarunt, non dissiderent a Romana Ecclesia, & cum inter istam, & Alexandrinam nullum similiter fuerit dissidium, uti patet ex dictis, quomodo dici potest, confusionem extitisse a Giannone narratam? Revera ex Arelatensi Concilio primo *sub num.* 31. constat, quod reliquus Christianus Orbis, exceptis Quartadecimanis, & quibusdam Orientalibus, qui licet Quartadecimanorum errorem abhorruerint, cum Quartadecimanis tamen conveniebant, nomenclaturam dierum lunarium accipientes ex Cyclo Judaico, constat, inquam, quod reliquus Christianus Orbis conveniebat cum Romana Ecclesia; ac tali concordia conveniebat, ut Socrates *lib. 5. Hist. Eccles. cap. 21.* sic referat — ibi -- *Reliqui autem omnes ad Occidentis Partes, & ipsum usque Oceanum . . . . . . nunquam inter se dissenserunt.*

212 Prosequitur immediate Giannno dicens — *Nell' Imperio di Costantino Magno i Padri del Concilio di Nicea, volendo stabilire il giorno della Pasqua, ne statuirono un' altra, dal qual tempo seguì di nuovo una gran confusione negli Equinozj* --. Giannno silentio præterit, quæ medio tempore facta fuerunt. Quod enim secundum Hipparchi, & Ptolemæi doctrinam circa Æquinoctii diem in Cæsariensi Concilio fieri oportuit, id ipsum efficere necesse erat Anno 260. circa Annum lunarem a Julio Cæsare in suo Calendario publicatum. Hipparchus enim, & Ptolemæus tradiderunt, cælestia Novilunia uno solido die versus initium mensis antevertere spatio Annorum 304. Quamobrem prædictum Annum 260. præveniens Sanctus Hippolitus Martyr edidit suum Cyclum Hæccedecaetericum, quem Ecclesia non usurpavit, sed eumdem, quem Julius Cæsar publicaverat, Cyclum retinuit usque ad Nicænum Concilium; Anno tamen 260. emendatum a Sancto Dionysio Alexandrino, uti exposui *num. 61. & seqq.* simulque retinuit Æquinoctium, in quo die illud Cæsarienses Patres locarunt.

213 Nicæni itaque Patres aliam quidem, ut Giannno profert, ediderunt emendationem. Alium enim lunarem Cyclum publicarunt, ac diei 21. Martii Æquinoctium affixerunt. Hanc tamen Nicænam Dispositionem Catholicus Orbis summo prosecutus fuit obsequio, adeo ut Rufinus Aquilejensis *in Hist. Eccles. lib. 1. cap. 6.* postquam nonnulla summarie retulit statuta Nicæna, sic loquatur — ibi -- *Ecclesiarum Pax, & Fides in Orientis, atque Occidentis Partibus una, atque eadem servabatur.* Quare talium est, quod Giannno refert his verbis — *dal qual tempo seguì di nuovo una gran confusione negli Equinozj.*

214 Ista verba, sicut & confusionem ante Nicæni Ævum, Giannno protulit sine ullius Scriptoris auctoritate. Existimo tamen, eumdem Giannonem in hoc secutum esse communem Scriptorum sententiam, qui usque adhæc tempora, uti constat *sub num. 125. & seqq. & sub n. 166. & seqq.* communiter censent, Romanam Ecclesiam tum ante, tum post Nicænum Concilium, ab Orientali, sive Alexandrina circa Æquino-

ctium diffidisse. Gianno etenim post allegata verba sic ait — *Da poi Dionigi il piccolo intorno l' Anno 526. avanzandosi sempre più il disordine, cercò con nuova computazione darci rimedio, ma quella fu per pochi Anni, onde si tornò a disordini di prima* —. Veruntamen eorumdem Scriptorum sententiam esse merum commentum, evidenter patefeci *loc. cit.*, ac propterea confirmatur falsum esse, quod prælaudatus Gianno profert.

215 Equidem dissidia, quæ postremis hisce Giannonis verbis indicantur, ex eo fuere, quia Novatiani sub Valente Imperatore in Pazzensi Conciliabulo licitam esse Sabbatio, ejusque sequacibus celebrationem Paschæ quinto decimo die Lunæ in quemcumque Septimanæ diem incidente, ut probavimus *num.* 38. decreverunt contra ea, quæ Sanctus Victor Primus Papa, & Martyr statuerat, & Nicæna Synodus confirmaverat, ut refert Socrates *in Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 20. & Sozomenus *in Hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 24. deinde vero ipsimet Novatiani, ut communionem inter sese conservarent, in Sangariensi Conciliabulo per illud Decretum — *indifferens* — appellatum, licitum cuicumque fecerunt — *eam consuetudinem in hoc Festo celebrando pro arbitratu sequi, quam sequi animo instituissent* — ut refert Socrates *loc. cit.* & Sozomenus *in Hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 18. Hinc diversi ex Novatianis, diversos Cyclos, diversumque a Romana, & Alexandrina Ecclesia Æquinoctii diem in usum invexerunt, Christiano Orbe adeo turbato, ut Patres Calcedonensis Concilii, *Actione sexta* in fine apud Conciliorum collectionem regiam maximam *tom.* 2. *pag.* 490. sic clamaverint — *Unum Pascha Orbi Terrarum* — & Sanctus Leo Magnus in Epistola 64. ad Martianum Augustum sic doceat — *Non leviter delinquitur, si in principio Sacramenti veritas, & unitas non servetur.*

216 Cæterum Dionysius Exiguus novam non edidit computationem, sed illam præcisam, quam Nicæni Patres publicarunt, per totius Anni dies in Calendario Romano ita digessit, ut quisque sine ulla ambiguitate certo sciret, quid secundum Nicænam dispositionem observare oportebat. Nec ista Dionysii Exigui computatio ad paucos Annos fuit; imo adeo valuit, ut tractu temporis nihil reliqui in Orbe fuerit de prædictis Novatianorum Decretis; & insuper talem in Christiano Orbe meruit æstimationem, ut illam universalis Ecclesia illibatam servaverit usque ad Gregorium XIII. Pont. Max. & eamdem illibatam adhuc servent Angli, Moschovitç, Græci, & cæteri omnes, qui stylum veterem adhuc retinent.

217 Quamobrem falsum est, quod Gianno post ipsius verba nuper allegata, immediate dicit — *Riputando pertanto i Pontefici Romani dover essere di loro incombenza il rimediarvi, furono perciò solleciti per prevenire anche gli altri Principi, e l' Imperadore, di fare una nuova emendazione* — Novam etenim emendationem Gregorius non edidit, ut memorata dissidia tollerentur; ista namque olim jam evanuerant; ut dictum est; sed edidit, quia cælestes motus a diebus, quibus Nicæni Ævo respondebant, adeo se elongaverant, ut Æquinoctium, cui sedem Nicæni Patres locaverant die 21. Martii, retrocesserit ad diem decimum, & respective undecimum ejusdem mensis; cælestes vero quartæ decimæ Paschales quatuor diebus versus initium mensis retrocesserint ab illa sede, in qua eas Nicæni Patres affixerunt.

218 Quod vero id muneris fuerit summi Romani Pontificis, dubitari nequit, si infrascripta serio animadvertantur. C c 2 Pri-

Primum est; observantia Paschæ non a laicali Potestate procedit, sed a Deo *in Exodo cap.* 12. ut explicatum est Quæstione tertia *num.*66. *& seqq. in Epistola prima ad Corinthios cap.* 5. *vers.* 8. ac successive procedit a Sacris Canonibus, non laicæ ergo Potestati, sed Ecclesiæ subjacet hujusmodi observantia. Dominus autem noster Jesus Christus non Potestati laicali, sed soli Petro dixit -- *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam -- S. Matt. cap.* 16. *vers.* 18. Quare non ad laicalem Potestatem, sed ad eum id muneris spectat, qui Apostolo Petro successit.

Secundum est; Ex observantia ab Apostolorum temporibus deducta: ex Decreto Cæsariensis Concilii usque ad Nicæni Ævum servato: ac denique ex Decreto Nicæno usque ad Gregorium XIII. Pont. Max. illibate custodito, clare patet, Edictum Julii Cæsaris de Æquinoctii verni die observatum in Ecclesia non fuisse, sed revera ejusdem Æquinoctii sedes semper observata fuit, in quo die Sancti Veteres Patres illam respective locarunt.

Tertium est; Cyclus lunaris Julii Cæsaris, ex quo cæpit a cælestibus motibus dissidere, correctus fuit ab Ecclesia per S. Dionisium Alexandrinum Anno 260. atque ita correctus servatus fuit usque ad Nicæni Ævum, uti constat *num.* 61. *& seqq.* Deinde Nicæni Patres alium Cyclum publicarunt, quem servavit Ecclesia usque ad Gregorium XIII. servantque ad præsens, qui veterem stylum sequuntur.

Summi ergo Romani Pontifices id sui muneris esse reputarunt, quod non ad Potestatem laicalem, sed ad successorem Apostoli Petri spectat, ut dictum est; & quod in Ecclesia semper observatum, nec semel factum fuit; & quod denique, vigente Romano Imperio curæ Pontificum Idolorum reservatum erat, & Julius Cæsar uti Pontifex Maximus edidit.

219 Unde si rei veritas non displicet circa hæc Giannonis verba sub §. *Publicata &c.* Videlicet -- *Carlo Magno diede egli a suoi Germani il Calendario in lingua tedesca: Ciò, che fecero i Padri del Concilio Niceno, fu per autorità di Costantino Magno Imperadore* -- Emendatio, quam Nicæni Patres ediderunt, pluries antea a vetustioribus Ecclesiæ Patribus respective facta fuerat propria Ecclesiæ auctoritate, ut dictum est. Unde dici nequit, Nicænam emendationem emanasse auctoritate Constantini Imperatoris; eoque fortius id dici nequit, non solum quia ipsemet Constantinus in sua Oratione ad Synodum apud Eusebium *de Vit. Const. lib.* 3. *cap.* 12. sic locutus est: *Date operam, o charissimi Dei Ministri, & communis omnium Domini, ac Servatoris fideles famuli, ut sublatis quam primum mutuæ inter vos dissensionis causis, omnes controversiarum nodos pacis Legibus sine ulla mora dissolvatis. Hac enim ratione, & summo omnium Deo, & mihi conservo vestro ingens beneficium collaturi estis* --. Si pacis leges, quas Nicæna Synodus, circa indictionis Paschæ rationem publicavit, editæ fuissent auctoritate Constantini, hic utique postrema allegata verba non dixisset; verum etiam, quia Sanctus Ambrosius in Epistola 32. prope finem sic refert -- *Constantinus nullas Leges ante præmisit, sed liberum dedit judicium Sacerdotibus* --. Si Constantinus nulla præmissa Lege liberum Nicænæ Synodo dedit judicium, in ejusdem Constantini auctoritatem refundi nequit, emendatio, quam ipsa Synodus edidit circa indictionem Paschæ; ac denique quia idem Constantinus in

sua

sua Epistola de Synodo Nicæna ad absentes Episcopos *versus finem*, *litera F. sub num.* 19. volens eos Orientis Episcopos, qui Cyclum Judaicum tunc usurpabant, ad Nicænæ emendationis acceptationem inducere profecto non dixisset, si id, quod a Nicænis Patribus factum est, auctoritate ipsiusmet Constantini factum fuisset; profecto, inquam, non dixisset, quod ipse Nicænæ Synodo spopondit, emendationem prædictam eisdem Episcopis tunc fore placituram; hæc enim Constantini Sponsio excludit, emendationem Nicænam, circa quam sponsio versatur, emanasse spondentis auctoritate: Hæc sunt allegatæ Epistolæ verba clarius exposita *num.* 64. -- *Cum hic ordo* (nempe Cyclus) *decentissimus sit, quem omnes tam Occidentalium, quam Meridianarum, & Septemtrionalium Orbis Partium Ecclesiæ, ac nonnullæ quoque Orientalium servant; idcirco id æquum, rectumque esse omnes judicarunt, quod & vobis placiturum esse spopondi, ut scilicet, quod in Urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam Ægyptum, per Hispaniam, Gallias, Britannias &c. Concordi sententia observatur, id vestra quoque Prudentia libentibus animis amplectatur* --; Insuper prælaudatus Constantinus, eosdem Episcopos hortans ad prædictam acceptationem, prope finem allegatæ Epistolæ, mandatum Nicænum non appellasset *plane divinum*; id, quod excludit, hujusmodi mandatum fuisse editum auctoritate Constantini, cujus verba hæc sunt -- *Quæ cum ita sint, cælestem gratiam, & plane divinum mandatum libenter suscipite. Quidquid enim in Sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem* -- Usque adeo verum est Nicænam emendationem propria Ecclesiæ, non autem Constantini auctoritate emanasse, ut verba etiam ejusdem Constantini id clare manifestant.

220 Carolus vero Magnus Imperator non aliud suis Germanis tradidit Calendarium, quam illud Romanum, per totius Anni dies a Dionysio Exiguo, uti supra, extensum, quamvis Teutonico idiomate scriptum. Hoc quidem Calendarium non vidi, sed solo idiomate fuisse diversum a prædicto Romano, colligitur ex Martyrologio Usvardi, quod dicitur jussu Caroli Magni conscriptum; & ipse Usvardus floruit tempore Albini, sive Alcuini, quem dilectum Magistrum habuit Carolus Magnus. Omnes enim dies lunares per ipsum Martyrologium singulis Annis, ac mensibus designatos deprehendi concordare cum Cyclo Nicæno, & insuper prædictus Alcuinus, & Rhabanus, qui celebrem Academiam Parisiensem, per eumdem Carolum Magnum erectam decorarunt, eadem docent, quæ Cyclus Nicænus proclamat.

221 Quod denique attinet ad reliqua Giannonis verba relata *num.*217. nimirum -- *i Romani Pontefici . . . . furono perciò solleciti, per prevenire anche gli altri Principi, e l' Imperadore, di fare una nuova emendazione* --, profecto longiores tractatus emendandi vetus Calendarium habiti tum per Nicolaum V. Innocentium VIII. Leonem X. aliosque summos Romanos Pontifices, tum per Concilium Basiliense, Constantiense, & Lateranense sub Leone X. celebratum similes etiam tractatus habiti in Concilio Tridentino, a quo hujusmodi emendatationis negocium, utpote difficillimis difficultatibus intricatum, nec brevi tempore tunc absolvendum, ad auctoritatem, & judicium Romani Pontificis relatum fuit; egregia multorum illustrium Virorum opera ad hunc finem in lucem edita; Anni decem, quibus Mathematici a Gregorio

gorio XIII. delecti ad Correctionem, fuerunt Romæ congregati sine fructu, nisi Opus jam præmortui Aloysii Lilii in eorum manus pervenisset; hæc omnia evidenter ostendunt, Gregorium XIII. Pont. Max. suam Correctionem non edidisse studio præveniendi quemquam; eoque fortius, quia de ea ipse summus Pontifex præcedenter postulavit judicium Imperatoris, Regum, Principum Christianorum, Rerumpublicarum, atque celeberrimarum Europæ Academiarum.

222 Quare cum in Calendario, quod ipse Gregorius publicavit, affixi non sint ulli termini feriis Tribunalium sæcularium, neque festivitatibus Principum, sive Regnorum; & cum prælaudatus Gregorius usum novi sui Calendarii expresserit in sua Bulla, quæ incipit -- *Inter gravissimas* -- dicens -- ibi -- *pro divinis Officiis recitandis, & Festis celebrandis* --; ac denique cum idem Gregorius, dum in eadem Bulla Imperatorem, Reges, Principes, ac respublicas hortatur, & rogat, ut illud ipsi suscipiant, curentque, ut a cunctis sibi subjectis populis religiose suscipiatur, clare exprimat finem, sive suam intentionem -- ibi -- *ad conservandam in celebrandis Festivitatibus inter Christianas Nationes concordiam* -- quam ex divina Scriptura, ex Sacris Canonibus, atque ex Sanctorum Patrum Auctoritatibus, omnino necessariam esse abunde ostendi; Correctio Gregorii jus cujuscunque non læsit.

DE GENUINO SENSU DISPOSITIONIS NICÆNÆ.

223 Absolutis iis, quę *num.* 11. pertractare proposui circa dissidia, quę ante Niceni Ævum, & usque ad Sanctum Leonem Magnum extabant in celebratione Paschę, superest, ut agamus, prout ibidem proposui, de genuino sensu Dispositionis Nicęnę. Tria includit Nicena Dispositio, nempe definitionem temporis, quo Pascha celebrandum est; uniformitatem per universum Orbem in eo recolendo Festo; ac denique rationem, qua uniformitas ab omnibus servaretur.

224 Quoad definitionem temporis, quo Pascha celebrandum est, Nicęna Synodus, diem Paschę Dominicum statuens, *qui quartam decimam lunam primi mensis subsequitur* --, nihil novi disposuit; quod dixit etiam Acesius Episcopus Constantinopolitanus, ac Novatianorum Primas, qui Constantino Magno hoc responsum dedit apud Socratem *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 10. & apud Sozomenum *in Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 21. -- ibi -- *Nihil novi a Concilio definitum est, Imperator; sic enim olim ab initio, & ab ipsis Apostolorum temporibus tum Fidei definitionem, tum Festi Paschalis tempus traditum accepi* -- Sed antiquum Canonem, uti supra *num.* 9. dixit Rufinus, atque clare colligitur ex Epistola Constantini *num.* 20. & 21. nempe Canonem Sancti Victoris Primi, Ecclesiis tradidit observandum.

225 Ista vero dispositione non sanabatur *ille morbus gravissimus*, ab Eusebio *lib.* 3. *de vita Constantini cap.* 5. relatus, qui Ecclesiam jampridem infestabat, dissensio scilicet de salutari Festo Paschę; neque voti compos fiebat Nicęna Synodus, quę ad relata per Sanctum Athanasium *tom.* 1. *part.* 2. *de Synodis pag.* 719. convocata fuit, *ut ubique una Festi dies celebraretur*. Nonnulli enim Orientales Pascha quidem peragebant

gebant die Dominico, qui quartam decimam lunam primi mensis subsequebatur, sed nihilominus a cęteris Orbis Partibus ex eo dissidebant, quia diverso Cyclo, nempe Judaico, utebantur. Quamobrem cum ipsa Nicęna Synodus existimaverit -- *nefas esse* [sunt verba allegatę Epistolę Constantini Magni de Synodo Nicena] *ut in tanti momenti negocio, & hujusmodi Religionis solemnitate, dissensio reperiatur* -- prout revera hujusmodi dissensio adversabatur documento Apostoli Pauli exposito quęstione tertia *sub num. 66.*, nec non decretis summorum Pontificum Sancti Pii primi *in cap. Nosse de Consecrat. Dist.* 3. atque Sancti Victoris Primi *sub num.* 7. ac etiam Decreto Concilii Arelatensis primi *sub num.* 31. in eadem Nicęna Synodo -- *communi omnium sententia* [sunt verba allegatę Epistolę Constantini *sub num.* 19.] *decretum est, eam Festivitatem uno, eodemque die ab omnibus celebrari oportere.*

226 Sed nihilominus pendebat adhuc indecisa dissensionis origo, quę ex diversorum, uti supra, Cyclorum usu manabat, unde (sequuntur verba pręallegatę Epistolę Constantini) *hoc convenienti emendatione corrigi, & ad unam, eamdemque formam redigi Divina vult Providentia, quemadmodum omnes meo quidem judicio intelligitis.* At quęnam reputata fuit conveniens ratio, qua uniformitas in eo recolendo Festo, ab omnibus ubique servaretur? Constat ex sequentibus verbis ejusdem Epistolę Constantini -- *Proinde cum hoc ita emendari oporteret, ut nihil nobis commune esset cum illorum Domini interfectorum, & Parricidarum consuetudine; Cumque hic ordo* (nempe Cyclus, ut exposuimus *num.* 19. ex Sancto Leone Magno) *decentissimus sit, quem omnes tam Occidentalium, quam meridianarum, & septemtrionalium Orbis Partium Ecclesiæ, ac nonnullæ quoque Orientalium servant; id circo id æquum, rectumque esse omnes judicarunt, quod & vobis placiturum esse spopondi, ut scilicet, quod in Urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum, per Hispaniam, Gallias, Britannias, Libias, per universam Acajam, per Asianam, & Ponticam Diœcesim, per Ciliciam denique concordi sententia observatur, id vestra quoque Prudentia libentibus animis amplectatur: illud nimirum attendens, non modo majorem esse numerum Ecclesiarum in locis supra memoratis, verum etiam æquissimum esse, ut omnes in commune id velint, quod stricta ratio exigere videtur; nec ullam cum, Judæorum perjurio societatem habere* --. Nicęna ergo Synodus -- *studens* (sunt verba Sancti Leonis Magni in Epistola 64. ad Martianum Augustum) *occasionem hujus erroris* (nempe diversi diei Dominici Paschæ) *auferre* eam sancivit servandæ uniformitatis rationem, quæ in Synodali Epistola ejusdem Concilii legitur *sub num.* 15. *& seqq.* ac prorsus uniformis est allegatis Constantini verbis, nimirum -- *omnes, qui sunt in Oriente Fratres, cum Judæis* [videlicet, ut probatum est *num.* 20. *&* 23. *& seqq.* secundum designationem Cycli Judæorum] *antea facientes* (quidam enim Orientales Cyclo Judaico utebantur, quidam vero ex Orientalibus, ut refert Constantinus nuper allegatus, atque Eusebius *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 25. Pascha eodem die cum Occidentalibus faciebant) *unanimiter cum Romanis, & Alexandrinis . . . . Pascha deinceps agere.*

227 Quapropter animadverti debet, quod Nicænum Decretum de sequendo Romanorum, & Alexandrinorum exemplo, non respicit definitionem temporis, in quo Pascha singulis Annis celebrandum est, ne-

que

que definitionem servandæ uniformitatis in eo Festo recolendo; sed respicit rationem, qua uniformitas in eo Festo celebrando ab omnibus ubique servanda est.

REGREDIMVR AD PRIOREM CONTROVERSIAM sub num. 2. EX QVA DISCESSIMVS.

228 Cum certo pateat, quod Nicæna Synodus exemplum Romanorum æque ac Alexandrinorum tradidit, ut illud alii sequerentur, pro uniformitate ubique servanda in celebratione Paschæ, utique Romana Ecclesia non exhorruit, *lætum, ac festum Resurrectionis diem* agere luna decima quinta. Nemo enim dubitat, & Eminentiss. Noris, & qui Recentiores eum sequuntur, ingenue fatentur, Alexandrinos nunquam exhorruisse Paschæ celebrationem, sed re ipsa tale Festum celebrasse luna decima quinta.

229 Et quidem Sanctus Proterius Martyr Patriarcha Alexandrinus in Epistola ad Sanctum Leonem Magnum apud Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Appendice*, & Bucherium *loc. cit. sic ait* -- *Magisterium Beatissimi Apostoli Petri esse computum Paschalis solemnitatis, quod ab initio per Beatum Marcum ejus discipulum didicerunt Ægyptii, quod etiam primum didicerunt Romani* --. Cum ergo ab eodem Apostolo Petro apud Romanos, Ægyptiosque manaverit Magisterium computi solemnitatis Paschæ, quomodo dici potest, Romanam Ecclesiam exhorruisse, quod perpetuo servarunt Ægyptii?

230 Si veritatem alterius velimus exquirere, Norisius, & qui eum sequuntur, ideo Romanæ Ecclesiæ imputant ipsam exhorruisse celebrationem Paschæ luna decima quinta, quia comminiscuntur, quod necessario simul imputandum erat ne a Victorio Aquitano, ex quo prædictum abhorrimentum deducunt, diffiderent; comminiscuntur, inquam, quod eadem Romana Ecclesia simul consueverit initium primi mensis accipere contra morem Alexandrinum a die quinto Martii, ac diem Paschæ Dominicum non extendere ultra diem 21. Aprilis, nec non etiam usurpare Cyclum Judaicum Annorum 84. At non unum dumtaxat ex hisce tribus, quamvis unum ex ipsis ad evertendam totam Norisii machinam sufficeret, falsum esse patet ex dictis; sed hæc omnia tria evidenter ostendimus a *num.* 145. usque ad numerum 162. *& a num.* 166. usque ad numerum 209. non sine injuria Romanæ Ecclesiæ fuisse imputata. Ergo non sine injuria eidem Romanæ Ecclesiæ imputatum quoque est, ipsam exhorruisse Paschæ celebrationem luna decima quinta.

231 De facto nullum allegatur, neque allegari potest Romanæ Ecclesiæ Decretum, quo ipsa exhorruerit, lætum, ac festum Resurrectionis diem recolere luna decima quinta. Injuria ergo eidem Ecclesiæ imputatur hujusmodi abhorrimentum.

232 E contra vero Romana Ecclesia, quomodo id exhorrere potuit, quod pluribus Decretis vulgavit? Retulimus enim *num.* 3. Concilium Romanum de Anno 198. circiter sub Sancto Victore primo Papa, & Martyre celebratum, illudque pluribus veterum monumentis comprobavimus, in quo -- ibi -- *Decretum est, Pascha, non quarta decima luna primi mensis, sed potius die Dominico post decimam quartam lunam, & ver-*

& vernale Æquinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse -- Retulimus etiam *num.* 7. Epistolam ejusdem Sancti Victoris Papæ ad Theophilum Cæsareæ Palæstinę Episcopum, veterum similiter monumentis comprobatam, in qua decretum est, ut -- *a quarta decima luna primi mensis usque ad vigesimam primam ejusdem mensis eadem celebretur Festivitas* -- & post pauca -- ibi -- *Hæc vero statuta nulla debent improbitate convelli, nulla novitate mutari* (adhibitis postea hisce postremis verbis etiam a Sancto Leone Magno in Epistola 54.) *quia alia est ratio causarum secularium, alia Divinarum*.

233 Istud Romanæ Ecclesiæ Decretum adeo venerata est prima Nicæna Synodus, ut hæc universis Christi Fidelibus, uti constat ex dictis *num.* 9. & 10. tradiderit quæ in allegato Decreto leguntur, adeo ut ipsa nihil novi definiens, sed quæ ab initio, & ab ipsis Apostolorum temporibus custodita erant, docens quemadmodum probatum est *num.* 224. scripto commiserit celebrationem Paschæ die Dominica, *quæ quartam decimam lunam primi mensis subsequitur* -- uti constat ex ejusdem Synodi Decreto, quod retuli *sub num.* 10. ac deinde pluribus vetustissimis monumentis quoad substantiam comprobavi, tum in genere, tum in specie. Quomodo ergo fieri potuit, ut Romana Ecclesia celebrationem Paschæ exhorruerit luna decima quinta?

234 Imo tantum abest, ut Romana Ecclesia id exhorruerit, ut potius Sanctus Sylvester Papa in Concilio Romano de Anno 325. quod retuli *num.* 14. sub anathemate confirmaverit ore proprio quidquid in Nicæna Synodo constitutum fuit; & insuper in hoc eodem Romano Concilio hæc leguntur -- *de Paschæ solemnitate omnibus Episcopis, & Presbiteris præceptum est Paschæ observantiam custodire a luna decima quinta usque ad vigesimam primam, ita ut Dominicus dies coruscet* --. Injuria ergo Romanæ Ecclesiæ imputatum est, quod ipsa exhorruerit *lætum, ac festum Resurrectionis diem* agere luna decima quinta. Eoque fortius id injuria imputatum fuisse dicendum est, si formulam locutionis (nempe *Paschæ observantiam custodire*) in eodem Concilio adhibitam spectemus. Ista namque locutionis formula manifestat, Pascha ante Nicæni Ævum in Romana Ecclesia fuisse celebratum luna decima quinta in Dominicam incidente, non enim custoditur, quod antea servatum non fuit.

235 Denique usque adeo verum est, Romanam Ecclesiam id non exhorruisse, ut ex iis, quæ exhibui *num.* 20. usque ad *num.* 33. evidenter pateat, neminem Christianorum in Orbe fuisse tempore Nicæni Concilii, qui exhorruerit celebrationem Paschæ luna quinta decima in Dominicam incidente, quod ipsum docet etiam eruditissimus Usserius, cujus sententiam retuli *num.* 34. & quem quoad cætera capita deinde confutavi.

236 Rursus animadverto, quod Episcopi Arriani una cum sexaginta Episcopis Catholicis in Antiochena Synodo de Anno 341. congregati decreverunt apud Labbe *tom.* 2. *Concil. pag.* 581. & Harduinum *in Actis Concil. tom.* 1. *pag.* 592. -- ibi -- *Omnes, qui audent dissolvere regulam Sancti, & Magni Concilii Nicæni, quod celebratum est in præsentia Dei amantissimi Constantini Imperatoris de sancta, & salutari festivitate Paschali Salvatoris nostri, excomunicatos, & ejectos ab Ecclesia esse debere* --. Quare si Romana Ecclesia celebrationem Paschæ exhorruisset

luna quinta decima in Dominicam incidente, Arriani infestissimi osores prædictæ Ecclesiæ, utique non omisissent Romanam Ecclesiam objurgare, quippe quæ regulam Nycenæ Synodi dissolvisset? Neminem tamen vidi ex Arrianis, aut alterius sectæ illorum temporum, qui Romanam de hoc arguerit Ecclesiam.

237 At constat potius, summos Romanos Pontifices præcepisse Canonum Prædecessorum suorum observantiam, & consequenter non exhorruisse celebrationem Paschæ luna decima quinta.

Duæ namque Epistolæ leguntur in Bibliotheca veterum Patrum Lugduni edita Anno 1677. *tom.* 27. *pag.* 79. Altera est Aurelii Episcopi Carthaginis, atque Africæ Primatis ad Sanctum Damasum Papam, in qua ipse petit statuta, quæ reperiri potuissent post Sanctum Apostolum Petrum usque ad principium Pontificatus Sancti Damasi. Altera primæ succedit, & est Sancti Damasi Papæ ad eumdem Aurelium, quæ est in ordine XII. tenoris sequentis -- *Scripta sanctitatis tuæ debita veneratione suscepimus, in quibus sitire venerationem, ac prudentiam tuam Apostolica instituta, ut dignum erat, cognovimus. Quæ de re quædam ex his, quæ petisti, misimus. & quædam adhuc, cum iterum miseris, mittere cupimus. Nullum tamen a Beati Petri Principis Apostolorum fine, Prædecessorum nostrorum prætermisimus, de quorum statutis aliquid tibi per Ammonium Presbiterum, & Felicem Diaconum sub certis signaculis non mitteremus. Quæ te & custodire optamus, & aliis prædicanda mandamus, ut ab omnibus inviolate debita veneratione custodiantur, & inviolate serventur, atque ab omnibus futuris temporibus diligenter venerentur* --. Ex hac Epistola non obscure patet, quod apud Sanctum Damasum Papam extabant Prædecessorum summorum Pontificum Canones; & quod ipse Sanctus Pontifex illos inviolate servabat, atque ab omnibus inviolate servandos esse mandavit.

238 Scio quidem, hanc Sancti Damasi Epistolam a quibusdam eruditis censeri suppositıtiam ex eo, quod ipsam legimus datam -- *Gratiano, & Ciricio quarto Coss.* -- qui tempore Pontificatus Sancti Damasi utique Consules non fuerunt. At Antonius Pagi *tom.* 1. *ad Annum Christi* 264. bene docet, non ideo falsam censendam esse Epistolam, de qua ille agit, quia falsum titulum præfert -- ibi -- *Innumeris enim exemplis constat indubitatæ antiquitatis Epistolas Exscriptorum errore falsos titulos præferre* --. Cum ergo falsa censenda non sit Epistola falsum titulum præferens, neque falsa reputanda est allegata Sancti Damasi Epistola, ex quo ipsa habeat simili Exscriptorum errore adnotatos Consules, qui tempore Sancti Damasi Papæ Consulatum non gesserunt; eoque fortius falsa reputanda non est, tum, quia si quis hujusmodi falsitatem edere ausus esset, utique hanc propriis Consulum nominibus occultasset; tum, quia Epistolam Sancti Damasi convalidat correspectiva Epistola Aurelii circa petitionem eidem Sancto Damaso factam. Pastoralis vero sollicitudo, qua Aurelius Carthaginensem rexit Ecclesiam, & quam manifestant tot Synodi Carthaginenses sub eodem Aurelio celebratæ, hujus petitionem veritati consonam reddit.

239 Nec solum Sanctum Damasum, sed etiam Siricium Papam clare patet, illibate servasse præallegatos Canones. Hic enim in Epistola prima ad Himerium Tarraconensem apud Labbe *tom.* 2. *Concil. pag.* 1217. post quam postulatis responsum reddidit, sic ait -- *Nunc Fraternitatis tuæ*

tuæ animum ad servandos Canones, & tenenda Decretalia constituta magis, ac magis incitamus.

240 Sanctus vero Innocentius primus Papa in Epistola ad prælaudatum Aurelium, de qua fuit sermo *sub num.* 193. & *Quæst. tertia num.* 29. & *seqq.* docuit, Pascha Anni 414. celebrandum fuisse die 22. Martii. At quia Novatiani propter Pazzense, ac deinde Sangariense Conciliabula inferius commemoranda jam scissi a Romana Ecclesia, isto die 22. Martii colligebant lunam decimam sextam, ac propterea in eo die Pascha peragebant, idem Sanctus Innocentius docuit, prædicto die 22. Martii fuisse lunam decimam quintam, ut evidenter patefeci *Quæst.* 3. *num.* 30. An non igitur injuriosum non est, Romanæ Ecclesię imputare, quod ipsa exhorruerit Paschę celebrationem luna decima quinta in Dominicam incidente?

241 Patres Concilii Calcedonensis sub Sancto Leone Magno celebrati, Actione decima quinta apud Conciliorum Collectionem regiam maximam *tom.* 2. *pag.* 602. ita decreverunt — ibi — *Regulas a Sanctis Patribus in unaquaque Synodo usque nunc prolatas teneri mandamus*. Ergo Romanorum exemplum ęque, ac Alexandrinorum sequendum esse decreverunt; certum enim est, quod Nicęna Synodus hanc regulam pręstituit, uti constat ex Nicæni Decreto nuper allegato *num.* 233. atque ex Synodali Epistola ejusdem Nicęni relata *num.* 15. atque ex Epistola Constantini Magni *sub num.* 19. hanc regulam, inquam, pręstituit, ut non solum Pascha perageretur die Dominica, *quæ quartam decimam primi mensis lunam subsequitur*, quemadmodum id ipsum legitur in Concilio Romano de Anno 198. atque de Anno 325. verum etiam omnes exemplum Romanorum, Alexandrinorumque sequerentur. Quomodo ergo dici potest, Romanam Ecclesiam ab Alexandrinis ita discrepasse, ut ipsa exhorruerit Paschę celebrationem luna decima quinta?

242 Merito itaque Sanctus Leo Magnus pronuntiat dicens apud Dionysium Exiguum in Epistola ad Proterium, relata a Petavio *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* & a Bucherio *loc. cit.* — ibi — *Contra statuta Canonum Paternorum, quæ ante longissimæ ætatis Anno in Urbe Nicæa spiritualibus sunt fundata Decretis, nihil cuiquam addere conceditur, ita ut, si quis diversum aliquid velit decernere, se potius minuat, quam illa corrumpat. Quæ si, ut oportet, a cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax; & firma concordia.* Et iterum — *In omnibus*, inquit, *Ecclesiasticis causis his legibus obsequimur, quas ob pacificam observantiam omnium Sacerdotum per* 318. *Antistites Spiritus Sanctus instituit, ita ut etiamsi multi plures aliud, quam illi statuere, decernant, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit a prædictorum Constitutione diversum* —. Hęc vero verba vere fuisse Sancti Leonis, constat ex ejusdem Epistola 55. ad Pulcheriam Augustam.

243 At quoniam Victorius Aquitanus, qui hortatu Sancti Hilari, Romanę Ecclesię Archidiaconi, ac deinde in Pontificatu Romano successoris Sancti Leonis Magni scripsit Anno 557. suum Prologum Paschale, relatum a Petavio *loc. cit.* & a Bucherio *loc. cit.* ait se quædam Paschata duobus diebus eodem Anno affixisse — *ubi luna decima quinta, & dies Dominica, & post septem dies luna vigesima secunda conscribitur, non meo judicio aliquid definitum; sed pro Ecclesiarum pace, Apostolici Pontificis electioni servatum, quatenus nec ego, quod ad meum pertinebat offi-*

 cium

cium, preteriren, & in ejus constitueretur arbitrio, qui universali Ecclesiæ præsideret, quænam potissimum dies, in tali conditione, solemnitati præcipuæ deputetur —.

Quid ad hæc summus Romanus Pontifex? Sanctus Hilarus, ad quem Victorius Prologum suum direxit, initio sui Pontificatus confirmavit, ut legitur in ejusdem Sancti Hilari vita in libro Pontificali apud Labbe *tom. 5. Concil. pag.* 54. confirmavit, inquam, Synodum Nicænam, Ephesinam, & Calcedonensem. Cum ergo, uti constat ex dictis, Nicæna Synodus tradiderit ea ipsa, quæ Sanctus Victor Primus Papa decreverat, nec non, ut omnes exemplum etiam Alexandrinorum sequantur; Et cum Synodus Ephesina, & Calcedonensis mandaverit [apud Labbe *tom.* 4. *Concil. pag.* 907. & respective *pag.* 1703. Edit. venet. de anno 1728.] teneri regulas a Sanctis Patribus in unaquaque Synodo usque nunc prolatas; & insuper in hisce Synodis pronunciatum fuerit apud Labbe *loc. cit. pag.* 127. *& pag.* 207. ac respective *pag.* 1152. —. *Omnis, qui non celebrat Sanctum diem Paschæ secundum Ecclesiæ Catholicæ statuta; anathema sit* —; consequens est, Sanctum Hilarum non admisisse dilationem Paschæ in lunam vigesimam secundam, neque Cyclum prælaudati Victorii, qui ab Alexandrinorum Cyclo dissidebat. Quoniam idem Sanctus Hilarus in Concilio Romano, quod celebratum fuit Anno 465. apud Labbe *tom.* 5. *Concil. pag.* 87. & Harduinum *in Actis Concil. tom.* 2. *pag.* 199. sic statuit — *Ut nulli fas sit sine statu sui periculo vel divinas Constitutiones, vel Apostolicæ sedis Decreta temerare* —. Tanta fuit Ecclesiæ Romanæ constantia in custodienda Paschæ celebratione die Dominica, *quæ quartam decimam lunam* primi mensis subsequitur.

244 Merum ergo commentum est, nec sine injuria Romanæ Ecclesiæ vulgatum, ipsam Ecclesiam prioribus quinque Christi sæculis *exhorruisse lætum, ac festum Resurrectionis diem agere luna decima quinta*; sicuti evidenter deinceps ostendam, non minori injuria fuisse eidem Ecclesiæ imputatum, quod ipsa consueverit hoc Festum celebrare luna vigesima secunda, dimissa quinta decima.

AD ALTERAM CONTROVERSIÆ PARTEM PROGREDIMUR, QUÆ EST, AN ROMANA ECCLESIA PRIORIBUS QUINQUE CHRISTI SÆCULIS CONSUEVERIT PASCHÆ FESTUM RECOLERE LUNA VIGESIMA SECUNDA, DIMISSA XV.

245 Quoties tempore controverso constat de regula, quam pro celebratione Paschæ tradit Romana Ecclesia, a ratione prorsus alienum est dubitare, an ipsa secundum talem regulam illud Festum celebraverit; præsertim cum agatur de temporibus ab hinc remotissimis; scriptores vero communiter ex dato alicujus Ecclesiæ Canone, factum inferant eidem Canoni uniforme. Cum igitur ex dictis *num.* 232. *& seqq.* pateat, Ecclesiam Romanam pluribus Sacris Canonibus docuisse, qui nam dies a Christi Fidelibus teneri debeat pro citimo, & qui dies pro ultimo diei Dominici Paschæ termino, nempe a decima quinta primi mensis

mensis usque ad vigesimam primam inclusis terminis, legitime infertur, eamdem Ecclesiam non aliter Pascha celebrasse; eoque fortius, quia Sanctus Victor primus Papa, & Martyr in fine Epistolæ ad Theophilum superius allegatæ *num.* 232. dixit -- ibi -- *Hæc vero statuta nulla debent improbitate convelli, nulla novitate mutari, quia alia est ratio causarum sæcularium, alia Divinarum*.

246 Nihilominus ex abundanti patefaciam, Romanam Ecclesiam realiter celebrasse Pascha luna decima quinta, ac propterea hoc Festum non prorogasse in lunam vigesimam secundam.

247 Neminem tum veterum, tum Recentiorum scriptorum controvertisse vidi, sed omnes cum Norisio unanimiter affirmant, Ecclesiam Alexandrinam semper peregisse Festum Paschæ post Æquinoctium luna decima quinta in Dominicam incidente. Hoc posito; consequens est, idem observatum semper fuisse etiam a Romana Ecclesia.

248 Primo, quia ex Eusebio in priori Chronicorum libro, *pag.* 44. habetur -- ibi -- *Marcus autem Evangelista, interpres Petri, in Ægypto, & Alexandriæ Christum annuntiat sub Claudio, quinto Romanorum Imperatore* --. Ergo cum Discipulus doctrinam a Magistro acceptam custodiat, & observet, non aliter Petrus Romæ, quam Marcus in Ægypto, & Alexandriæ Pascha celebrabat, quod apertius patefaciunt verba Sancti Proterii Martyris Patriarchæ Alexandrini superius relata *num.* 229. Ab ipso igitur Ecclesiæ exordio Romani more Alexandrinorum Pascha agebant quinto decimo die lunæ in Dominicam incidente; quod ipsum disertis verbis confirmat Venerabilis Beda *lib.* 5. *Eccles. Hist. Gentis Angl. cap.* 25. *At vero Petrus, cum Romæ prædicaret, memor quia Dominus prima Sabbati resurrexit a mortuis, ac mundo spem resurrectionis contulit, ita Pascha faciendum esse intellexit, ut secundum consuetudinem, ac præcepta Legis, decimam quartam lunam primi mensis, æque sicut Joannes, orientem ad vesperam semper expectaret: & hac exorta, si Dominica dies (quæ tunc prima Sabbati vocabatur) erat mane ventura in ipsa vespera Pascha Dominicum celebrare incipiebat, quomodo & nos omnes hodie facere solemus: sin autem Dominica non proximo mane post lunam decimam quartam, sed decima sexta, aut alia qualibet luna usque ad vigesimam primam esset ventura, expectabat eam, & præcedente Sabbato vespere sacrosancta Paschæ solemnia inchoabat, sicque fiebat, ut Dominica Paschæ dies non nisi a decima quinta luna usque ad vigesimam primam servaretur. Neque hæc Evangelica, & Apostolica Traditio Legem solvit, sed potius adimplet &c.* --. Istum vero celebrandi Paschæ morem, quem Romani tum ab Apostolo Petro, uti supra, tum ab Apostolo Paulo in Epistola prima ad Corinthios, ut exposui *Quæst. tertia num.* 66. *& seqq.* acceperunt, iidem Romani toto controverso tempore retinuerunt. Socrates enim sic refert *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 21. *pag.* 294. *Romani vero, & qui Occidentis Partes incolunt, consuetudinem, quæ apud ipsos viget, a Paulo, Petroque Apostolis accepisse se dicunt* --.

249 Secundo, quia Nicæna Synodus, ut uniformitas in celebratione Paschę ubique servaretur, exemplum Romanorum ęque ac Alexandrinorum sequendum tradidit, ut certo constat etiam ex Synodali Epistola ejusdem Concilii relata *num.* 15. Romana igitur Ecclesia consueverat Pascha celebrare, qua luna decima quinta Alexandrini illud celebrabant. Si namque Romana Ecclesia contra morem Alexandrino-

rum

rum consuevisset hoc Festum recolere luna vigesima secunda, dimissa luna decima quinta, Nicęna Synodus contradixisset, quod absit, precipiens scilicet Pafchę uniformitatem, sive clarius — *eam Festivitatem* (sunt verba allegatę Epistolę Constantini Magni) *uno, eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere* — Simulque sequendum esse exemplum Romanorum, & Alexandrinorum, qui inter sese diffidissent.

250 In prædictorum confirmationem, animadversione dignum est, Theophilum Cæsareæ Metropolitam Romano Concilio 198. interfuisse, uti constat ex vita Sancti Victoris Papæ primi *apud Anastasium Bibliothecarium*; eumdemque Theophilum ab ipso Sancto Victore accepisse auctoritatem, ut Concilium Cæsariense celebraret, quemadmodum legitur in Proemio Actuum hujus Concilii apud Venerabilem Bedam *lib. de Vernali Æquinoctio prope finem*, apud Regiam Collectionem Conciliorum *tom. 1. pag. 261.* apud Binium *loc. cit.* apud Bucherium *loc. cit. pag. 93. & alios*. Ex quibus serio expensis legitime infertur, ipsum Theophilum non aliter celebrasse Pascha, quam a Romana Ecclesia fuit celebratum; eoque fortius, quia vidimus *num.* 8. Cæsariense Concilium ea decrevisse, quæ Romanum Concilium, Sanctusque Victor statuerunt. Eusebius vero *lib. 5. Eccles. Hist. cap. 25.* cum servaverit fragmentum Synodalis Epistolæ præmemorati Cæsariensis Concilii, de ipsa Epistola refert hæc verba — *Illud etiam vobis significamus eodem, quo apud nos, die Pascha Alexandriæ celebrari. A nobis enim ad illos, & vicissim ab illis ad nos litteræ perferuntur, ita ut uno consensu, & simul sacrosanctum peragimus diem*. Cum ergo Alexandrini consueverint Pascha peragere luna quinta decima, in Dominicam incidente, hoc eodem modo illud celebrare consueverant etiam Patres Cæsariensis Concilii, & consequenter hoc eodem modo consueverat Pascha peragere Romana Ecclesia, quæ, uti supra, cum Theophilo Cæsariensi Metropolita consentiebat.

251 Quod resultat ex inducta consonantia Romanæ Ecclesiæ cum Alexandrina; ac etiam Cæsariensium Patrum cum eadem Alexandrina; ac denique istorum Patrum, prout consequens etiam erat, cum Romana, & Alexandrina; id ipsum manifestant ea, quę nuper exhibuimus *num.* 230. Qui enim dimissa luna quinta decima Pascha differebant in lunam vigesimam secundam, tria hęc simul usurpabant, initium scilicet Neomeniarum Paschalium die quinto Martii; ultimum terminum diei Dominici Paschę non ultra diem 21. Aprilis; ac denique Cyclum Judaicum constantem Annis 84. Cum ergo patefecerim *a num. 145. usque ad num. 162. & a num. 166. usque ad num.* 209. falsum esse, quod Romana Ecclesia tria hęc usurpaverit, falsum quoque est, quod ipsa celebrationem Paschę differre consueverit in lunam vigesimam secundam, dimissa quinta decima.

252 Imo ex iis, quę exhibuimus *a num.* 20. usque ad *num.* 33. manifesto patet, neminem Christianorum in Orbe fuisse tempore Nicęni Concilii, qui Pascha distulerit in lunam vigesimam secundam, dimissa quinta decima in Dominicam incidente, quod dixit etiam Usserius *sub n.* 34.

253 Profecto vidimus ex Eusebio *sub num.* 24. quod omnes Ecclesię, exceptis Quartadecimanis, & consequenter Romana quoque Ecclesia, Traditionem Apostolorum semper servaverint. Ista vero Traditio docet celebrationem Paschę luna quinta decima in Dominicam inciden-

te,

te, uti clare constat ex allegatis verbis Concilii Romani de Anno 198. atque ex verbis Apostoli Pauli expositis *Quæst. tertia num. 66. & seqq.* qui docuit, Pascha celebrandum esse non tempore fermenti veteris, hoc est, non quarto decimo die lunæ, sed tempore Azymorum, hoc est, a quinto decimo primi mensis usque in vigesimum primum. Ergo Romana Ecclesia celebrationem Paschę semper servavit luna quinta decima in Dominicam incidente.

254 Revera Sanctus Victor primus Papa in Epistola tertia apud Labbe *tom. 1. Concil. pag.* 602. fidem facit docens – ibi – *non decima quarta luna cum Judæis, sed decima quinta usque ad vigesimam primam Pascha Catholica Ecclesia celebravit* –. Quomodo ergo sine injuria Romanę Ecclesię non imputatur, ipsam consuevisse celebrationem Paschę differre in lunam vigesimam secundam, dimissa quinta decima? Eruditi suspectam habent hanc Sancti Victoris Epistolam; sed nihil in ea legitur, quo suspicio deduci possit. Verba vero allegata, cum Controversię statum respiciant, suspectam reddere nequeunt Epistolam, nisi contraria probatio pręmittatur, quod tantum abest id fieri posse, ut potius illa verba veritati consona resultent ex dictis.

255 At non prędicta solum, sed plura alia manifestant, Romanam Ecclesiam consuevisse celebrationem Paschę luna decima quinta. Ex verbis enim Synodalis Epistolę Concilii Arelatensis de Anno 314. relatis *num.* 31. id aperte deduximus *eodem num.* 31. §. *Quare &c.* ac deinde confirmavimus exemplis tum Episcoporum Gallię, tum Episcopi Mediolanensis, qui prędicto Arelatensi Concilio interfuerunt, consueverantque, ut probatur *num.* 32. & 33. Paschę celebrationem luna decima quinta. Ex iis enim, quę exhibuimus *num.* 31. certum est, quod Patres Arelatensis Concilii, inter quos recensentur quatuor ex Urbe Roma Legati Sancti Sylvestri Papę, ipsum Paschę diem observabant, quemadmodum retulit etiam Socrates allegatus *num.* 29. dicens – *Omnes ad Occidentis Partes . . . . nunquam inter se dissenserunt*.

256 Vis ne pręcipua Paschata celebrata die lunæ quinto decimo? Ea ex vetustissimo Paschali laterculo exhibuimus *num.* 70. scilicet Anni Ærę vulgaris 313. & Anni 320. & Anni 323.

Norisius *loc. cit. pag.* 30. mentionem facit de memorato solum Paschate Anni 313. atque concordat fuisse celebratum die 29. Martii, sed dicit, tunc fuisse lunam decimam sextam, quam deducit ex Cyclo Alexandrinorum, sive clarius ex Cyclo Nicęno. Videas quęso anacronismum maximum. Iste Cyclus nondum erat in esse, & tamen Norisius ex eo deducit lunam decimam sextam die 29. Martii Anno 313.; Revera ante Nicęni Ævum in usu quidem erat Romanę Ecclesię decennovennalis Cyclus, ut dixit etiam Ceolfridus Abbas apud Bedam *sub num.* 183. Cyclus nempe aureorum numerorum Julii Cęsaris, Anno tamen 260. ejusdem Ærę Christi emendatus a Sancto Dionysio Archiepiscopo Alexandrino, ut probatum est *num.* 61. *& seqq.* Qui Cyclus non lunam decimam sextam, sed lunam quintam decimam designabat diebus, quibus ex pręcitato laterculo constat, Pascha illorum Annorum fuisse celebratum.

257 Huc usque dicta mirifice confirmat Constantinus Magnus. Hic enim in Epistola de Synodo Nicæna ad absentes Episcopos, jam relata *num.* 19. sub litera *d.* ista pręfert verba – *consensu unanimi* –, quibus præcise

præcise infertur [ut explicavimus *num.* 21.] ab eodem Constantino fuisse observatum celebrandi Paschæ ritum die Dominico a xv. ad xxi. inclusis terminis. Cum ergo hunc ritum ipsemet Constantinus servaverit, ex hoc religiosissimi Imperatoris testimonio evidenter resultat, quod eumdem ritum servaverint etiam summi Romani Pontifices, non solum quia isti ex decreto Arelatensis Concilii de Anno 314. *sub num.* 31. allegati, Epistolam ad omnes Ecclesias — *juxta consuetudinem* — dirigebant, diem celebrandi Paschæ annunciantes; verum etiam, quia nemo dubitat, prælaudatum Constantinum habuisse Romæ suam Sedem Bizzantii translatam Anno Æræ vulgaris 330. circiter; ac propterea ipsum Constantinum Romæ saltem Cathecumenum Pascha celebrasse secundum Romani Pontificis indictionem. An non igitur injuriosum non est Romanæ Ecclesiæ imputare, quod ipsa hoc Festum in lunam vigesimam secundam distulerit dimissa quinta decima?

258 Quod ex allegata Constantini Epistola accepimus ante Nicænum Concilium fuisse servatum, Nicæni Patres in Synodali Epistola, quam retuli *num.* 15. dixerunt servatum fuisse — *ab ultima antiquitate* — Quamobrem res adeo clara est, ut ne in dubium revocari possit, Romanam Ecclesiam ab ipsis Apostolorum temporibus perpetuo consuevisse celebrationem Paschæ luna decima quinta in Dominicam incidente.

259 Quod ipsum manifestat etiam locutionis formula, quæ in Concilio Romano Anni 325. relato *sub num.* 14. adhibita fuit, scilicet — *Paschæ observantiam custodire a luna decima quinta usque ad vigesimam primam* — non enim custoditur, quod temporibus tunc præteritis ita servatum non fuit.

260 Peracto autem Concilio Nicæno Rufinus Aquilejensis *in Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. postquam de Pascha locutus est, immediate prosequitur — dicens — *omnibus rite dispositis* (videlicet a Nicæna Synodo) *Ecclesiarum Pax, & Fides in Orientis, atque Occidentis Partibus una, atque eadem servabatur* —. Si igitur Ecclesiarum Pax in celebrando Paschate servabatur, utique in condigna veneratione habebatur Nicæna dispositio. Cum ergo in præallegata Synodali Epistola Nicæni Concilii certo constet, præstitutum fuisse, ut omnes exemplum Romanorum, Alexandrinorumque sequerentur, in dubium revocari nequit, quod Romana Ecclesia Festum Paschæ celebraverit luna decima quinta, quoniam in dubium revocari nequit, ita ab Alexandrinis fuisse celebratum. Ista fortius procedunt si animadvertantur ea quæ deducta sunt *num.* 18. *in fine*.

261 Id quidem iis consonum est, de quibus claram fidem facit Sanctus Ambrosius *Epistola* 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos affirmans — ibi — *Hæc Lex Paschæ nobis servanda est, ut non quartam decimam observemus in die resurrectionis sed* [nempe observemus hanc] *in die magis Passionis* [quem nempe S. Doctor inferius explicat fuisse lunam quintam decimam] *aut certe aliis proximis superioribus diebus* (qui proximi superiores dies sunt luna xvi. xvii. xviii. xix. xx. & xxi.) *quia Resurrectionis celebritas die Dominica celebratur* —. Si id Lex Paschæ præcipiebat, quomodo dici potest, quod id non observaretur, maxime cum ipse S. Doctor dixerit quod hæc Lex Paschæ — *nobis servanda est*?

Rursus fidem facit, affirmans quod Pascha — ibi — *usque ad vigesimam*

gesimam primam lunam consuevit extendi --. Sanctus Doctor non dicit usque ad vigesimam secundam, quo casu a citimo diei Dominici Paschæ termino exclusa necessario fuisset luna decima quinta; sed dicit -- *usque ad vigesimam primam lunam consuevit extendi*; ac propterea necessario consueverat adhiberi citimus diei Dominici Paschæ terminus luna decima quinta. Quando namque luna vigesima prima in Dominicam incidit, quæ Dominica ei proxime antecedit, perpetuo consociat lunam quartam decimam, de qua idem Sanctus Ambrosius *loc. cit.* sic dicit -- *Hæc Lex Paschæ nobis servanda est, ut non* quartam decimam observemus in die Resurrectionis --.

262 Sanctus Ambrosius ad relata per Paulinum in ejusdem vita, Romæ educatus, liberalibusque Disciplinis edoctus fuit; quare Sanctum Doctorem de Romana etiam consuetudine locutum esse dubitandum non est. At dato per modum hypothesis, quod ipse allegata verba protulerit de Mediolanensis Ecclesiæ consuetudine; nihilominus id ipsum quoque resultaret de consuetudine Romanæ Ecclesiæ, tum quia vidimus ex Arelatensi Concilio *sub num.* 33. nullum fuisse dissidium inter Mediolanensem, & Romanam Ecclesiam; tum quia summus Romanus Pontifex ex eodem Arelatensi Concilio, cui Episcopus Mediolanensis interfuit, Epistolas -- *ad omnes juxta consuetudinem* -- dirigebat, diem celebrandi Paschæ annuntians; tum etiam quia Constantinus Magnus in Epistola relata *sub num.* 19. sub litera *g.* fidem facit, quod id ipsum -- in Urbe Roma perque omnem Italiam Africam, Ægyptum . . . . concordi sententia observatur --; tum denique quia Socrates allegatus *num.* 29. refert, quod -- *Omnes ad Occidentis Partes, & ipsum usque Oceanum . . . . . nunquam inter se dissenserunt.*

263 Cum divo Ambrosio concordat Sanctus Augustinus, qui in Epistola 55. ad Inquisitiones Januarii, expressam fidem facit -- ibi -- *Tertia hebdomada Lunæ Pascha celebratur, qui dies occurrit a quarta decima in vigesimam primam* --. Quid clarius, quid evidentius induci potest, ut certo concludamus, Romanam Ecclesiam non distulisse celebrationem Paschæ in lunam vigesimam secundam dimissa decima quinta?

264 Nec dubitari potest, Sanctum Augustinum celebrasse Pascha, quo præcise die Ecclesia Romana celebrabat. Episcopatus enim Hipponensis, quem sanctissime rexit Divus Augustinus, ex Canone octavo Concilii Nicæni primi apud Labbe *tom.* 2. *Concil. pag.* 463. atque ex Canone secundo Concilii Constantinopolitani Anno 381. celebrati apud Labbe *tom.* 2. *pag.* 958. & Harduinum *tom.* 1. *pag.* 810. non spectabat ad Ecclesiam Alexandrinam, sed ad Africam Occidentalem, ac propterea ad Ecclesiam Carthaginis. In Concilio autem Carthaginensi tertio celebrato Anno Domini 397. præsidente Aurelio Carthaginensi Episcopo; & Primate Africæ Canone primo apud Labbe *tom.* 2. *pag.* 1197. & Harduinum *tom.* 1. *pag.* 962. sancitum fuit -- ibi -- *ut omnes Africæ Provinciæ Episcopi observationem Paschalem ab Ecclesia Carthaginensi curent accipere* --. In Concilio Carthaginensi quarto, cui interfuit Sanctus Augustinus præsidente Aurelio prædicto, Canone sexagesimo quinto apud Labbe *tom.* 2. *pag.* 1205. & apud Harduinum *tom.* 1. *pag.* 983. sancitum fuit his verbis -- *Paschæ solemnitas uno die, & tempore celebranda* --. In Concilio denique Carthaginensi quinto, eodem

dem Anno celebrato, licet revera sit quartum ab Imperio Constantini, & illud quintum, Canone septimo apud Labbe *loc. cit. pag.* 1216. & Harduinum *loc. cit. pag.* 987. statutum fuit his verbis -- *Placuit, ut dies venerabilis Paschæ Formatarum subscriptione omnibus intimetur* --. Ergo Sanctus Augustinus Pascha celebravit, quo die ab Ecclesia Carthaginensi indictum erat. Sed Carthaginensi Ecclesiæ dies celebrandi Paschæ annuntiabatur a summo Pontifice Romano, prout sancitum jam fuerat in allegato Arelatensi Concilio, propter Africanam Donatistarum caussam convocato, & pront evidenter ostendit Epistola Sancti Innocentii Primi Papæ ad prælaudatum Aurelium relata, atque exposita *Quæst. tertia, num.* 29. *& seqq.* adeo ut Oudinus *tom.* 1. *sect.* 5. *cap.* 6. *pag.* 1034. sic loquatur -- *Cartaginensis Episcopus cæteris Africæ Episcopis solemnem indicebat Paschalis diem, quem tamen Pontifex Maximus præscripserat, ut ex Epistola X. Innocentii Primi ad Aurelium Carthaginensem Episcopum aperte convincitur* --. Ergo Sanctus Augustinus Pascha celebrabat, prout indictum erat a summo Romano Pontifice, ac propterea illud celebrabat, quo præcise die a Romana Ecclesia peragebatur, nempe, *tertia hebdomada Lunæ . . . . qui dies* (*Dominicus*) *occurrit a quartadecima in vigesimam primam*.

265 Prædictis accedit irrefragabile testimonium Sancti Innocentii Primi Papæ, qui præmemorato Aurelio Primati Africæ Pascha Anni 414. indixit Dominico die 22. Martii, ac signanter luna decima quinta, uti clarum feci *num.* 193. apertius autem *Quæst. tertia num.* 29. *& seq.*

266 Sanctus vero Gaudentius Brixiæ Episcopus, cujus obitum Labbeus apud Cave reponit in Annum 427. alii autem citius, *Sermone primo pag.* 27. fidem facit -- ibi -- *nec intra quartam decimam lunam, nec ultra vigesimam primam celebrare possumus, quia septem tantum dies sunt Azymorum Paschalium* (nimirum a decima quinta luna inclusive usque ad vigesimam primam) *in quibus Dominicum quærimus diem*.

267 Gennadius denique *De Ecclesiasticis Dogmatibus ad Gelasium Papam*, Presbiter (ut inquit Pagius, & Cave) Presbiter, inquam, Massiliensis, insertus in Operibus Sancti Augustini *tom.* 8. *in fine* sic ait -- *Pascha, idest, Dominicæ Resurrectionis solemnitas ante transgressum vernalis Æquinoctii, & quartæ decimæ lunæ perfectionem non potest celebrari, eodem tamen mense natæ* --. In manuscripto autem *apud eumdem tom.* 8. Sancti Augustini relato, loco istorum verborum -- *& quartæ decimæ lunæ perfectionem* -- clarius legitur -- *& quintæ decimæ lunæ initium* --. Non legitur, quod celebrari non possit ante decimæ sextæ initium, sed -- *ante quintæ decimæ lunæ initium* --; ac propterea Gallicana Ecclesia Pascha celebrabat luna quinta decima primi mensis in Dominicam incidente. Non ergo aliter celebrabat Romana Ecclesia, quæ eidem Gallicanæ diem celebrandæ Paschæ annuntiabat ex memorato Arelatensi primo Concilio, atque, uti de facto constat ex Epistola 95. Sancti Leonis Magni ad Episcopos Galliarum, & Hispaniarum.

268 Evidenter igitur patet, merum esse commentum, quod Romana Ecclesia non solum exhorruerit celebrationem Paschæ luna decima quinta, verum etiam, quod ipsa consueverit illud Festum recolere luna vigesima secunda, dimissa quinta decima.

269 At quid ad hæc Eminentiss. Noris? ne verbum quidem, sed arguens immerito Christophorum Clavium, qui in *Explic. Calend. cap.* 1. *num.* 7.

num. 7. §. *nec vero &c. & alibi*, affirmat, eumdem fuisse morem Ecclesiæ Romanæ, & Orientalis, sese faciliter expedit his verbis *in Differt. de Paschali Latinorum Cyclo pag.* 99. memoratæ editionis Lipsiæ Anni 1696. – ibi – *Nullus ergo tunc* (nempe primis quinque Christi sæculis) *erat Canon, quo Pascha luna decima quinta in diem Dominicum incidente celebrandum decerneretur* –. Falsitatem hujus Norisianæ consequentiæ evidenter ostendunt verba Apostoli Pauli, quæ exposui *Quæst. tertia num. 66. & seqq.* nec non repetita Ecclesiæ Decreta, vetustissimis etiam monumentis comprobata *a num.* 3. *usque ad num.* 21. At nihilominus videamus unde nam Norisius hujusmodi consequentiam deducat.

270 Existimavit Norisius, quod prioribus quinque Christi sæculis Romana, ac totius Occidentis Ecclesia consueverit Pascha peragere luna vigesima secunda; indeque præallegatam infert consequentiam. Sed falsum esse jam patefeci, quod istud Romana ac totius Occidentis Ecclesia consueverit; ergo præallegata Norisii consequentia similiter falsa est. Petes tamen, cui nam fundamento innixus Eminentiss. Noris tam constanter affirmet prædictam Romanę Ecclesię consuetudinem?

QUÆ FUERINT NORISII FUNDAMENTA, ET EORUMDEM CONFUTATIO.

271 Ecclesiæ Romanæ Canonem de celebrando Paschate luna vigesima secunda nullum allegat, neque allegare potest Norisius, sed illum deducit *loc. cit.* §. *Laudati pag.* 97. *& seqq.* ex asserto Sancti Hippolyti Martyris Cyclo, qui Romę effossus fuit Anno 1551. atque scalptus in marmorea sede legitur, latine redditus a Josepho Scaligero, Bucherio, recenter vero ab Illustriss. Blanchino, & in quo hæc quatuor discernuntur, scilicet; citima neomenia Paschalis a die quinto Martii desumitur; citima diei Paschæ Dominica adnotatur die 20. Martii; quam tardissima Paschæ Dominica collocatur die 21. Aprilis; dies denique Paschæ Dominicus a luna decima sexta ad lunam vigesimam secundam diffunditur. Quæ Norisius deducit ex hoc Cyclo Sancti Hippolyti, confirmat verbis Victorii Aquitani in Prologo. Hæc sunt Norisii fundamenta. Cujus autem roboris ipsa sint, experiemur in sequentibus; & primo quoad inductum Cyclum Sancti Hippolyti.

272 Ex dato Cyclo Sancti Hippolyti Norisius supponit id, quod erat probandum, scilicet, supponit usum ejusdem Cycli. Quot Cycli a clarissimis Viris editi sunt præsertim hoc sæculo? & tamen nullus eorum in usu receptus fuit, imo tantum abest, ut Cyclus Sancti Hippolyti receptus fuerit, ut potius constet ut dictum est, in usu receptum non fuisse.

273 Eusebius enim *lib.* 6. *Hist. Eccles. cap.* 22. sic ait – *Hippolytus . . . . librum de Pascha composuit, in quo temporum seriem describens, & Canonem quemdam Paschalem per sexdecim Annorum circulum exhibens Anno primo Imperatoris Alexandri computationem temporum circumscribit* –. Eusebius ergo cum utatur verbo, quod terminationem, seu finitionem designat, utique manifestat, Cyclum Sancti Hippolyti in usu receptum non fuisse. Et quidem Sanctus Hippolytus Anno primo Imperii Alexandri affigens Epocham sui Cycli ostendit, hunc suum con-

Ee 2 fecisse

fecisse Cyclum post primum Annum ejusdem Imperii. Epocha enim Initio cujusvis Imperii locata necesse est, ut elucubrationem Cycli præcesserit. Eusebius igitur, dum exponit, Sanctum Hippolytum Anno primo Imperii Alexandri circumscripsisse suam temporum computationem, indicavit, quod Cyclus Sancti Hippolyti designat computationem temporum non secundo; aut tertio, nec reliquis Annis; sed solum primo Anno prædicti Imperii; idque ex eo, quia iste Cyclus Paschalem quartam decimam Anni 222. Æræ vulgaris, ac primi Imperii Alexandri proclamat, quo die 13. Aprilis ipsemet Sanctus Hippolytus disertis verbis initio sui Canonis narrat, quartam decimam Paschæ tunc contigisse. Ad instar enim tituli Sanctus Hippolytus initio sui Canonis hæc verba adnotavit relata per Josephum Scaligerum *de Emend. Temp. lib. 2. pag. 153. & lib. 7. pag. 123. Editionis Geneven. &c.* ac per Ægydium Bucherium *loc. cit.* nec non per Illustriss. Blanchinum *De Cyclo Sancti Hippolyti* — ibi — *Anno primo Regiminis Alexandri Imperatoris facta est quarta decima Paschæ idibus Aprilibus, Sabbato, cum mensis Embolimæus fuisset. Erit sequentibus Annis, sicut in Tabula subjectum est. Evenit vero in præteritis, sicut indicatum est. Solvere autem oportet, jejunium, ubi Dominica inciderit* —.

274 Quæ ex Eusebio deduximus, clarius manifestat Sanctus Hieronymus. qui *tom. 4. In Cathalogo script. Ecclesiast.* dixit, quod — ibi — *Hippolytus . . . . . rationem Paschæ, temporumque Canones scripsit usque ad primum Annum Alexandri Imperatoris* —. Hac namque dicendi ratione Sanctus Hieronymus ostendit, Cyclum Sancti Hippolyti non fuisse approbatum, neque ad praxim deductum. Sanctus enim Doctor non ignorasse creditur, quod Sanctus Hippolytus suo Cyclo Epocham fixerit prædicto Anno primo Imperii Alexandri; nec simpliciter dixisset, eumdem Sanctum Hippolytum scripsisse usque ad Annum primum ejusdem Imperatoris, si in sequentibus Annis Ecclesia illius Cyclum amplexa fuisset, & ad praxim deduxisset. Quare illis verbis Sanctus Hieronymus per Ironiam usus fuisse videtur in obsequium Sancti Martyris.

275 Et quidem Sanctus Anatholius, qui floruit Anno 277. regnante Probo apud Bucherium *loc. cit. pag.* 439. sic ait — *Hippolytus sexdecim Annorum circulum quibusdam ignotis Lunæ cursibus composuit* —. Quomodo ergo potuit in usu esse Romanę Ecclesię Cyclus iste, qui a Viro doctissimo, Sanctique Hippolyti temporibus proximo dicitur *ignotis Lunæ cursibus constare*?

276 Ea vero, quæ evidenter ostendunt, Cyclum istum in usu non fuisse receptum, sunt; *Primum, initium* Neomeniarum Paschalium in eo Cyclo locatum die quinto, & sequentibus diebus Martii; ex quo evenit, ut ipse Cyclus Pascha indicat die 20. & 21, & 22. ejusdem mensis Martii, quamvis ex observationibus Ptolemæi *lib. 3. Almagesti cap. 2.* pateat, verum Æquinoctium, temporibus Sancti Hippolyti, contigisse die 22. Martii; ac propterea Pascha indicat die ante vernalis Æquinoctii transgressum contra ea, quæ statuit Concilium Romanum sub Sancto Victore Primo celebratum, allegatumque *num.* 3. atque contra Cæsariense Concilium de Anno 198. circiter, allegatum *num. 8. & 112. & seqq.* ac etiam contra ea, quæ refert Socrates & Sozomenus allegati *num.* 148. qui fidem faciunt, Pascha in Romana Ecclesia a tempore Passionis Domini fuisse perpetuo celebratum post Æquinoctium;

ctium; ac denique contra ea, de quibus Victorius Aquitanus relatus *num.* 154. fidem facit dicens, *Pascha nunquam celebratum fuisse die* 20. *Martii. Secundum*, tardissimus terminus diei Dominici Paschæ in eodem Cyclo affixus diei 21. Aprilis; quod iis directe adversatur, quæ realiter observata fuisse jam ostendimus ex irrefragabili testimonio Sancti Ambrosii, Sancti Leonis Magni, ac Victorii Aquitani; ac præcipue directe adversatur duobus Paschę Festis realiter celebratis die 24. Aprilis, nempe Anno Æræ vulgaris Christi 208. & 292. ut evidenter ex prælaudato Victorio ostendimus *num.* 116. 159. *&* 160. *Tertium*, manifestissima, palpabilisque dissonantia inter hunc Cyclum, & Chronologicam notam Epitaphii Sanctæ Severæ Martyris, relatam *num.* 202. Annus enim 269. Æræ vulgaris concurrit cum ultimo tertiæ Heccædecaeteridos Sancti Hippolyti Anno, qui diem Paschæ affixum habet, uti constat apud prælaudatos Scriptores — *quinto Kalendas Aprilis* —. Bene igitur Illustrifs. Blanchinus in notis super Anastasium *tom.* 2. *pag.* 158. affirmavit, quod — ibi — *eodem Cyclo usa non sit Ecclesia*.

277 Si ergo Romana Ecclesia hunc Sancti Hippolyti Cyclum non adhibuit, quomodo ex eo inferri potest Canon ejusdem Ecclesiæ de celebrando Paschate a luna decima sexta in vigesimam secundam, dimissa quinta decima in Dominicam incidente? Eoque fortius, quomodo id inferri potest, cum superius tot irrefragabilibus monumentis Antiquitatis probaverim, Pascha a tempore, quo Christiana Fides cæpit Romæ profiteri usque per totum tempus controversum, fuisse ibi celebratum luna quinta decima, non autem dilatum in lunam vigesimam secundam?

278 Si veritatem tamen fateri debeam, vehementer suspicor, marmoream Sancti Hippolyti sedem, statuamque Romæ, uti supra, effossam, atque ad præsens in Bibliotheca Vaticana servatam, scalptam fuisse circa finem quarti, vel initium quinti sęculi Christi, & tunc laterculum Dominicarum Paschalium in sinistro latere sedis fuisse descriptum, non juxta verum Sancti Hippolyti Cyclum, sed juxta praxim, quam Novatiani, ut infra patebit, in usum invexerunt. An autem vere isto tempore prædicta marmorea sedes, & statua scalpta fuerit, definire nequeo, sed Periti ex sculpendi ratione id statuere faciliter poterunt. Interim vero causam suspicionis meę proferam.

279 Deprehendo enim, quod Laterculus Dominicarum Paschalium non concordat cum Cycli titulo, qui in dextro latere sedis scalptus est, & quem procul dubio Sanctus Hippolytus edidit, relatum *num.* 273. Postrema enim ejusdem Tituli verba sunt — ibi — *Solvere autem oportet jejunium, ubi Dominica inciderit* — nempe post quartam decimam Paschalem, ut clare ibidem subintelligitur. Jejunium autem solvebatur non die Dominico, quem nos dicimus *Palmarum*, sed die Dominico Paschę, uti notum est, & clare refert de illo tempore Eusebius *lib.*5. *Hist. Eccles. cap.*23. Cum ergo Sanctus Hippolytus doceat jejunii solutionem — *ubi Dominica inciderit* — post Paschalem quartam decimam, quod perinde est, ac si dixisset die Dominico, qui Paschalem quartam decimam subsequitur, de necessario consequenti docet etiam celebrationem Paschę die Dominico post Paschalem quartam decimam, non autem die Dominico in lunam vigesimam secundam incidente; ac propterea nullo modo dici potest, quod laterculus Dominicarum Pascha-

Paschalium in sinistro latere sedis scalptus, quippe qui diem Paschę Dominicum proclamat luna vigesima secunda, sit Sancti Hippolyti.

280 Prędictum vero laterculum Dominicarum Paschalium fuisse descriptum juxta praxim, quam Novatiani in usum invexerunt, ex veteribus monumentis ostendam.

281 Novatianos enim usurpasse tum Cyclum Judaicum Annorum 84. tum Cyclum Sancti Hippolyti, tum etiam celebrationem Paschę antequam transierit Æquinoctii dies; tum denique citimum terminum diei Dominici Paschę a luna decima sexta; tum postremo diem Paschę fixum die 25. Martii, Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus manifestat in suo Prologo apud Petavium *de Doct. Temp. tom. 2. in Appendice*, *& apud Bucherium in Comment. in Cyclum Vict. Aquit. prope finem*, ubi Sanctus Doctor sic loquitur -- *Sanctum Pascha Mysterium, ejusque sacra solemnitas, sicut est a Salvatore nostro Apostolis tradita, illibata mansisset, si eam quorumdam perversitas inter cætera Fidei sacramenta minime temerasset. Illi etiam, qui eorum pravitati respondere conati sunt, & 84. Annorum circulum instituerunt, perfectæ rationis Circulum tenuissent, si in supputatione mensium, vel Annorum, humanam, sive Divinam Traditionem sequi potuissent. Unde tantis sunt ignorantiæ tenebris involuti, ut in utrumque Paschalis ignorantiæ periculum deciderint. Ita etiam a decima quarta luna* [nempe Cycli Niceni] *quam vulgus* (scilicet illorum, qui Cyclo Judaico Annorum 84. utebantur] *putat decimam sextam, cum adhuc Orbis sui circulum non implesset, ad vesperam Sabbati, & ante mensem novorum* [nempe antequam transierit Ecclesiastici Æquinoctii dies, prout contingit, accepto Neomeniarum Paschalium initio a die quinto, & proxime sequentibus diebus Martii] *Pascha celebrando, contra Præceptum Domini, frequenter docentur errasse. Quod alii prævidentes, ac reprehendentes & quasi emendare cupientes, quia non divina revelatione illuminati, sed humanæ scientiæ præsumptione elati sunt, pejus aliud addiderunt; Et sicut illi per sex quatuordecennitates* (sic procedit prędictus Cyclus Judaicus Annorum 84.) *ita & isti per septem sedecennitates* [sic procedit Cyclus Sancti Hippolyti Martyris] *& quasdam dimensionum pergulas, duplicatos, vel multiplicatos numeros, & monogrammos adnotando, scribere nitterentur: per quarum difficultates angustias, & infinitas controversias, quibus se invicem impugnantes noti sunt, offensi nonnulli, ut relictis observationibus omnibus, octavo tantummodo Kalendarum Aprilium die, quotacunque luna, vel feria incidisset, jam non Pascha Domini, quod est in die solemnitas Resurrectionis, & in Luna plenitudo luminis, & societas sempiterni Solis, sed natale mundi tantummodo irrationabiliter celebrassent* —. Quibus postremo a Sancto Cyrillo relatis quoddam simile in usum invexerunt Montanistę, ut narrat Sozomenus *lib. 7. Hist. Eccles. cap. 18.* licet etiam isti ab initio non ita se gesserint, ut bene notat Valesius *in citatum Sozomeni locum*.

282 Itaque quinam fuerunt, quorum perversitas (loquor secundum allegata verba Sancti Cyrilli) Sanctum Paschę Mysterium, ejusque sacram solemnitatem primo temerarunt, nisi Quartadecimani, Cyclum Judaicum adhibentes, & secundum ipsius designationem Pascha celebrantes luna decima quarta, in quemcunque septimanę diem incidente? ac deinde nisi nonnulli Orientales, qui Quartadecimanis a Sancto Victore

Victore primo Papa anathemate percussis, licet Pascha celebraverint die Dominico post quartadecimam occurrente, Cyclum tamen Judaicum cum Quartadecimanis, ut exposui *num.* 23. *& seqq.* usurparunt, & sic a cæteris Orbis Partibus in celebrando Paschate dissidebant? Illi vero, *qui eorum pravitati respondere conati sunt*, fuerunt Novatiani, quamvis Sanctus Doctor suppresso nomine eos designet, dicens — *notos esse propter infinitas controversias, quibus se invicem impugnant*; fuerunt, inquam, Novatiani, qui in Pazzensi Conciliabulo ab ipsis sub Valente Imperatore celebrato, ac memorato per Socratem *in Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 20. & Sozomenum *in Hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 24. Quartadecimanorum errorem aliquo modo scilicet, ut explicavi *num.* 38. *& num.* 148. amplexi sunt, instigante Sabbatio, a quo hujus sequaces appellati fuerunt Sabbatiani, ac deinde in Sangariensi Conciliabulo, ab eisdem post illud Pazzense celebrato, atque relato per Socratem *loc. cit.* & Sozomenum *in Hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 18. decreverunt — ibi — *eam consuetudinem in hoc Festo celebrando pro arbitratu sequi, quam sequi animo instituissent* —. Hac effrænata libertate, quis dubitat, infinitas inter Novatianos fuisse controversias, illosque propter ipsas devenisse *notos* in orbe?

283 De facto, quos per infinitas controversias se invicem impugnantes Sanctus Cyrillus suppresso nomine *notos esse* dixit, Socrates *lib.* 5. *Eccles. Hist. cap.* 22. expresse appellat Novatianos — ibi — *Novatiani quidem, ut dixi, ob Festum Paschæ inter se dirempti sunt: & super hac re non una dumtaxat est inter illos divisio — Alii enim aliter per diversas Provincias observantes nec de Mense solum, sed etiam de diebus hebdomadis, & de aliis parvi momenti rebus inter se dissidentes, alibi quidem separatim Collectas agunt alii mutua communione junguntur*.

284 Cum igitur pateat, Novatianos fuisse illos, contra quos loquitur Sanctus Cyrillus in citato Prologo, ex verbis ejusdem Sancti Doctoris clare cognoscitur, Novatianos fuisse tum, qui Cyclum Judaicum Annorum 84. adhibuerunt, tum qui hujus Cycli errorem quasi emendare cupientes, & pejus aliquid addentes in usum invexerunt Cyclum Sancti Hippolyti, per septem sedeccennitates procedentem; tum denique qui propter prædictas controversias offensi diem Paschæ Festum fecerunt fixum octavo Calendarum Aprilium die.

285 Nec solum ex allegatis verbis Sancti Cyrilli cognoscitur, quod Novatiani prædictos Cyclos adhibuerint, sed etiam, quod ipsi Pascha celebraverint, antequam Æquinoctii dies transierit, & consequenter acceperint Neomeniarum Paschalium initium a die quinto, & proxime successivis diebus Martii, cum S. Cyrillo præcise concordantibus quoad usum prædicti Cycli Judaici atque celebrationem Paschæ ante Æquinoctium; præcise, inquam, concordantibus Socrate, & Sozomeno jam relatis *num.* 148. ac denique cognoscitur, quod iidem a citimo diei Dominici Paschæ termino rejecerint lunam decimam quintam, quoties hæc in diem Dominicum incidisset, & consequenter illius loco lunam vigesimam secundam admiserint. Sanctus enim Doctor narrat terminum, a quo inclusive Novatiani Pascha celebrabant, fuisse lunam decimam sextam dicens — *Ita etiam a decima quarta luna* (nempe Cycli Nicæni), *quam vulgus* (scilicet Novatianorum) *putat decimam sextam .... ad vesperam Sabbati .... Pascha celebrando* —. Quibus verbis

Sanctus

Sanctus Cyrillus manifestat, quod Novatiani citimum diei Dominici Paschæ terminum accipiebant ab eo die Dominico, qui juxta Cyclum Nicænum erat luna decima quarta; juxta Cyclum vero a Novatianis adhibitum erat luna decima sexta, quemadmodum rem istam apertius cognosces exemplo, quod retuli *num.* 168. Illa vero verba — *ad vesperam Sabbati* — designant veterem Paschæ ritum. Illo enim Ævo moris erat Christianorum, sacrosancta Paschæ solemnia vespere Sabbati inchoare; idque etiam in Romana Ecclesia observatum fuisse patefacit Sanctus Augustinus *tom.* 5. *serm.* 221. *in vigiliis Paschæ serm.* 3. *pag.* 671. *edit. Paris.* Et venerabilis Beda *lib.* 3. *Eccles. Hist. Gentis Angl. cap.* 25.

286 Cum ergo Novatiani prædictum Cyclum Judaicum, & Cyclum Sancti Hippolyti in usum invexerint, initium neomenarium Paschalium acceperint a die quinto Martii, citimumque Paschæ terminum usurpaverint luna decima sexta, & consequenter ultimum ejusdem Festi terminum posuerint luna vigesima secunda, nonne injuriosum non est, id omne imputare Romanę Ecclesię?

287 Confutato fundamento per Norisium deducto ex Cyclo Sancti Hippolyti superest, ut experiamur alterum ejusdem Norisii fundamentum. Istud ex verbis Victorii Aquitani desumptum est, qui floruit Anno Ærę vulgaris 457. Ejusdem Victorii verba in Prologo apud Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Appendice*, & apud Bucherium *loc. cit.* Norisius in allegata Dissertatione §. *Cum Paschasini &c. pag.* 95. *& seq.* accipit tanquam Canones priscæ Ecclesiæ, minime animadvertens, quod ea, quæ a Victorio proferuntur, non dicuntur tanquam Canones ejusdem Ecclesiæ, sed tanquam præcipua quorumdam sententia, & praxis; & insuper Victorius ne verbum quidem profert, quo constet ea, quæ narrat, servata ab illis fuisse prioribus omnibus Christi sæculis. Quapropter ea ipsa referre ad priora Christi sæcula, anachronismum esse non dubito, præsertim cum constet ex dictis *num.* 282. *& seqq.* maxime temeratum a Novatianis fuisse Paschæ ritum versus finem quarti sæculi Christi.

288 Præcipua Victorii verba a Norisio allegata inferius referam *n.* 291. exprimuntque initium primi mensis acceptum fuisse die quinto, & proxime sequentibus diebus Martii; citimum vero diei Dominici Paschæ terminum locatum fuisse luna decima sexta, dilato Paschate in lunam vigesimam secundam, quoties luna decima quinta in Dominicam incidisset; quam tardissimum denique diem Paschæ Dominicum fuisse diem 21. Aprilis. Hæc quidem Victorius *Latinis* attribuit; notetur non latinæ Ecclesiæ, sed Latinis attribuit. Hinc Norisius nulla adhibita ulteriori indagine circa intelligentiam nominis — *Latinorum* — imputat Romanæ Ecclesię, quæ Victorius *de Latinis* locutus est.

289 Prologum suum incipit Victorius, explicans dissensionum originem in celebratione Paschę, ac primo refert, eas oriri ex diversorum Cyclorum usu, scilicet Cycli Judaici Annorum 84. Cycli Sancti Hippolyti Martyris Annorum 112. ac denique Cycli decennovennalis, quem Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus ad Annos 95. Julianos ordinaverat. Deinde ipse Victorius immediate prosequitur narrans quod qui Cyclum decennovennalem usurpabant, saltum Lunæ in eo inserebant *Ægyptiorum more* per singula spatia Annorum undeviginti. Hinc patet,

tet, quod non erant soli Ægyptii, quibus hic Cyclus tunc fuerit in usu, alioquin Victorius non dixisset *Ægyptiorum more*. Qui vero Cyclum Sancti Hippolyti adhibebant, saltum Lunæ servabant per singula intervalla Annorum sexdecim. Inter illos denique, qui Cyclum Judaicum Annorum 84. ediderunt, Victorius narrat eam etiam fuisse controversiam, quod saltum Lunæ (non utor præcisis Victorii verbis quæ referam in Dissertatione post. Quæstionem quintam *num.* 12. ut quisque rem conferens, Victorium ipsum facilius intelligat) quidam singulis elapsis duodecim Annorum spatiis, quidam vero singulis elapsis quatuordecim Annorum intervallis inserebant.

290 Hæc duo obiter audiant quæso, qui Norisium sequuntur. *Primum* est; per duodecim Annorum intervalla ordinatus est saltus Lunæ in Cyclo Annorum 84. quem Norisius comminiscitur in usu fuisse Romanæ Ecclesiæ; & tamen ipse Norisius proprio Marte hunc Cyclum partitur in sex quatuordecennitates, retenta sede saltus Lunæ per singula intervalla Annorum duodecim. Nonne numerus 84. æque divisibilis non est per numerum 7. 12. 21. & 28.? Cur ergo, nisi per Norisii commentum, dividitur per sex quatuordecennitates, *retento saltu Lunæ* per singula intervalla Annorum duodecim? *Alterum* est; si Romana Ecclesia, ut contendit Eminentiss. Noris, jam confutatus *num.* 166. *& seqq.* Cyclum Annorum 84. adhibuisset, eadem Ecclesia inter sese tunc scissa quoque fuisset in celebratione Paschæ. Qui enim hunc Cyclum adhibebant, per diversa, ut supra a Victorio narrata Annorum intervalla in eo inserebant saltum lunæ, ex quo diversitas necessario oritur, tum in dierum lunarium nomenclatura, tum in Embolismorum sede. Quis nam verò id contigisse profert in Romana Ecclesia? referente præsertim Socrate *sub num.* 29. allegato, quod -- *omnes ad Occidentis Partes, & ipsum usque Oceanum . . . . nunquam inter se dissenserunt*.

291 Rursus ipse Victorius, antequam Latinos nominet, sermonem prosequens de Paschæ dissidiis, sic ait -- *Accrescit præterea etiam aliud erroris genus, dum in regulis primi mensis, quo Pascha Dominicum celebrari statuunt, magna oritur utrisque contentio* -- Post hæc verba Victorius Latinos nominare incipit dicens -- *Latini namque a tertio nonas Martii* (ex hisce verbis resultat celebratio Paschæ ante mensem novorum, a Sancto Cyrillo, uti supra narrata), *in tertio Nonas Aprilis, diebus scilicet 29. observandum maxime censuerunt, ut quocunque eorum die Luna fuerit nata, efficiat primi mensis initium. Cujus luna decima quarta, si feria sexta fuerit, sequens Dominicus, idest luna decima sexta, Festivitati Paschali sine ambiguitate deputetur. Sin autem die Sabbati Plenilunium esse contigerit, & consequenti Dominico luna decima quinta reperiri, eadem hebdomada transmissa, in alium diem Dominicum, idest luna vigesima secunda transferri debere Pascha dixerunt: ne minus ejusdem Dominicæ Resurrectionis peragendo Mysterio destinarent, quam decimam sextam, nec amplius quam vigesimam secundam lunam aliquando reciperent: eligentes potius in luna vigesima secunda diem Festi Paschalis extendi, quam Dominicam Passionem ante lunam decimam quartam ullatenus inchoari* --.

292 Notentur quæso illa verba -- *Accrescit præterea etiam aliud erroris genus* -- quæ indicant dissidiorum augmentum in celebratione Paschæ; hocque

hocque augmentum Victorius ipse declarat esse — *aliud erroris genus*; atque in eo consistere, ut quartadecima Paschalis triduo ante Æquinoctii diem tunc observaretur, & Paschæ celebratio, exclusa decima quinta in Dominicam incidente, extenderetur ad lunam vigesimam secundam. Cum ergo Victorius id declaret — *aliud erroris genus* —, utique supponit *genus erroris* quoque fuisse tum usum plurium diversorum Cyclorum antea commemoratorum, tum prædictam diversitatem in dirigendo uno, eodemque Cyclo Judaico Annorum 84. Quare cum hæc omnia a Victorio appellata *erroris genera*, Victorius ipse Latinis attribuat, quomodo dici potest, Victorium Latinorum nomen, uti supra proferentem, locutum fuisse de Romana Ecclesia? quam nullibi legitur inter sese diremptam fuisse propter usum diversorum Cyclorum, ac simul propter diversitatem sedis saltus Lunæ in usu prædicti Cycli Annorum 84. & quæ, uti constat ex dictis, initium primi mensis nunquam accepit a die quinto Martii; solemnitatem vero Paschæ ultra diem 21. Aprilis cum Alexandrinis celebravit, & nunquam exhorruit Paschæ observantiam luna decima quinta, sed eam cum eisdem Alexandrinis perpetuo celebravit luna quinta decima in Dominicam incidente; usum Cycli novemdecim Annorum semper retinuit, nec unquam Cyclum Judaicum Annorum 84. neque Cyclum Sancti Hippolyti usurpavit.

293 Imo absolute dici debet, Victorium ipsum locutum fuisse solum de Novatianis, quos ex dictis constat in tantam erroris impudentiam in Sangariensi Conciliabulo devenisse, ut suis licitum fecerint — *eam consuetudinem in hoc Festo celebrando pro arbitratu sequi, quam sequi animo instituissent* —; & quos ex Sancto Cyrillo patet præterito Socrate, & Sozomeno jam relatis *num.* 148. patet, inquam, adhibuisse prædictos Cyclos a decennovennali diversos, nempe Cyclum Annorum 84. & Cyclum Sancti Hippolyti, citimumque Paschæ terminum voluisse a luna, quam refert Victorius, *decima sexta, & ante mensem novorum*; & quos denique allegati Sanctus Cyrillus, & Socrates fidem faciunt inter sese ob Festum Paschæ adeo diremptos fuisse, ut non una dumtaxat fuerit inter illos divisio.

294 Revera, Victorium *Latinorum* nomine non intellexisse Romanam Ecclesiam, sed quamdam hominum sectam ab ipsa Romana, sive Latina Ecclesia in celebratione Paschæ jam scissam, ex ejusdem Victorii verbis patefeci *num.* 154.

Vis ne ad evidentiam usque cognoscere — *Latinorum nomine* — intelligi quandam hominum sectam a Romana Ecclesia jam scissam? Sanctus Isidorus Hispalensis, qui centum fere Annis post Dionysium Exiguum floruit, nempe circa Annum Æræ vulgaris 627. *lib.* 4. *Orig. cap.* 17. nonnulla refert, quæ valde deturpata deprehendi Typographorum incuria; ac propterea ea ipsa allegabo prout jacent in pervetusto Codice manuscripto Biblyothecæ Laurentianæ *Scans.* 52. *Cod.* 21. circa Annum Domini mille exarato sub hoc Titulo — *Isidori varia* — *lib.* 6. *cap.* 17. atque concordant cum sola quorumdam verborum, sensum non variantium, differentia minime curanda, concordant, inquam, cum alio Codice circa Annum 1400. manuscripto ejusdem Biblyothecæ *Scan.* 19. *Cod.* 3. — Sub hoc Titulo — *Ethimologicon Divi Isidori* — *lib.* 8. *cap.* 16. ibi — *Varia autem observantiam opinionum Paschalis*

Paschalis Festivitatis interdum errorem gignit. Latini nanque a tertio nonas Martias usque in tertio nonas Aprilis primi mensis lunam inquirunt. Et si quinta decima luna die Dominico provenerit, in alio Dominico Pascha protrahunt. Græci primi mensis lunam octavo idus Martias usque in diem nonis Aprilis observant. Et si quinta decima luna die Dominico venerit, Sanctum Pascha celebrant. Hujusmodi ergo dissensio inter utrosque Paschalem regulam turbat -- Eodem ergo Sanctus Isidorus refert, quæ vidimus *num.* 291. narrata fuisse a Victorio Aquitano. Quis autem adeo rudis est, ut non agnoscat, Sanctum Isidorum -- *Latinorum nomine* -- non designasse Romanam Ecclesiam, quam ipse Sanctus Isidorus (uti constat ex Epistola 95. Sancti Leonis Magni) sequebatur, ac nemo dubitat, & Norisius ipse fatetur, illo Ævo observasse regulam Dionisii exigui, Alexandrinæ Ecclesiæ omnino conformem, nempe regulam illam hucusque illibate servatam, inquirendi scilicet primi mensis Lunam a die octavo Martii usque in diem quintum Aprilis inclusis terminis, atque celebrandi Pascha luna ejusdem mensis quinta decima, quoties hæc cum die Dominico concurrerit? Non ergo Romana Ecclesia, sed quædam hominum secta jam scissa a Romana Ecclesia *Latinorum nomine* -- designatur; quæ secta tempore Sancti Isidori adhuc usurpare non destiterat, quæ refert Victorius Aquitanus.

Verum de quadam hominum secta, non autem de Romana Ecclesia Victorium egisse, clare manifestat Beda *lib. de Temp. Rat. cap.* 49. Paulo post initium ubi notat Victorium ipsum loquutum fuisse -- *de Latinis suis* -- non de Latinis simpliciter, sed de *Latinis suis* -- Ista fortius urgent, quia idem Beda *loc. cit. post medium*, ipso etiam Victorii judicio ex ipsius verbis elicito commendat universalem Ecclesiam cum Ægyptiis Pascha celebrantem.

295 At petes quomodo Novatianis conguere potest nomen *Latinorum*? Respondeo, quod istud nomen Novatianis congruit a Novatiano, a quo Novatianorum nomen emanat, & qui Presbyter Romanus erat, ac deinde post Martyrium Sancti Fabiani Papæ egre ferens electionem Sancti Cornelii Papæ, adeo se gessit contra eumdem Sanctum Cornelium, ut inter cætera se eligi Antipapam curaverit. A Novatiano igitur nomen *Latinorum* merito congruit Novatianis; eoque fortius quia isti usque ad tempora Sancti Cœlestini Papæ Primi ad relata per Socratem *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 11. etiam *Romæ plurimum florebant*, ubi, & intra alias urbes iidem Novatiani Ecclesias suas audacter, & libere retinuerunt, ex Decreto Theodosii Senioris relato per Socratem *in Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 20. atque Sozomenum *in Hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 12.

Pro Coronide eorum, quæ Norisius comminiscitur ex Victorio Aquitano prætereundum non est id, quod minime animadvertit Norisius, videlicet, Victorium ipsum fuisse confutatum a Venerabili Beda *lib. de temp. ratione cap.* 49. ubi ipse Beda Victorium quamvis virum doctissimum acriter reprehendit; Ritum Ecclesiæ universalis in celebrando Paschate dilucide expressit illum, nempe, quem in præcedentibus sæpius memoravimus; ac ne videretur temere contra ipsum loquutus, refert in fine verba doctissimi Viri Victoris Capuæ Episcopi quorum postrema hæc sunt -- *Sed & nunc inquam ordo expetit, ut Cy-*

elorum quos Victorius edidit patefaciam evidenter errores, dum nescit legitimam diem definire Paschalem, ut cum in præteritis ostensus hoc modo fuerit deliquisse, in præsentibus, ac futuris, & auctoritate careat, & occasionem pravæ persuasionis amittat —; id quod confirmant deducta *num.* 243. ex Sancto Hilario, qui Sancto Leoni Magno in summo Pontificatu successit, & cui ipse Victorius Aquitanus pereruditas suas elucubrationes transmisit.

296 Cum ergo neque fundamentum ex Victorio Aquitano deductum Norisio suffragetur, id omne, quod Norisius, uti supra, imputat Romanæ Ecclesiæ, plane commentum est, & a veritate prorsus alienum.

297 Quare si placet in unum congerere, quæ huc usque in præsenti Dissertatione discussa sunt, hoc unum resultat ex dictis, nimirum, quem ritum Romana Ecclesia ad præsens observat in celebratione Paschæ, illum ipsum ab ipsis Apostolorum temporibus perpetuo servavit, ab ipsis Apostolis edoctum.

QUÆSTIO QUARTA.

ANONYMUS.

„ Sed neque minor de primo mense, quam de quartadecima Luna „ hæsitatio interdum oritur, ex paschalium sane limitum angu„ stiis profecta. Licet enim Ecclesia Lunarem illum mensem primum, „ seu paschalem haberi velit, cujus quartadecima vel in diem 21. Mar„ tii, verno Æquinoctio attributum convenit, vel post eum diem pri„ ma procedit, fines nihilominus quartædecimæ huic Lunæ oppido ar„ ctos Ecclesiæ ipsius consuetudine præscriptos accepimus, quos ubi „ prætergressa fuerit a paschali munere excludenda videatur, atque „ hæc plane consuetudo jam inde a Concilii Nicæni temporibus ad „ nos manavit.

„ Cum enim Alexandrini Patres decennovennalem Cyclum, quem „ cæteris omnibus anteferendum duxerant in Kalendario ordinarent, „ paschalem mensem minime plenum, sed cavum, hoc est dierum 29. „ haud amplius spatio finitum voluerunt. Eandem rationem secutus „ est Dionysius Exiguus, cum ejus Cycli numeros, qui Aurei dicti „ sunt, in Latinum Kalendarium inveheret, terminum enim ejus „ mensis postremum in quinto Aprilis, ac propterea tardissimam Lu„ nam quartamdecimam in 18. Aprilis die constituit, cum citima diei „ 21. Martii affixa sit. Quem morem, a Catholica deinceps Ecclesia „ annos amplius mille servatum, immutari religioni duxit Gregorius „ XIII. Propterea novum epactarum Cyclum, quem Aureis numeris „ amotis Kalendario suo inscripsit, ita & ipse distributum voluit, ut „ triginta epactæ diebus tantum 29. qui ab octavo Martii ad quintum „ Aprilis diem pertinent, exhaurirentur, duplici scilicet ad ipsum diem „ quintum Aprilis apposita epacta.

„ Omnino igitur primo mensi dies 29. ex usu Ecclesiæ præfiniun„ tur, cum tamen Lunaris mensis medius præter 29. dies horas ha„ beat 12. sexagesimas 44.; ex quo necessario consequitur quibusdam „ annis novilunium intra paschalem mensem committi nullum, sed 29.

„ illos

„ illos dies noviluniis duobus extra mensis fines extantibus solidos interponi; quod cum contingit, nulla esse posse videtur quartadecima, ex qua Pascha secundum astronomicas rationes prænuncietur, & ad quam ipsam Cyclica quartadecima exigatur, quod nempe e duobus illis noviluniis, alterum ad duodecimum, sive postremum exacti nuper anni mensem, alterum ad anni ineuntis secundum pertineat, & quod magis mirum, secundus mensis duodecimum, nullo interposito primo, statim excipiat. Hæc ergo omnia, absurda sane, & ab Ecclesiæ sapientia aliena, qua ratione vitari possint non facile apparent, saltem si eorum hypotheses sequamur, qui civilem ipsum novilunii diem Lunam primam appellant, & ex ea porro quartamdecimam numerant; non enim fingi potest Ecclesiam, quæ cyclicum mensem paschalem intra eos fines conclusit, astronomico tamen mensi paschali permittere, ut latius expatietur, hoc enim perinde foret, ac si Cyclorum a cœlestibus motibus dissensum data opera quæreret; nec plane quartadecima astronomica notam habere potest ullam, qua a cæteris internosci, ac paschalis censeri debeat, si hanc unam excipiamus, quod intra destinatos quosdam ab Ecclesia limites incidat.

„ Sed neque has angustias effugiunt, qui diem civilem plenilunii quintadecimam faciunt, ac pridie ejus quartamdecimam putant quoties enim plenilunium minus quam 12. horis, ac 44. sexagesimis diei civilis 21. Martii finem anteverterit, nulla eo anno quartadecima Luna ante diem 19. Aprilis alia recurrit, qui dies a primo mense excluditur. Neque in hoc negotio quicquam refert vespere ne, an media nocte civiles dies inchoemus, eadem enim incommoda consequuntur, undeunde dierum exordia capiantur.

„ Hisce quidem difficultatibus minime sese implicant, qui quartasdecimas, cæterosque Lunares dies civilium dierum finibus non circumscribunt, sed ipso novilunii puncto, quacunque hora contigerit, primam Lunam auspicantur. Hi enim ultimum diei 18. Aprilis terminum, quem Ecclesiæ usus quartædecimæ Lunæ præstituit, ita interpretantur, ut minime hæc a Paschali mense sit arcenda, si qua sui parte in civilem diem 19. excurrat; modo ex parte alia decimum octavum attingat, quod ubi concedatur, fieri jam nequit, ut ullo anno astronomica quartadecima intra primi mensis fines desideretur. Neque tamen hæc methodus non aliquo incommodo laborat, cum interdum contingere possit, quartadecimam hoc pacto acceptam intra paschales terminos duplicem reperiri, alteram scilicet, quæ diem 21. Martii, alteram quæ 18. Aprilis obsideat, id quod mensis electionem in ancipiti relinquit, nisi forte regula quæpiam tradatur, qua ambiguitas tolli possit.

„ Ad has igitur difficultates, quæ Ecclesiastici computi Scriptores tantopere torserunt, explicandas quarta proponitur quæstio: Qua ratione paschalis quartadecima ante omnem Cyclum ex ipsis Lunæ motibus quotannis internosci possit, quove pacto quartadecima cyclica, servatis paschalibus limitibus, cum ea componi queat.

SO-

SOLUTIO.

1 Non minori solertia, quam doctrinæ profunditate Anonymus ob oculos ponit terminorum angustiam, quos lunæ decimæ quartæ Paschali, a civili nimirum die 21. Martii inclusive ad diem 18. Aprilis similiter inclusive, Nicæni Patres præfixerunt, intra hoc enim viginti novem solidorum dierum spatium aliquo modo possibile est, ut nulla decima quarta Paschalis ex sensu Catholicæ Ecclesiæ, uti supra, accepta inveniatur.

2 Opus non est, ut mentionem faciam de difficultatibus, quæ propter hanc terminorum angustiam reperiuntur in cæteris etiam ejusdem quartæ decimæ definitionibus. Hæ namque omnes jam reprobatæ sunt in præcedenti Quæstione, ac plura contra definitiones ipsas Anonymus eleganter exponit.

3 Sed hujusmodi terminorum angustiam serio expendens deprehendi, quod ex hac inferri nequit, Nicænos Patres aliter sensisse de Paschali luna quarta decima, quemadmodum huic objecto occurrens probavi in Epitome *pag.* 69. *& seqq.* Etsi enim solidi dies 29. non æquent Synodicum mensem diebus 29. hor. 12. min. 44. sec. 3. ter. 50. & quart. 38. tamen asserta in terminis Paschalibus angustia, si ratio, uti decet, habeatur ad Nicæni Ævum, potest aliquando procedere in abstracto, ac præscindendo a Nicæno Cyclo decennovennali, non autem procedit in concreto, ac relative ad eumdem Cyclum. Quoniam in hoc Cyclo, uti patet ex laterculo Quæst. secunda *num.* 54. exhibito, quiquid temporis de Synodico mense abundat solidis diebus 29., reperiebatur in civili die Æquinoctii 21. Martii, adeo ut si expendantur etiam centum, & amplius Anni post Nicænum Concilium, nec unus quidem casus allegari possit, in quo medium Plenilunium contigerit extra præfixos fines a civili die 22. Martii ad diem 19. Aprilis. Sed videatur Epitome *pag.* 69. *& seqq.* ubi funditus materia discutitur.

4 Patet igitur, quod in concreto, & relative ad prememoratum Cyclum decennovennalem, definitio lunæ decimæ quartæ Paschalis, quam supra exhibui, non includit absurda, quæ discutienda proponit Anonymus §. *omnino &c.* Quoniam in Cyclo decennovennali non solum immediate, verum etiam prædicto centum Annorum spatio post Nicænum Concilium semper deprehenditur medium Plenilunium intra assertam terminorum angustiam.

5 Quamvis ita res sese habeat in concreto, rem tamen ipsam spectans in abstracto, dico, quod limites lunæ decimæ quartæ Paschali, & noviluniis Paschalibus non sine sapientissimo consilio statuti fuerunt dies tantum 29. Hisce enim tantum solidis diebus constat synodicus mensis; & cum Lunatio, quæ Paschalem proxime præcedit, regulariter plena sit, nempe diebus triginta, Annis tum communibus, tum Embolismalibus, illa diei fragmenta, quibus Synodicus mensis Paschalis abundat, ultra eos fines non expatiantur, quibus Ecclesia Cyclicum mensem Paschalem conclusit, sed inserviunt complemento lunæ trigesimæ Lunationis, quæ Paschalem proxime præcedit. Hinc fit, ut ipsa diei fragmenta, utpote constituentia complementum præcedentis Lunæ trigesimæ, manifeste ostendant, præcipuam hanc Ecclesiæ intentionem.

6 *Primo* quod dies Paschæ Dominicus in lunam quintam decimam incidens,

incidens, concurrere non debeat cum die proprii Paschæ Judæorum, sive clarius cum die Immolationis Agni, sed cum die solemnitatis Azymorum, in quo *Pascha nostrum*, ut dixit Apostolus prima ad Corinthios *cap. 5. vers. 7. immolatus est Christus*; dato enim, quod medium novilunium illis horis 12. min. 44. & sec. 3. præcedat initium cyclaris lunæ primæ, medium Plenilunium contingit in cyclari luna decima quinta ante mediam noctem antecedentem; & consequenter data conjunctione, aut prope, linearum verorum motuum cum lineis mediorum, tenebræ in ista nocte penitus excluduntur mutua solis, & Lunæ, tum vespere, tum mane successione, quod erat signum solemnitatis Azymorum, quoniam divina scriptura in *libro Ecclesiastici cap. 43. vers. 7.* docet — *a luna signum diei Festi* -- supple — accipitur -- ut inquit Nicolaus de Lyra apud Glossam Ordinariam; *signum*, inquam *diei Festi*, scilicet per Antonomasiam — *solemnitatis Azymorum*, ut probatum est post responsum ad primam partem tertiæ Quæstionis *num. 68.*

7 *Secundo*, quod excurrente die Dominico, qui incideret altera ex hisce lunis primi mensis, vel XVIII. vel XIX. vel XX. vel XXI. excurrente, inquam, die Dominico in secundum mensem, juxta Ecclesiasticum, sive civilem solis cursum, nempe ultra diem 21. Aprilis, hi tres dies, mortis, sepulturæ, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, scilicet luna XV. XVI. & XVII. sempre deprehendantur in primo mense, juxta Ecclesiasticum solis cursum, tum quia Redemptionis nostræ mysterium, quod celebratione Paschæ recolimus, completum est in primo mense juxta civilem Solis, & Lunæ cursum, ac propterea Gregorius XIII. Pont. Max. in Bulla quæ incipit — *Inter gravissimas* — docuit -- ibi — *Annuos Paschæ, Festorumque ex eo pendentium recursus, Solis, & Lunæ motu metiendos* -- tum quia id colligitur ex Actibus Cæsariensis Concilii celebrati auctoritate, & hortatu Sancti Victoris primi Papæ, & Martyris apud Bedam *lib. de Vernali Æquinoctio prope finem*, & apud Regiam Collectionem Conciliorum *tom. 1. pag. 261.* atque apud Ægidium Bucherium *in Comment. in Victorii Canonem Paschalem pag. 99.* tum denique, quia id etiam colligitur ex Divo Ambrosio in citata Epistola 83. ultra medium, nec non ex Sancto Augustino in Epistola 55. ad Inquisitiones Januarii *num. 27.* ac etiam ex Theophilo Patriarcha Alexandrino *in Prologo apud Petavium de Doct. Temp. tom. 2. in Appendice*. Si prædicti Limites præstituti fuissent dies triginta, præterita temporis abundantia ultra Synodici mensis magnitudinem, ac etiam præterita computi Ecclesiastici inconstantia, & irregularitate, quæ inde necessario emergeret non sine diffidendi periculo in celebratione Paschæ, hoc saltem clarissime deprehenderetur, videlicet, hi tres dies mortis, sepulturæ, & Resurrectionis Domini singulis Annis non invenirentur in primo mense juxta civilem Solis cursum, quando in usu foret altera ex his literis Dominicalibus G. A. B. C. Hisce enim currentibus literis Dominicalibus dies Resurrectionis Domini, nempe luna decima septima, aliquando incideret in Aprilis diem 22. qui est primus secundi mensis juxta civilem solis cursum, uti constat ex allegata Divi Ambrosii Epistola 83. atque ex doctrina de primo mense, juxta civilem solis cursum, memorata in Epitome *pag. 11.* aliquando, inquam, incideret in Aprilis diem 22. quoties fieret, ut Paschalis quartadecima signaret diem 19. Aprilis. Dies enim 20. Aprilis foret luna decima

decima quinta; dies 21. luna decima sexta, & dies 22. luna decima septima.

Hinc ratio potissima apparet, qua dies Paschæ Dominicus extendi nequit ad diem 26. Aprilis, quoniam nullus unquam ex prædictis tribus Lunæ diebus transgredi potest diem 21. Aprilis, qui est ultimus terminus primi mensis juxta civilem, sive Ecclesiasticum solis cursum, quemadmodum extenderetur, si quartadecima Paschalis collocaretur die 19. Aprilis, & hic dies foret Dominica. Quare nullomodo audiendi sunt, qui Pascha existimant extendendum esse in diem 26. Aprilis propter casum, de quo nunc agemus.

8 *Tertio*, quod si quandoque occurrat, ut nullum Plenilunium intra viginti novem dierum fines contingat, hic casus accipi debeat æque, ac si per accidens, & præter Ecclesiæ intentionem contingat. Quoniam hujusmodi casus non provenit ex eo, quod Epactæ Astronomicæ cujusvis dati decem, & novem Annorum intervalli expatientur ultra solidos dies 29. ad eliciendum medium novilunium, aut plenilunium illius sequentis Anni, qui eodem aureo numero insignitus sit, quod si tunc expatiarentur ultra solidos dies 29. concederem quod perinde foret, ac si Cyclorum dissensus a cælestibus motibus data opera quæreretur, taxatis, uti supra, solis 29. diebus, quia absolute necessarium foret, ut intra prædictos Paschales fines nullum quandoque Plenilunium contingeret. Dico igitur, quod nullum allegari potest decem, & novem Annorum intervallum, in quo Astronomicæ Epactæ expatientur ultra solidos dies 28. hor. 20. min. 11. & sec. 36. quidquid Tabulæ Astronomicæ exhibeant ad alium finem, scilicet, calculandi Annorum expansorum Plenilunia ex Plenilunio præcedentis Anni Centesimi, non autem ex Plenilunio superioris Anni eodem aureo numero insigniti. Dato enim, ut illud intervallum incipiat Anno per numerum quaternarium divisibili, exempli gratia, Anno 1700. aut 1736. aut 1776. &c. Epacta Astronomica est diebus 28. hor. 20. min. 11. & sec. 36. si vero incipiat Anno primo, aut secundo, aut tertio post Bissextum, invenio, quod Epacta astronomica nunquam est diebus 29. & quibusdam horis, ut exhibent omnes Tabulæ Astronomicæ, sed vere, & realiter semper est diebus. o. hor. 7. min. 27. & sec. 33. Mediis enim horum Annorum Pleniluniis pro radice acceptis, atque ex eis subtracta Epacta respective exhibita, reliquum illico exhibet Plenilunium proxime sequentis Anni eodem aureo numero insigniti. Exemplum. Anno 2019. ac tertio post Bissextum, medium Pleuilunium futurum

est Aprilis	D.	19.	hor. 4. 23' 22" p.m.
Subtracta Epacta	D.	o.	7. 27.33.
Reliquum est Plenilunium Anni 2038. nempe	D.	18.	20. 55.49.
Ex quo si subtrahatur eadem Epacta	D.	o.	7. 27.33.
Reliquum est Pleniluulum Anni 2057	D.	18.	13. 28.16.
Ex qua si iterum subtrahatur eadem Epacta	D.	o.	7. 27.33.
Reliquum est Plenilunium Anni 2076. nempe Ap.	D.	18.	6. 0.43.
Ex quo denique si subtrahatur Epacta	D.	28.	20. 11.36.
Reliquum est Pleniluuium Anni 2095. Martii	D.	20.	9. 49. 7.
Si addatur Mensis Synodicus	D.	29.	12. 44. 3.

Summa

Summa est Plenilunium Paschale ejusdem Anni 2095. Martii ——————	D. 49.	22. 33.10.
Nempe Aprilis ——————	D. 18.	22. 33.10. p.m.

Hæc methodus per me excogitata exhibet media plenilunia eodem præcise tempore, quo eliciuntur ex calculandi regula ab Astronomis tradita; ac propterea certa sunt, quæ dixi de Epactis prædictis; astronomicæ enim Epactæ in Tabulis Astronomicis perpetuo minores sunt diebus 29. præter quam Annis expansis 38. 57. & 95. in quibus revera ipsas Epactas inveni, ut supra. Quare absolute necessarium non est, ut intra præstitutos fines nullum Plenilunium contingat; & hinc oritur, ut casus, de quo agitur, scilicet nullius Plenilunii intra terminos Paschales futurus non sit singulis periodis Calippicis, quæ eosdem numero Bissextos includunt, neque etiam singulis sæculis, quemadmodum manifestum est tum in allegato centum Annorum spatio immediate post Nicænum, tum illis quoque futuris sæculis, quæ allegavi in Epitome *pag.* 78. & demum in quibus sæculis idem casus contingit, non contingat singulis periodis decennovennalibus, sed adeo infrequenter, ut quater, & sexagies tantum ille deprehendatur ab Anno 1700. usque ad Annum 5000. uti manifestat Laterculus in Epitome *pag.* 160.

9 Cum igitur hic casus non proveniat ex eo, quod Astronomicæ Epactæ majorem exigant amplitudinem diebus 29. sed ex eo, quia cœlestia Plenilunia perpetuo vagantur; & cum idem casus rarissime accidat, merito accipi debet æque, ac si per accidens, & præter Ecclesiæ intentionem contingat, eoque fortius, quia quando accidit, ambiguam non reddit Synodici mensis electionem, qui tunc Paschalis censeri debet, ut paulo infra patebit etiam ex divina Scriptura, sed solum non uniformem menti Ecclesiæ facit cyclarem quartam decimam, quæ tunc signanda est 18. Aprilis. Hoc tamen Cyclaris quartæ decimæ vitium, quippe quod ex eo provenit, quod per accidens contingere reputandum est, refundi similiter debet æque, ac si per accidens contingat; eoque magis, quia per literam Dominicalem, ut plurimum, corrigitur, adeo ut longissimo illo temporis intervallo ab Anno 1700. ad Annum 5000. bis tantum futurum sit, ut litera Dominicalis hunc Cycli errorem non corrigat, quemadmodum clare patet in Epitome *pag.* 78. §. *Insuper &c.* quod etiam curandum non esse patet etiam ex divina Scriptura, uti probatur Quæstione quinta *num.* 28.

10 Ea vero, quæ per accidens, ac præter Ecclesiæ intentionem accipienda sunt, absurda dici non possunt; imo absurdum sane, & ab Ecclesiæ sapientia alienum esset, si ad constituendam rectitudinem lunæ decimæ quartæ, quæ in prædicto casu nullius Plenilunii signanda est die 18. Aprilis, generalis regula de Paschali quarta decima decernetur ad talem normam, ut hisce particularibus, ac raro contingentibus casibus responderet. Quoniam omissis iis, quæ ad regulam generalem statuendam requiruntur, non solum ad hanc regulam conformari deberet luna decima quinta Paschalis, in unoquoque die intra Paschales terminos contingens, ex quo emergeret, ut ipsa regula, quippe quæ quintam decimam necessario prænuntiaret pridie ante Plenilunium, discrimen ullum non faceret nisi diei lunaris nomenclatura, inter diem Catholicæ Paschæ & diem vesperis Paschæ Judæorum, sive clarius im-

molationis Agni, seu Paschæ Quartadecimanorum; verum etiam eadem generali regula, qui proprie primus mensis est, fieret ultimus mensis Anni superioris, contingente nimirum medio Plenilunio die 22. Martii a præcedente solis occasu, usque ad ipsius ortum, & ultra. Quidquid enim de cœlesti quarta decima prorsum ab hujus initio participat civilis decima quarta diei 18. Aprilis, quando nullum extat Plenilunium intra terminos Paschales, præcise participaret etiam civilis quartadecima, quæ utpote diem Ecclesiastici Æquinoctii præcedens a Paschalibus reiici posset; præcise, inquam, participaret etiam civilis quarta decima diei 20. Martii, quando medium Plenilunium contingit in civili die 22. Martii intra spatium horarum 12. min. 44. & sec. 3. prorsum a præcedenti vespera ejusdem diei 22. Martii.

11 Neque eo ipso, quod nulla, in prædicto casu nullius Plenilunii, extat quartadecima ex sensu Catholicæ Ecclesiæ accepta, inferri potest, quod Pascha secundum astronomicas rationes tunc prænuntiari nequeat. Cum enim in Cæsariensi Concilio, uti exposui Quæstione prima, statutum fuerit, ut — *De Luna præceptum Divinum teneatur* — Deus in libro Numerorum *cap. 9. verf. 6. & seqq.* concessit, ac deinde observatum fuit in libro secundo Paralipomenon *cap. 30. ver. 2. & seqq.* ut quibusdam casibus licitum sit Pascha celebrare secundo mense. Quare Theophilus Patriarcha Alexandrinus in Prologo apud Petavium *de Doct. Temp. tom. 2. in Appendice*, & post ipsum Theophilum Computistæ cum Christophoro Clavio communiter affirmant, posse secundo mense Pascha celebrari *ex necessitate*, quam necessitatem esse in casu, de quo agitur, nullo scilicet extante Plenilunio medio intra terminos Paschales dubitari nequit. Quotiescunque igitur in hoc casu mensem secundum assumimus ad Paschæ prænuntiationem, Canonicas Sanctiones observamus, uti patet ex nuper deductis, & astronomicam sequimur rationem, quoniam Paschalem facimus Lunationem, cujus civilis quarta decima a Cyclo sejuncta, secundum astronomicam rationem præcipue expositam in Corollario post resolutionem tertiæ Quæstionis, contingit die 19. Aprilis, qui relative ad terminos Paschales, ac etiam ad vetus, & novum Calendarium pertinet ad secundum mensem lunarem. Elevato autem in Paschale hujus Lunationis Plenilunio, ut illibati serventur limites quartædecimæ Paschali præstituti, id solum emergere cognoscitur, quod solam illam rationem astronomicam præterimus, qua rectitudo cœlestis quartæ decimæ discernatur, præterimus, inquam, designantes cyclarem quartam decimam die 18. Aprilis, in quo primus quadrans cælestis quartæ decimæ contingit, pro die 19. ejusdem mensis; quod, uti supra non est absurdum, & ab Anno 1700. ad Annum Domini 5000. bis tantum contingit, quin per literam Dominicalem corrigatur.

12 Hinc apparet ratio, qua nullo extante intra terminos Paschales Plenilunio medio, illud, quod contingit die 21. Martii, ad ultimum superioris Anni mensem, illud vero, quod contingit in civili die 20. Aprilis, ad secundum ineuntis Anni mensem pertineat. Ex Plenilunio enim diei 21. Martii, luna decima quarta ex sensu Catholicæ Ecclesiæ accepta, clare deprehenditur in civili die 20. Martii, pridie scilicet ante Æquinoctium Ecclesiasticum, ac propterea clare pertinens ad ultimum superioris Anni mensem: Ex sequenti autem Plenilunio die

20.

20. Aprilis, ipsa luna decima quarta ex sensu Catholicæ Ecclesiæ accepta clare deprehenditur die 19. Aprilis, die scilicet præfixo lunæ decimæ quartæ secundi mensis, & consequenter pertinens ad secundum ineuntis Anni mensem. Bene igitur in ordinandis, atque expendendis Cyclis, quando nullum extat Plenilunium intra Paschales terminos, illud diei 21. Martii appellatur ultimi mensis, illud vero diei 20. Aprilis dicitur secundi mensis. Imo hæc ipsamet secundi mensis appellatio proficua est, utpote quæ illico manifestat, quod hujusmodi Plenilunium, quamvis propter enunciatam necessitatem elevandum in Paschale, tamen reputari non debet æque, ac illud Plenilunium, quod contingit intra prædictos terminos, & cælestem lunam decimam septimam superius memoratam habet in primo mense, juxta civilem solis cursum. Si enim Cyclus quandoque vitare nequeat peccatum de mense, illud primo debet, quam maxime potest, declinare peccatum, quando medium Plenilunium extat intra prædictos terminos, rejectis in Cycli vitium cæteris de mense peccatis, quæ simul vitari non possunt. Nec meo marte hoc protuli, quamvis sacris Canonibus, & rationi consentaneum; id ipsum enim didici, serio expendens Cyclum Sancti Dionysii Archiepiscopi Alexandrini, de quo locutus sum in præcedenti Dissertatione *num.* 61. *& seqq* & Cyclum Annorum 95. Sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini, de quibus Cyclis in hisce terminis loquar Quæstione septima *num.* 5.

13 Nec facit absurdum, quod secundus mensis ultimum superioris Anni tunc excipiat, nullo interposito primo mense. Cum enim ex dictis pateat, permissum esse, urgente necessitate, celebrare Pascha secundo mense, quotiescunque Plenilunium mensis Aprilis, quod secundi mensis, uti supra, appellatur, in Paschale tunc elevamus, sive clarius, pro Paschæ celebratione accipimus, illud ipsum revera facimus primi mensis, immediate excipiens ultimum mensem Anni superioris, facimus inquam, primi mensis, designatione lunæ decimæ quartæ Paschalis die 18. Aprilis existimantes, quod per accidens, ac præter Ecclesiæ intentionem contingat, ut luna decima quarta Paschalis tunc non signet diem immediate ante Plenilunium, sed primum quadrantem cœlestis quartæ decimæ.

14 Discussa igitur tum in abstracto, tum in concreto asserta terminorum Paschalium angustia, atque nullis ex ea absurdis emergentibus, de quibus doctissimus Anonymus mentionem facit §. *Omnino &c.* nostra Paschalis quartæ decimæ definitio omnino firma persistit.

15 Mirum tamen non est, quod difficultatibus ab Anonymo eleganter expositis §. *Omnino &c.* atque, uti supra resolutis, minime sese implicent, qui quartas decimas, cæterosque lunares dies civilium dierum finibus non circumscribunt, sed ipso Novilunii puncto, quacunque hora contigerit, primam lunam auspicantur, ultimum diei 18. Aprilis terminum ita interpretantes, ut quarta decima luna a Paschali mense minime sit arcenda, si qua sui parte in civilem diem 19. excurrat, modo ex parte alia decimum octavum attingat. Hi enim præ oculis non habuerunt absurda, quæ nuper exposui *num.* 10. & insuper cum horum sententia sese extendat ultra prædictum casum nullius Plenilunii intra terminos Paschales, quippe quæ legitimam absolute facit quartam decimam, quæ initium cœlestis quartæ decimæ attingit, ea quo-

que absurda præ oculis non habuerunt, quæ jam exhibui Quæstione tertia refellens hanc sententiam *num.* 12. *& seqq.*

16 Quapropter non dubito, quod hæc sententia singulis Annis habet, quem diem intra Paschales terminos signet cum luna quarta decima, sed dico, quod inter cetera absurda, quæ hæc sententia, uti supra, involvit, illud manifestum est, quod jam notavi *loc. cit. num.* 20. Ideo enim hæc sententia singulis Annis habet, quem diem intra fines Paschales signet cum luna quarta decima, quia ipsa sententia primi mensis facit non solum lunationem mense Aprili contingentem nullo extante Plenilunio intra terminos Paschales, verum etiam lunationem eodem Aprili mense contingentem, quæ certo secundi mensis est. Quod breviter planum faciam. Quotiescunque medium Plenilunium contingit post ortum solis diei 20. Aprilis, & successivis horis usque ad meridiem, & ultra, initium cælestis quartæ decimæ contingit intra Paschales terminos die 18. Aprilis, quem ipsa sententia signat cum luna decima quarta; at medium Plenilunium, quod huic præcedit, certo advenit in civili die 22. Martii; ac propterea hoc primi mensis est; illud vero a prædicta sententia designatum, tanquam primi mensis, vere, & realiter est secundi mensis. Exemplum.

Dato Plenilunio medio Aprilis ———————D.	19.	hor. 20. post merid.
si subtrahatur ———————————D.	1.	18.22' 1"
initium cœlestis quartæ decimæ contingit Apr.D.	18.	1.37. 59. p. m.

quem diem ipsa sententia signat cum luna quarta decima primi mensis, licet medium Plenilunium huic præcedens contingat in civili die 22. Martii, ut dictum est, & breviter faciam manifestum.

Ex prædicto Plenilunio Apr. die 19. & hor. 20. post meridiem, nempe

Martii ———————————D.	50.	hor. 20. post merid.
Subtracto mense Synodico ————————D.	29.	12. 44' 3"
Plenilunium proxime præcedens contigit Mar.D.	21.	7.15.57. p.m.

17 Dum præ oculis est inductum exemplum, ex eo evidenter patet, quod in hypothesi, de qua Anonymus loquitur §. *Hisce quidem &c.* scilicet in hypothesi illorum, qui -- *ipso Novilunii puncto, quacunque hora contigerit, primam lunam auspicantur* — ne contingere quidem potest, quod ibidem notat Anonymus, nempe -- *quartam decimam hoc pacto acceptam intra Paschales terminos duplicem reperiri, alteram scilicet, quæ diem* 21. *Martii, alteram quæ* 18. *Aprilis obsideat* — . Possibile enim non est, ut initium quartæ decimæ tunc contingat in civili die 21. Martii, sed absolute advenit in civili die 20. ejusdem mensis, quemadmodum unicuique manifestum erit.

Si ex illo Plenilunio Martii ————————D.	21.	hor. 7.15.57. p.m.
ad obtinendum quartæ decimæ astronomicæ initium subtrahatur ———————D.	1.	18.22. 1.
Initium enim ejusdem quartæ decimæ tunc contingit Martii ——————————D.	19.	12.53.56. p.m.

Quare enunciata absurda fortius procedunt.

18 His itaque discussis, illud persuasum habeo, quod aliud est, quod Paschalis quartadecima ex sensu Catholicæ Ecclesiæ accepta ante

omnem

omnem Cyclum involvat absurda; hoc enim cum in Catholicam de Paschali quarta decima doctrinam refundatur, absolute malum est; aliud est, quod eadem Paschalis quartadecima similiter ante omnem Cyclum intra terminos Paschales non deprehendatur casibus, uti supra, per accidens contingentibus; hoc enim malum non est, sed potius rationi consonum, quia æque, ac per accidens, & præter Ecclesiæ intentionem contingit.

At quibus raris, atque, uti supra per accidens contingentibus casibus Paschalis quartadecima, juxta nostram definitionem accepta intra termnos Paschales non deprehenditur, ambigua tamen non redditur mensis Paschalis electio, tum de facto, tum ex divina Scriptura, uti constat ex dictis. Itaque.

„ Ad quartam Quæstionem *respondetur quod* — Paschalis quartadecima ante omnem Cyclum ex mediis Lunæ motibus quotannis internosci potest acceptione illius civilis diei, a die nimirum Æquinoctii Ecclesiastici 21. Martii inclusive, usque ad diem decimum octavum Aprilis similiter inclusive, acceptione, inquam, illius diei civilis, qui immediate præcedit civilem diem, in quo contingit medium Plenilunium, salvo usu virtutis Gnome, & hoc pacto quartadecima Cyclica servatis Paschalibus limitibus cum ea componi potest. Si vero quandoque accidat, ut intra prædictos terminos a die vigesima prima Martii ad diem decimum octavum Aprilis, nullus extet talis dies, tunc ante omnem Cyclum assumi debet civilis dies decimus octavus Aprilis.

COROLLARIUM.

19 Gravium, & maxime intricatarum difficultatum circa lunam decimam quartam Paschalem resolutiones patefaciunt, quod ad Paschale constituendum cæleste Plenilunium nulla ratio haberi debet ad Æquinoctium physicum, neque ad astronomicum, tam medium, quam verum, sed solum ad Æquinoctium Ecclesiasticum, sive civile, diei 21. Martii affixum, quemadmodum diserte notat etiam Anonymus, & præcipue Quæstione secunda. Id ipsum dictum est in Epitome *pag.* 11. *&* 13. *&* *pag.* 212. *&* 215. *&* *seqq.* confutato Francisco Levera, & Dionysio Varianelli, & demum Albizino, qui omnes Calendarium Gregorianum impugnantes, respective contenderunt, Pascha Anni 1666. & 1685. tunc celebrandum esse mense Martio, non autem (uti factum est) mense Aprili; ea præsertim ducti ratione, quod pro recta Paschæ indictione attendi debeat Æquinoctium astronomicum, non autem Ecclesiasticum, ac propterea Paschale fuerit Plenilunium, quod astronomico Æquinoctio proxime succedebat, licet contigisset ante civilem diem 21. vel in ipso civili die 21. Martii, prout contigit Annis prædictis; idque non aliis fundamentis affirmarunt, nisi quia uniforme sit asserto Decreto Nicæni Concilii, nec non Gregorii XIII. Pont. Max.

20 Nonnulli tamen Recentiores illis Calendarii Adversariis ita favent, ut minime expensis iis, quæ ad rectam Paschæ indictionem conducunt, affirment contra sententiam insignium Virorum, Christophori Clavii, Cassini, Maraldi, Manfredi, Blanchini, Bonjour, & aliorum, affirment,

affirment, inquam, Cyclum Currentium Epactarum recte procedere Anno 1742. & consequenter aliis Annis labentis sæculi eodem aureo numero insignitis, exhibentem usum Epactæ XXIII. ac propterea indicentem Pascha mense Martio. Deducunt rationem ex eo, quia Anno 1742. verum Æquinoctium futurum est ad meridianum Romanum Martii die 20. & hor. 6. & min. 26. post meridiem (consultius dixissent Martii die 20. hor. 6. min. 55. & sec. 25. post meridiem, quemadmodum præscribunt Ephemerides Manfredianæ) medium autem Plenilunium adventurum est post cæleste Æquinoctium, nempe Martii die 20. hor. 20. & min. 13. post meridiem.

21 Regula utique pro discernendis Paschalibus Pleniluniis, vel accipi debet ex Æquinoctio Cælesti sive astronomico, vel ex Æquinoctio Ecclesiastico, quoniam, ut elegantissime notat Anonymus §. *Omnino &c. in fine — plane quarta decima astronomica notam habere non potest ullam, qua a ceteris internosci, ac paschalis censeri debeat, si hanc unam excipiamus, quod intra destinatos quosdam ab Ecclesia limites incidat* —. Quomodocunque autem ipsa regula accipiatur, prædicti Recentiores semper errant, Paschale affirmantes prædictum Plenilunium Anni 1742.

22 Si accipi debet ex Æquinoctio Ecclesiastico, uti revera ex dictis accipienda est; ergo ipsi Recentiores perperam affirmant, quod Cyclus Currentium Epactarum recte procedat Anno 1742. & consequenter aliis Annis labentis sæculi eodem aureo numero insignitis. Ex dictis enim Quæstione tertia evidenter patet, quod dies 20. Martii, quippe qui Anno 1742. est dies proxime ante Luminarium oppositionem, signari debet cum cyclari luna decima qnarta, dies vero 21. Martii, qui proprie est dies oppositionis Luminarium, signari debet cum cyclari luna decima quinta, non autem [ut fit per prædictum Cyclum] cum luna decima quarta. Hoc adeo verum est, ut Sanctus Innocentius primus Papa in Epistola ad Aurelium Africæ Primatem, ibidem allegata, atque exposita *num.* 29. *& seqq.* contingente medio Plenilunio in eadem præcise hora, ac futurum est Anno 1742. [notetur bene, quod non dico in eodem civili die, sed in eadem diei hora] dixerit, diem hujusmodi Plenilunii esse lunam decimam quintam, atque in eo Pascha fuisse celebrandum. Cum ergo dies, qui Anno 1742. signandus est cum luna quarta decima, præcedat diem 21. Martii, Æquinoctio Ecclesiastico præstitutum, ipsa Lunatio Paschalis non est, ut apertis verbis docet etiam Gregorius XIII. Pont. Max. in Bulla, quæ incipit — *Inter gravissimas* — sed ultimi mensis est Anni superioris. *Ante enim Æquinoctium* [sunt verba Sancti Epiphanii ad Hæresim 70. contra Audianos *pag.* 687.] *non implebitur Annus, neque impletur, circulo cursus ex Deo hominibus constituto, ut etiam ob id quasi in se ipsum rediens Græcis appellatur idem Annus, nisi præterierit Æquinoctium* —.

23 De hoc licet nullum occurrat dubium, & claram proferat doctrinam Clavius *in Explic. Calendaris cap.* 18. *num.* 6. *in fine pag.* 387. *cap.* 19. *num.* 5. *pag.* 392. *& cap.* 24. *num.* 13. *pag.* 584. *& cap.* 27. *pag.* 620. adeo ut ipse Clavius, quemadmodum exposui Quæstione prima *num.* 21. errorem memorati Cycli de Anno 1742. *ingenue fateatur*; nihilominus non pigeat, individuales Patrum audire auctoritates.

24 Victor Capuæ Episcopus, qui floruit circa Annum Domini 550. & cujus Opera deperdita sunt, apud Bedam *lib. de Vernali Æquinoctio* sic

ait —

ait -- *Luna si decima quarta reperitur sole in prima parte sui circuli constituto jure primi mensis adscribitur. Si vero prius decima quarta luna hoc pleno lumine Orbis effulserit, quam sol memoratam primam partem circuli sui contigerit, duodecimi mensis esse reperitur, vel reputabitur; & quoties ita contingit, solemnitas differtur ad alterum Plenilunium, quod venire necesse est adhuc sole in prima parte de duodecim circuli partibus constituto* --. Quomodo ergo ad primum mensem pertinere potest prædicta lunatio Anni 1742. quæ ad vesperam desinentis diei 20. Martii [data conjunctione, vel prope, linearum mediorum motuum cum lineis verorum] orietur pleno lumine orbis ita effulgens, ut ipso die 20. Martii intuentibus manifestet lunam decimam quartam, die autem 21. ejusdem mensis quintam decimam?

25 Ceolfridus vero Abbas in Epistola ad Regem Naitanum apud Bedam *lib. 5. Hist. Eccles. Gentis Anglorum cap. 22.* & apud Harduinum *tom. 3. Concil. pag.* 1850. sic loquitur -- *Quæcunque ergo luna ante Æquinoctium plena est, decima quarta videlicet, vel decima quinta existens, hæc ad præcedentis Anni novissimum pertinet mensem, ideoque Paschæ celebrando habilis non est* --. Quid clarius dici poterat, ut Paschalis non reputetur prædicta lunatio, quæ pridie Æquinoctium plena orietur decimam quartam ostendens?

26 Venerabilis denique Beda *lib. de Temp. ratione cap.* 43. sic ait -- *Anni Communes, & Embolismici, sicut supra dictum est, ab exordio primi mensis, quem Hebræi Nisan vocant, hoc est ab accensione Lunæ Paschalis initium sumunt, cujus exordium mensis hac regula debet observari: ut nunquam Luna Paschæ decima quarta vernum præcedat Æquinoctium, sed vel in ipso Æquinoctio, hoc est duodecimo Calendarum Aprilium, vel ea transgressa legitima procedat* --. Cum accensio Lunæ, quidquid sibi suadeant nonnulli Recentiores, non significet novilunium cyclare, sed mediam luminarium conjunctionem ad tradita per eundem Bedam *loc. cit. cap.* 41. & per Clavium *in explic. Calend. cap.* 18. *num.* 4. & Petavium *de Doct. Temp. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 14. allegata Bedæ verba de Anni lunaris initio intelligenda sunt juxta medios Lunæ motus, ac propterea Lunatio, de qua agitur, secundum Bedam reicienda est a Paschalibus, quippe quæ quartam decimam habet non die 21. Martii, ut Beda docet, sed die 20. ejusdem mensis.

27 Insuper idem Beda *loc. cit. cap.* 48. sic docet -- *Lunæ Paschalis plenitudo non Æquinoctium præire, sed sicut in principio creaturarum ordinatum est, sequi potius debet; quando primum ortus est sol incoationе diei, vernum tenens Æquinoctium, deinde orta est Luna in inchoatione noctis, autumnalis Æquinoctii tenens ipsa particulam* --. Et post pauca docet, quod in solemnitate Paschali -- ibi -- *sicut diximus, primum solem primitivæ Creationis statum, ac deinde Lunam necesse est conscendere, ut & hic per Æquinoctii transgressum longitudinem noctis superet, & illa per Plenilunium totam ejus, quantulacunque est, longitudinem illustret* --. Hisce verbis similia ipse Beda docet *loc. cit. cap.* 4. & *libro de ratione computus, interrogatione tertia*. Immoremur paulisper considerantes Bedæ verba. Dicit Beda, quod Lunæ Paschalis plenitudo præire non debet Æquinoctium. In Lunatione autem, de qua agitur, ad vesperam desinentis diei 20. Martii, pridie scilicet Æquinoctium, orietur Luna cum luminis plenitudine. Ergo ipsa Lunatio non est Paschalis.

schalis. Dicit insuper Beda, quod, ut Lunatio solemnitati Paschali habilis sit, primum solem inchoatione diei vernum tenentem Æquinoctium, deinde lunam necesse est conscendere, prout contigit quarto die creationis, in inchoatione noctis, tenentem autumnalis Æquinoctii particulam, idest, vix ingressam in signum Libræ. Luna itaque in hoc solis aspectu oriens in inchoatione noctis nondum est soli præcise opposita, uti manifestat Parallaxium doctrina, sed proxima est oppositioni cum sole. Luna vero in Lunatione, de qua agitur, erit soli diametraliter opposita post ortum solis diei Æquinoctii; & quando postea orietur, non tenebit solum signi Libræ particulam, sed sextum circiter gradum ejusdem signi; & insuper non orietur in inchoatione noctis Æquinoctium consequentis, sed nocte jam inchoata, scilicet post occasum solis diei 21. Martii tanto temporis spatio, quantum de Arcu diurno ob proprium sui motum Orientem versus, ultra rationem proprii motus solis ascensura est a momento diametralis oppositionis, usque ad solis occasum, præteritis iis, quibus citius, vel tardius apparentiæ lunares possunt contingere. Ex Bedæ igitur verbis semper confirmatur, prædictam Lunationem solemnitati Paschali esse inhabilem; idque apertius confirmant postrema ejusdem verba. Cum enim ipse Beda requirat, ut Luna Paschalis per Plenilunium totam noctis post Æquinoctium, *quantulacunque est*, longitudinem illustret, utique Lunatio, de qua agitur, totam prædictæ noctis, *quantulacunque est*, longitudinem illustrare nequit, quoniam certo oritura est post solis occasum, ut dictum est; ac propterea Paschalis non est. Huc usque si regula pro discernendis Paschalibus Pleniluniis accipi debet, uti oportet, ex Æquinoctio Ecclesiastico.

28 Si vero prædicta regula per modum hypothesis accipi debet ex Æquinoctio Astronomico, adeo ut sufficiat, ut Plenilunium post hujusmodi Æquinoctium, quemadmodum existimant ipsi Recentiores, contingat; Franciscus Levera, & ipsius sequaces sanam circa hoc doctrinam pronunciassent; & consequenter Pascha Anni *1666.* & *1685.* non sine Cycli errore fuisset celebratum mense Aprili; & quod magis est, cognita causa Romæ ubi instante ipso Levera, & Varianello habita fuit die 12. Martii Anno 1671. ordine Sanctissimi, nempe Alexandri VII. Pont. Max. Congregatio super Calendario, & computo Ecclesiastico: & insuper non sine Cycli errore plurima Paschata in futurum celebrarentur; adeo ut quæ necessitas ad præsens extat emendandi Calendarium Gregorianum potius augeretur; & Nicæni termini Paschales profecto variarentur, & inconstantes fierent cum evidenti dissensionum periculo in Paschæ celebratione.

29 At dato per modum hypothesis, quod attendi debeat Æquinoctium astronomicum, quod ex dictis absolute negatur, num inde sequeretur, quod Cyclus Currentium Epactarum recte procederet in designando Paschali mense Anni 1742? Quam magna est eorum hallucinatio, qui re serio non expensa loquuntur. Itaque probatur, quod dato per modum hypothesis, quod attendi solum debeat Æquinoctium astronomicum, nihilominus ultimi mensis est Lunatio, quam prædictus Cyclus facit Paschalem Anno 1742. Ad Paschalem enim, sive primi mensis faciendam Lunationem necesse esset, ut qui civilis dies cum luna quarta decima signandus est, saltem in Æquinoctii incidat diem,

vel

vel hunc subsequatur; qui vero civilis dies cum luna quinta decima signandus est, prius non contingat, quam post diem Æquinoctii; idque inferius patebit, tum ex Sacris Canonibus, tum ex Divina Scriptura; quidquid recentiores Hebræi, *apud quos* (ut monuit Sanctus Epiphanius ad Hæresim 70.) *depravata sunt omnia*, in usum invexerint contra eandem divinam Scripturam, ac vetustissimorum Judæorum Doctrinam, ut expositum est in Epitome *pag.* 115. Cum igitur in Lunatione, de qua agitur, qui civilis dies cum luna decima quarta signandus est, adveniat pridie Æquinoctium; qui vero civilis dies signandus est cum luna decima quinta, contingat ipso astronomici Æquinoctii die 21. Martii, utique Paschalis, sive primi mensis non est prædicta Lunatio, sed ultimi mensis Anni Superioris. Sacri enim Canones, atque Divina Scriptura silentio præteritis Sanctorum Patrum auctoritatibus, non patiuntur, ut primi mensis dici possit illa quinta decima (qualis est dies oppositionis Luminarium) quæ die Æquinoctii contingit.

30 Sacri namque Canones jam allegati in Dissertatione post Quæstionem tertiam *num.* 3. *& seqq.* quibus uniformis est Bulla Gregorii XIII. Pont. Max. jam allegata Quæstione secunda *num.* 10. & Quæst. tertia *num.* 15. cum aperte præcipiant, Paschæ Festum agendum esse post Æquinoctium, ac luna decima quinta primi mensis; si hæc cum die Dominico concurrat, utique ostendunt, ad ultimum mensem pertinere Lunationem, cujus quinta decima, qualis est dies Plenilunii contingit die Æquinoctii; alioquin quinta decima in diem Dominicum incidente, Pascha celebrari posset die Æquinoctii contra eosdem Sacros Canones.

31 Divina vero Scriptura præcepit, solemnitatem Azymorum, quæ erat prima ex septem Azymorum diebus, atque luna decima quinta primi mensis, *Exod. cap.* 12. *Levit. cap.* 23. *vers.* 6. *& Libro numerorum cap.* 28. *vers.* 17. celebrandam fuisse tempore mensis novorum. *Exod. cap.* 23. *vers.* 15. *& cap.* 34. *vers.* 17. nec dubium est, quod etiam ipsius solemnitatis initium contingere debebat tempore mensis novorum. Azymorum enim comestio non solum præcepta fuit septem solidis diebus, *Exod. cap.* 12. *vers* 15. *& cap.* 13. *vers.* 6. *&* 7. *& cap.* 23. *vers.* 15. *& cap.* 34. *vers.* 18. *Levit. cap.* 23. *vers.* 7. *& Libro num. cap.* 28. *vers.* 17. quorum dierum fines a vespera in vesperam statuuntur *in Levit. cap.* 23. *vers.* 32. verum etiam tempore mensis novorum *Exod. cap.* 23. *vers.* 15. *& cap.* 34. *vers.* 17. *&* 18. ac denique eadem Azymorum comestio re ipsa incipiebat ad decimæ quartæ vesperam, quæ initium erat civilis decimæ quintæ. *Exod. cap.* 12. *vers.* 18. atque servanda erat usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam, *Exod. cap.* 12. *vers.* 18. Vetito ubique fermento omnibus illis septem diebus, *Exod. cap.* 12. *vers.* 15. *&* 19. *& Deut. cap.* 16. *vers.* 3. *& seq.* adeo ut Agnus ad vesperam desinentis decimæ quartæ jam immolatus, deinde comedendus etiam erat cum ipsis Azymis, *Exod. cap.* 12. *vers.* 8. *Lib. numer. cap.* 9. *vers.* 3. *Deut. cap.* 16. *vers.* 3.

32 Rursus eadem Divina Scriptura mensem novorum ostendit eundem esse, ac primum mensem verni temporis. Eadem enim dies, in qua Hebræi, Pharaone Primogenitorum plaga perterrito, egressi sunt de Ægypto, appellatur *in Exod. cap.* 13. *vers.* 3. *& cap.* 23. *vers.* 15. — ibi —

mense novarum frugum —; capite autem 34. *ver.* 18. dicitur — ibi — *mense verni temporis* —; quemadmodum hæ ipsæ mensis denominationes simul junguntur, eundem mensem designantes, in Deuteronomio *cap.* 16. *ver.* 1. -- ibi — *Observa mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte* --. Unde Sanctus Isidorus *de Eccles. offic. lib.* 1. *cap.* 31. sic ait — *Primus mensis in Anni mensibus celebrationi huic attributus est, nam ipse dicitur mensis novorum.*

33 Dicam breviter, mensem novarum frugum fuisse in sacra Scriptura nominatum, non quia mensem aliquo modo diversum designet a primo mense verni temporis, sed quia in hoc primo verni temporis mense Judæi frui non poterant segete, nisi post oblationem Homer, uti habetur in Levitico *cap.* 23. *ver.* 14. — ibi — *panem, & polentam, & pultes non comedetis ex segete usque ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro* --. Insuper cum iisdem Hebræis præceptum fuerit *in Levitico loc. cit. ver.* 10. -- ibi -- *cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem: qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis altero die Sabbati* (nempe luna decima sexta prædicti primi mensis, vel si tunc fuisset Sabbatum, luna decima septima, ut apertius explicabo in Dissertatione post Quæstionem quintam *num.* 43.) *& santificabit illum* —; ipsi Hebræi ante oblationem Homer non solum frui non poterant segete, sed nec etiam segetem poterant metere; quoniam prædicti manipuli spicarum, primitiæ messis, inservire debebant, sive clarius, erant materia pro oblatione Homer. Quare Josephus Judæorum Sacerdos *lib.* 3. *Antiq. Judaic. cap.* 10. sic ait — *Secunda Azymorum die, quæ erat mensis hujus decima sexta* [nempe regulariter] *frugibus demessis, & hactenus intactis incipiunt frui &c. . . . . & ex eo licitum sit publicas, & privatas messes metere* --. Quod veritati consonum fuisse probat Textus in Deuteronomio *cap.* 16. *ver.* 9. circa Festum hebdomadarum, sive Pentecostes -- ibi -- *Septem hebdomadas numerabis Tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris* —. Cum igitur primus mensis verni temporis fuerit Hebræis maxime exoptatus propter prædictam metendi potestatem, ac liberum usum frugum, ipse primus mensis dicitur mensis novarum frugum.

34 Re ita sese habente, cum Azymorum solemnitas celebrari non potuerit, nisi mensis novorum jam advenisset ante ipsius solemnitatis initium; & cum hic novorum mensis idem sit, ac primus mensis verni temporis; utique ipsa solemnitas celebrari non potuisset in illa quinta decima, cujus initio jam non præcessisset Æquinoctium astronomicum.

In hypothesi enim, de qua loquimur, Æquinoctium astronomicum accipitur pro termino, in quo hibernum tempus finem habet, & a quo initium sumit verna immutatio. Bene ergo vetustissimi Judæorum Agatobulus, & Aristobulus apud Eusebium *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 32. — ibi -- *cum Quæstiones Exodi exponerent, dixerunt, Pascha non prius esse immolandum, quam Æquinoctium vernale transiret* — non transisset -- sed transiret -- idest contingeret ipso saltem immolationis die decimo quarto Lunæ, quoniam Azymorum solemnitas, quæ est luna decima quinta, subsequi debet vernale Æquinoctium: quod ipsum habetur etiam ex Josepho Judæorum Sacerdote *lib.* 3. *Antiq. Judaic. cap.* 13.

13. — ibi — *Mense vero Zanthico, qui apud nos Nisan appellatur, & est Anni principium, quarta decima luna, sole consistente in Ariete, quo mense liberati sumus a servitute Ægyptiorum, sacrificium, quod tunc egredientes ex Ægypto fecerunt, immolare nos Annis singulis* [*quod Pascha dicitur*] *celebrareque praecepit, & utique celebramus illud per Tribus nostras nihil immolatorum in crastinum reservantes* —; quibus concordat Philo Judæus in libro de Septemnario & Festis *pag.* 1191. Sic dicens — *Verna Tempestate Festum* [nempe solemnitatis Azymorum] *celebrari contingit* —.

35 Quotiescunque autem initium diei, qui cum luna decima quinta signandus est, advenisset ante vernum tempus, qualis est casus, de quo agitur, solemnitas Azymorum differenda non erat in alios dies lunares, cum cæteri quoque dies ad eundem mensem Lunarem pertineant; sed differenda erat in Lunationem tunc sequentem, quoniam, ut inquit Sanctus Augustinus *tom.* 3. *pag.* 1. *Quæst. in Numeros lib.* 4. *quæst.* 15. — *Lunæ numerus observabatur*; quod adeo verum est, ut legatur in Exodo *cap.* 13. *ver.* 10. — ibi — *custodies hujusmodi cultum statuto tempore a diebus in dies*.

36 Quæ igitur Lunatio in veteri Lege apta non fuisset celebrationi solemnitatis Azymorum, qualis est præmemorata Lunatio mensis Martii Anno 1742. quintamdecimam habens die 21. Martii, in quo contingit Æquinoctium astronomicum, ne apta quidem esse potest celebrationi Paschę Christianorum. In Synodali enim Epistola Cęsariensis Concilii celebrati auctoritate, & hortatu Victoris primi Papę, & Martyris relata per Clavium *cap.* 1. *num.* 5. & alios legitur — ibi — *De Luna Divinum præceptum teneatur* —. Quod tali sapientia sancitum est, ut Ecclesia Catholica, sanctique Patres uniformiter ad ea, quę Apostolus Paulus docuit, & Regius Propheta vaticinatus est, jam relati Quęstione tertia *num.* 66. *& seqq.* id ipsum perpetuo custodierint. Ultimi ergo mensis est Lunatio, de qua agitur, etiamsi per modum hypothesis, uti supra, attendi solum deberet Æquinoctium astronomicum.

37 Ipsa igitur Lunatio semper est ultimi mensis, vel attendatur Æquinoctium Ecclesiasticum, quemadmodum hoc solum attendi debet; vel attendatur Æquinoctium astronomicum; evidentius vero si per modum hypothesis attendi velit Æquinoctium physicum, prout ipsimet Recentiores ulterius propensi esse videntur, considerantes quidem in hac re Æquinoctium physicum, & insuper quoad istius Æquinoctii initium, non autem quoad finem. Æquinoctium enim physicum, de quo in sequenti Dissertatione erit sermo, in hac hypothesi accipitur pro termino, in quo finem habet hibernum tempus, & a quo initium sumit verna immutatio; ac propterea cum adeo latam habeat extensionem, ut tres fere partes civilis diei 21. Martii certo occupet Anno 1742. idem physicum Æquinoctium apertissime ostendit, medium Plenilunium ejusdem Anni 1742. certo contingere pluribus horis antequam ipsum Æquinoctium physicum desinat, diemque signandum cum luna quinta decima esse ipsum Æquinoctii physici diem 21. Martii. Certum ergo est, hanc Lunationem esse ultimi mensis. Quinta decima enim, quæ post Æquinoctii diem non contingit, prout est casus, de quo agitur, semper est, uti probavimus, ultimi mensis Anni superioris.

38 Quo prædicta omnes facilius intelligant, exemplo practico rem ex-

plicabo. Dies Plenilunii, de quo agitur, ſignetur qua proprie ſignandus eſt luna decima quinta; quod quiſque illico obtinebit, ſi adhibeat Epactam xxiv. quæ lunam decimam quintam indicat die 21. Martii. Hoc peracto ſtatim cognoſcetur, quod præmemorata Lunatio, utpote quæ quintam decimam habet die Æquinoctii tum phyſici, tum aſtronomici, tum denique Eccleſiaſtici (poſſunt ne majora concurrere ad diſcernendam veritatem?) non eſt Paſchalis, ſed ultimi menſis Anni Superioris. Calendarii namque Canones recte præſcribunt, ut currente Epacta xxiv. Paſcha non celebretur menſe Martio, ſed in Lunatione tunc ſequenti, idque ea præcipue ratione, quia cum Epacta xxiv. quintam decimam exhibeat die Æquinoctii, hujuſmodi Lunatio Paſchalis non eſt, ſed ultimi menſis Anni ſuperioris.

39 At ne prædicta Controverſia rem alicui faciat forſan ambiguam circa Æquinoctium, quod in hac materia attendi debet, operæ pretium putavi præcipuam de eadem controverſia ſubire diſcuſſionem in ſequenti Diſſertatione, in qua non obvia exhibebuntur ad ejuſdem Controverſiæ reſolutionem.

DISSERTATIO.

QUÆRITUR AN ATTENDI DEBEAT DIES ÆQUINOCTII ECCLESIASTICI, VEL DIES ÆQUINOCTII VERI, AUT MEDII, AUT PHYSICI, UT DISCERNANTUR, QUÆ MEDIA PLENILUNIA IN CYCLORUM ORDINATIONE, AUT EXAMINE PASCHALIA CENSENDA SINT.

1 Æquinoctium phyſicum, perſeverat toto illo intervallo temporis, quo ſolare corpus per Æquatoris circulum tranſiens, in hoc circulo immoratur; atque ſecundum inſignis viri Joannis Dominici Caſſini obſervationes, incipit horis 16. cum dimidia fere ante Æquinoctium verum, totidemque horis definit poſt ipſum, ac propterea ſaltem duos dies civiles perpetuo occupat. Hoc Æquinoctium inſervit ſolum ad probandum, quod unica tantum dies ſapientiſſime fuerit conſtituta pro Æquinoctio civili, ſive Eccleſiaſtico. Bene enim præſtituta juxta ſolaris motus exigentiam die Eccleſiaſtici Æquinoctii, licet quandoque in ipſa die non contingat Æquinoctium verum, eadem tamen dies ſingulis, aut fere Annis Æquinoctium ſaltem phyſicum, ex vero etiam rigoroſe deductum includit. Sed nullus quem viderim, affirmat, adhibendum eſſe phyſicum Æquinoctium pro ſolaris Anni æquatione, multo minus pro diſcernendis, uti ſupra, Paſchalibus Pleniluniis. De facto uſu phyſici Æquinoctii conſtantes ſervari non poſſent Paſchales termini, ut per ſe patet, atque a Fidelibus non procul abeſſet diffidendi periculum in celebratione Paſchæ.

2 Medium vero Æquinoctium duplici ratione conſiderari poteſt: *Altera* eſt, quando ex Æquinoctio vero per obſervationem cognito, medium Æquinoctium primo deducitur uſu Proſthaphæreſis, ſive æquationis

tionis centri solis, quam quisque Astronomus sibi statuit. Hoc medium Æquinoctium adhibita Prosthaphæresi Philippi de La Hire consequitur verum Æquinoctium duobus ferme diebus. Ex medio autem Æquinoctio ita accepto, Astronomi radicem mediorum motuum solis constituunt, mediumque cujusvis dati Anni Æquinoctium proferunt instructis opportunis calculis juxta solaris Anni magnitudinem ab eisdem electam. Hujusmodi media Æquinoctia, licet prorsus imaginaria, & fictitia, & a veris Æquinoctiis longe dissita, Astronomi sapienter investigarunt, non ut eorumdem mediorum Æquinoctiorum usu constituatur, neque expendatur civilis temporis ordinatio, sed ut inde verus solis positus sine observationibus obtineri possit usu prædictæ Prosthaphæresis dato tempori congruentis. Quapropter ipsa media Æquinoctia non inserviunt ad probandam, neque ad arguendam erroris Gregorianam solaris Anni Æquationem, ac nullum alium usum habent, quam designandi verum solis positum opportuno usu prædictæ Prosthaphæresis. Nullum itaque opinaturum fore existimo, quod hæc media Æquinoctia adhibenda sint pro discernendis Paschalibus Pleniluniis; duobus enim ferme diebus verum Æquinoctium consequuntur, & ea etiam involvunt, quæ dicta sunt de physico Æquinoctio.

3 Quidam tamen Recentiores hujusinodi medium Æquinoctium Anni 1600. ex Animadversionibus prælaudati Joannis Dominici Cassini super Astronomiam Jndicam desumunt ad meridianum Romanum Martii die 21. & hor. 20. post meridiem, quod perinde est, ac dicere duobus ferme diebus post verum Æquinoctium Anni 1600. Deinde hoc medium Æquinoctium pro suarum supputationum radice accipiunt, ac propterea quidquid de hisce mediis Æquinoctiis nuper dictum est, hæc radix quoque involvit. Quapropter ista Radix apta non est, ut ex ea ordinari, aut expendi possit solaris Anni Æquatio; multoque minus, ut discernantur, quæ media Plenilunia censeri debeant Paschalia. Denique adhibita Gregoriana solaris Anni magnitudine diebus 365. 5. 49' 12" eliciunt ex prædicta radice, atque designant in Tabula Æquinoctia media totius Gregorianæ Periodi Annorum 400. post quam Periodum ipsa media Æquinoctia ad pristinam sedem redeunt in revolutione ejusdem Periodi. At dubitari nequit, eadem Æquinoctia diversam a sua radice naturam sortiri non posse. Miror vero, quod hujusmodi media Æquinoctia ipsimet Recentiores appellant Gregoriana. Ex quo enim adhibeatur Gregoriana solaris Anni magnitudo, inferri nequit, quod ipsa Æquinoctia media dici possint Gregoriana, quando producta sunt, uti faciunt ipsi Recentiores, ex radice prorsus imaginaria, & fictitia, qualis est prædictum Cassini Æquinoctium medium deductum, uti supra expositum est. Ipsa enim sic elicita Æquinoctia, cum pendeant ex prædicta imaginaria, & fictitia radice, hujus naturam induunt, ac propterea ipsa quoque duobus ferme diebus Æquinoctium verum consequuntur. Quare Christophorus Clavius *in Explic. Calend. cap. 7. num. 4. 5. Cum autem &c.* sapienter monet — ibi — *Cum autem dicimus Æquationem nostram medio Æquinoctio congruere, non autem vero, non est intelligendum Æquinoctium medium, ut Astronomi medios motus accipiunt, sed Æquinoctium Anni medii, sive Alphonsini, quod semper fere nostra Æquatione adhibita dici 21. Martii adhærebit*. Hæc tamen postrema Clavii verba veritati consentanea essent, si Mathematicos Gregorianos

non

non decepissent Tabulæ Prutenicæ, ut aperte patebit in Corollario primo post responsum ad quintam Quæstionem.

4 Dum sermo est de Æquinoctio medio, prout ab Astronomis medii motus solis accipiuntur, adnotare etiam liceat, quod eleganti methodo ab eisdem Recentioribus traditæ ad determinandum Novilunium, & Plenilunium Paschale in dato Anno ad Correctionem Gregorianam consequente, assentiri non possum. Ipsa namque methodus docet, quod *subtracta Epacta Æquinoctiali Anni propositi ab invento tempore prædicti Æquinoctii medii, vel si id fieri nequeat, subtrahendo inventam Epactam ab integra revolutione, & residuum addendo invento tempori Æquinoctii medii, obtinebitur Novilunium, vel Plenilunium Paschale quæsitum.* Quidquid sit de casu, quo prædicta subtractio fieri nequeat; ex hac methodo Paschale determinatur medium Plenilunium Anni 1734. quod eadem methodus designat Martii die 19. hor. 7. min. 50. & sec. 58. post meridiem. Hoc autem evidenter probat, vel quod prædicta methodus erronea sit, vel Pascha ejusdem Anni celebratum sit secundo mense, quod nemo dixerit, & adversatur etiam eisdem Recentioribus, qui dicunt, Pascha ipso Anno 1734. rite celebratum fuisse die 25. Aprilis, iisdem recentioribus per me confutatis Quæstione tertia quoad solam hebdomadam hujus Paschæ. Insuper ex eadem methodo Paschale determinatur medium Plenilunium Anni 1737. quod ipsa methodus designat Martii die 15. hor. 23. min. 0. & sec. 53. post meridiem. Hisce enim Annis subtracta Epacta Æquinoctiali, quam ipsi Recentiores in Tabula exhibent, ab Æquinoctio medio per eosdem in alia Tabula designato, emergunt prædicta Plenilunia in hac methodo Paschalia. Potest ne audiri quid absurdius? Idque frequens est, atque provenit ex ipsa methodo. Mirum ergo non est, quod ipsi Recentiores Paschale enuncient prædictum Plenilunium mensis Martii 1742. dum videmus eorundem Recentiorum methodum Paschalia tradere, quæ media Plenilunia etiam pluribus diebus contingunt ante Æquinoctium. Hæc sufficiant circa prædictam methodum, in qua etiam usurpatur synodici mensis magnitudo, ab Astronomorum sententiis longe diversa, nimirum illa, quæ ex Cassiniana Periodo Annorum Gregorianorum 11600. resultat, quamvis ab eisdem recentioribus Cassiniana appelletur.

5 *Alia* ratio, qua medium potest Æquinoctium considerari, est, quando pro mediis motibus solis accipitur radix vera, & realis, constituta scilicet in momento Æquinoctii veri ex observationibus cogniti. Deinde ex hac radice eliciuntur media cujusvis futuri dati Anni Æquinoctia usu præcessionis solis mensis initium versus, Annis Bissextilibus, quæ mediæ magnitudini Anni solaris congruit, ac respective usu progressus solis, mensis finem versus, Annis communibus juxta eandem Anni magnitudinem. Hæc sunt illa media Æquinoctia, quæ idem fere tempus designant, ac vera Æquinoctia, adeo ut nisi per plura Annorum millia error in eis sensibilis deprehendi nequit, propter tardissimum Apogæi solis motum, & propter ipsammet Anni solaris magnitudinem, quam diversi Astronomi diversam tradunt; ac propterea merito inserviunt ad constituendam, atque expendendam civilem, sive Ecclesiasticam solaris Anni Æquationem Hisce enim mediis Æquinoctiis clare cognoscitur, an dies Ecclesiastico Æquinoctio præfinitus, quam rectissime,

ctiſſime, ſive (ut inquit Sanctus Proterius Martyr Patriarcha Alexandrinus in citata Epiſtola ad Sanctum Leonem Magnum) *eum omni diligentia fuerit conſtitutus*. Iſta media Æquinoctia ad Romanum meridianum ſupputata, ſi, uti ſupra, eruantur adhibita Anni Solaris magnitudine, quæ congruit mediæ Magnitudini Anni Solaris ex Gregoriana Periodo Annorum 400. deductæ, & quam prælaudatus Joannes Dominicus Caſſini probat, uti legitur in Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum de Anno 1703. diebus nempe 365. hor. 5. min. 49. & ſec. 12. dici poſſunt Gregoriana. Uſurpari tamen non debent, pro diſcernendis, uti ſupra, Paſchalibus Pleniluniis. Poſſibile enim non eſt, ut intra unius diei civilis fines, viciſſitudines horum Æquinoctiorum circumſcribantur; ac propterea inconſtantes, & perpetuo variabiles fierent Nicæni termini Paſchales, & inſuper a Fidelibus toto Terrarum orbe diffuſis non longe abeſſet diſſidendi periculum in celebratione Paſchæ.

6 Æquinoctium denique verum, quod deinceps in hac Diſſertatione appellabitur aſtronomicum, contingit tranſeunte ſolis centro per Æquatoris circulum, atque in eadem civili die morari non poteſt, niſi Annis ferme 40. ſed regulariter ex altero in alterum diem propter Solis præceſſionem menſis initium verſus Annis Biſſextilibus, ac Solis progreſſum menſis finem verſus Annis communibus, ita dilabitur, ut duos dies neceſſario occupet. Quare dubium non eſt, quod ſi hoc Æquinoctium pro diſcernendis Paſchalibus Pleniluniis attendendum eſſet, perpetuo inconſtantes, & variabiles fierent Paſchales termini. Ipſum tamen Aſtronomicum Æquinoctium adhibetur ſolum ad conſtituendam in eo veram, & realem mediorum motuum ſolis radicem, ex qua eliciantur, ut in præcedenti Paragrafo expoſitum eſt, Æquinoctia media; ex hiſce vero mediis Æquinoctiis ordinetur, atque extendatur civilis, ſive Eccleſiaſtica Solaris Anni Æquatio.

7 Concludendum igitur eſt, quod tam Æquinoctium phyſicum, quam medium, quoquo modo acceptum, pendet ex Æquinoctio aſtronomico, ac propterea conſequens eſt, ultra graves, inextricabileſque difficultates, Aſtronomiæ Peritis notiſſimas, quas praxis Æquinoctii phyſici, ac medii quomodolibet accepti, ex ſe ſola involveret, conſequens, inquam eſt, ut quæ rationes ad diſcernenda, uti ſupra, Plenilunia Paſchalia adverſantur uſui Æquinoctii Aſtronomici, adverſentur etiam uſui Æquinoctii phyſici, ac medii quoquomodo accepti. Conſtito igitur, quod adhiberi non debeat Æquinoctium Aſtronomicum, a fortiori procedent, quæ dicta ſunt, ſcilicet adhibenda non eſſe Æquinoctia phyſica, neque media, quomodolibet accepta.

8 Dico itaque, attendendum non eſſe Æquinoctium aſtronomicum, ſed ſolum Eccleſiaſticum diei 21. Martii affixum, ut diſcernantur quæ media Plenilunia in Cyclorum ordinatione, aut examine Paſchalia cenſenda ſint.

9 Gregorius XIII. Pont. Max. in Bulla, quæ incipit -- *Inter graviſſimas* -- ſic docet -- *Conſiderantes nos ad rectam Paſchalis Feſti celebrationem juxta ſanctorum, ac veterum Romanorum Pontificum, præſertim Pii, & Victoris primorum, nec non magni illius Oecumenici Concilii* (nempe Nicæni) *& aliorum ſanctiones, tria neceſſario conjungenda, & ſtatuenda eſſe; primum certam verni Æquinoctii ſedem, deinde rectam poſitionem*

ſitionem decimæ quartæ lunæ primi menſis, quæ vel in ipſum Æquinoctii diem incidit, vel ei proxime ſuccedit, poſtremo, primum quemque diem Dominicum, qui eandem decimam quartam lunam ſequitur, curavimus non ſolum, Æquinoctium vernum in priſtinam ſedem, a qua jam a Concilio Nicæno decem circiter diebus receſſit, reſtituendum, & decimam quartam Paſchalem ſuo in loco, a quo quatuor, & eo amplius dies hoc tempore diſtat, reponendam —. Cum igitur ad rectam Paſchalis Feſti celebrationem neceſſario requiratur non exploratum tempus Æquinoctii Aſtronomici, ſed ut ſtatuatur primo *certa* Æquinoctii verni ſedes, utique attendi ſolum debet Æquinoctium Eccleſiaſticum, non autem aſtronomicum, cui, utpote ſui natura ex altero in alterum perpetuo diem vaganti, nullo modo certa ſedes congruere poteſt.

10 Merito igitur ultra illos quos retuli in præcedenti Corollario, Paulus Midelburgenſis Epiſcopus Foroſemproníenſis *lib.* 7. *ſuæ Paulinæ*, affirmat, quod ab Æquinoctio vernali — *menſis Paſchalis computatur, quod tanquam fixum, & immobile Priſci ſtatuerunt die* 21. *Martii* —: Et Chriſtophorus Clavius *in Explic. Calend. cap.* 4. *num.* 5. docet — ibi — *Eccleſiam Æquinoctium verum ſecundum verum motum non obſervaſſe evidenter ex Decreto Sanctorum Patrum in Niceno Concilio edito demonſtratur, quo per univerſum terrarum orbem ſtatuerunt, die* 21. *Martii Æquinoctium eſſe obſervandum. Perſpicuum autem eſt, Æquinoctium neque ſecundum verum motum, neque ſecundum medium ad unicum diem poſſe adſtringi, atque alligari.*

Quod dixit Paulus Midelburgenſis, & Clavius, id ipſum habetur ex Traditione Apoſtolica, & ſignanter Principis Apoſtolorum Sancti Petri, & Sancti Marci ejuſdem Diſcipuli. Ab iſtis enim agnoſcimus Paſchalem Computum, in Romana atque Alexandrina Eccleſia perpetuo ſervatum; Cujus Computi pars Principalis eſt Æquinoctium Eccleſiaſticum, quod ſolum notitiam primi menſis preſefert, atque efficit, ut ipſe Paſchalis computus ſit invariabilis in qualibet ſui revolutione. Quoniam Sanctus Proterius Martyr Patriarcha Alexandrinus in citata Epiſtola ad Sanctum Leonem Magnum apud Petavium de Doct. Temp. tom. 2. in Append. ſic refert — *Magiſterium Beatiſſimi Apoſtoli Petri eſſe computum Paſchalis Solemnitatis, quod ab initio per Beatum Marcum ejus Diſcipulum didicerunt Ægyptii, quod etiam primum didicerunt Romani* —. Unde Socrates *in Hiſt. Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 23. Sic loquitur — *Qui autem ibi* (nimirum in Partibus ad Occidentem ſpectantibus) *vitam degunt a primo tempore, quo Fidem Chriſtianam cæpere profiteri, ſemper poſt Æquinoctium Feſtum illud celebrarunt* —; & inſuper *cap.* 28. ſic ait — Illi (nempe Occidentales) *Paſcha ſemper celebrant poſt Æquinoctium, more ipſis antiquitus tradito jam inde ab eo tempore, quo Chriſtiani eſſe cæperunt* —; ac denique *lib.* 5. *cap.* 2. ſic refert — *Romanos vero, & qui Occidentis Partes incolunt, conſuetudinem, quæ apud ipſos viget, a Paulo Petroque Apoſtolis accepiſſe ſe dicunt* — Sozomenus autem *in Hiſt. Eccleſ. lib.* 7. *cap.* 18. ſic inquit — *Romani quidem nunquam aliter* (videlicet niſi poſt Æquinoctium) *celebraſſe ſuperiori tempore deprehenſi ſunt cum Apoſtolorum Petri, & Pauli Traditionibus uterentur* —.

Verum quidem eſt, quod Socrates & Sozomenus nominatim non exprimunt Æquinoctium Eccleſiaſticum; ſed perinde ac ſi expreſſiſent, intelligendos eſſe Factum ab eis narratum declarat; etenim alioquin deeſſet

deesset Paschalis Computi ratio tunc adhibita, quæ dumtaxat habetur ex prædeterminatione finis hiberni temporis, simulque initii vernæ immutationis, atque hoc termino — *Æquinoctium* — sive clarius — *Æquinoctium Ecclesiasticum* — exprimitur. Revera tunc servatum fuisse Æquinoctium Ecclesiasticum clare colligitur ex Epistola Constantini Magni de Synodo Nicæna, atque ex Epistola 64. Sancti Leonis Magni, paullo inferius allegatis, atque expositis *num.* 13. Sed quod nominatim non exprimunt Socrates, & Sozomenus, aperte manifestant non solum Theophilus, Sanctus Cyrillus, & Sanctus Proterius omnes Patriarchæ Alexandrini, relati *num.* 17. *&* 21. atque Dionysius Exiguus in Epistola ad Proterium apud Petavium *loc. cit.* dicens — a XII. Kal. Aprilis die cunctorum Orientalium sententiis, & maxime Ægyptiorum...., specialiter adnotatur —; & alii scriptores communiter; verum etiam Sanctus Ambrosius in Magistrali Epistola 83. cujus verba sunt — *Incipit autem mensis ab Æquinoctio, hoc est die* 21. *Martii* —, & Venerabilis Beda *lib. de Temp. rat. cap.* 4. *prope finem*, sic inquiens — *nunc admonere contenti* XII. *Kal. Aprilium die occursum Æquinoctii* —, & cap. 28. sic ait — *Nos necesse est ob conservandam veritatis regulam dicamus aperte*, *& Pascha ante Æquinoctium tenebrasque devictas non immolandum*, *& hoc Æquinoctium* XII. *Kal. Aprilium die veraciter adscribendum* —; *& cap.* 57. sic inquit — *Quæ post* XIV. *lunam Dominica dies occurrit*, *ipsa est Paschalis Dominicæ Resurrectionis dies. Quæ quidem decima quarta luna primum in Æquinoctio, id est duodecimo Kal. Aprilis..... processum Terris ostendit* —.

11 Imo Nicæni Patres — cum decem, & novem Annorum collegerint rationem (sunt verba Sancti Ambrosii in citata Epistola 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos) *& quasi quendam constituerint circulum*, *ex quo exemplum in Annos reliquos gigneretur* — neque observare potuerunt in decennovennalis circuli ordinatione Æquinoctium astronomicum, quo exemplum in Annos reliquos gigni non potuisset. Observato enim astronomico Æquinoctio illico inconstantes, & perpetuo variabiles fierent Paschales termini; ac propterea cum in agibilibus humana conditio, facilitatem, atque uniformitatem propriæ fragilitati accomodatam requirat, Fideles Populi toto Terrarum Orbe diffusi subessent diffidendi periculo in celebratione Paschæ: quod avertere constanti decennovennalis circuli ordinatione; & consequenter solo Ecclesiastici Æquinoctii usu conati sunt Nicæni Patres, quippe qui decreverunt, uti statutum etiam erat in Arelatensi Concilio Anni 314., in præsentia Constantini Magni, & Legatorum Sancti Sylvestri Papæ celebrato, ac relato in Dissertatione post tertiam Quæstionem *num.* 31. decreverunt, inquam, Pascha — *uno eodemque die ab omnibus celebrari oportere* —, quemadmodum legitur in Epistola ejusdem Constantini de Synodo Nicæna ad absentes Episcopos jam relata *loc. nuper cit. num.* 19.

12 Quid amplius? Æquinoctium astronomicum in qua civili die contingat, singulis perpetuo Annis certo, & sine ulla ambiguitate ne determinari quidem potest, etiam sub eodem meridiano. Præteritis enim iis, quæ ex instrumentorum defectibus, atque ex Poli altitudine minus exacte accepta, nec non ex Parallaxibus, & refractionibus minus accurate adhibitis emergere possunt in determinando præciso Æquinoctii tempore, ipsum Æquinoctium astronomicum quamvis magnis, perfe-

ctisque Instrumentis, nec non per peritiores Astronomos cum omni diligentia observatum, tamen in ambiguo semper est intra spatium fere semissis horæ, factis scilicet collationibus plurium ejusdem Æquinoctii observationum tum iisdem, tum diversis æque perfectis Instrumentis habitarum. De hujusmodi re humanissime me fecit expertum præclarissimus Eustachius Manfredi. Tempus enim vernalis Æquinoctii exactissime Anno 1732. a Nativitate observati tum diversis magnis Instrumentis in insigni Observatorio Instituti scientiarum Bononien. optime collocatis, tum magno Gnomone magnifici Templi Sancti Petronii, ac denique, me semper præsente, iterata etiam diversis diebus hujusmodi observatione, semper diffidebat, ut dictum est, intra spatium fere semissis horæ. Quare ipsemet Eustachius Manfredi in sua relatione apud Epitomen *pag.* 236. docet -- ibi -- *è estremamente difficile accertare l' Equinozio dentro di una mezz' ora* --. Dato itaque, quod astronomicum Æquinoctium contingat prope occasum solis, quisnam certo, & sine ulla ambiguitate dijudicare posset, ipsum Æquinoctium tunc adscribendum esse diei potius desinenti, quam diei sequenti? Si hæc eveniunt, dum Astronomiæ scientia in tantam lucem devenit, quid dicendum erit de illa cælestis disciplinæ infantia, qua Christianæ Religionis primordia laborabant? Profecto Ptolomæus *lib.* 3. *Almagesti cap.* 2. refert, Hipparcho contigisse, quod vernale Æquinoctium innotuit cum differentia horarum quinque.

13 Hinc itaque cum Constantino Magno in allegata Epistola de Synodo Nicæna exclamare liceat -- ibi -- *Quid pulchrius, quid honestius nobis esse possit, quam ut hæc Festivitas, a qua spem immortalitatis accepimus, uno, eodemque ordine* (nempe Cyclo), *& certa ratione* (nempe usu Æquinoctii Ecclesiastici) *ab omnibus inoffense observetur*? Paschale Festum mutabile quidem est lunaris cursus conditione; at, ut docet Sanctus Leo Magnus in Epistola 64. ad Martianum Augustum -- ibi -- *certa semper ratione variatur* -- non ambigua ratione, qualis esset usus Æquinoctii astronomici, ut probatum est; *sed certa semper ratione variatur* --, nimirum usu Æquinoctii Ecclesiastici.

14 Quod, si ad prædictam evitandam difficultatem, confugiatur ad Tabulas Astronomicas, nunquid eodem civili die, apud omnes nationes Æquinoctium astronomicum perpetuo continget? Alterutrum ergo declinari aliquando non posset, aut dissidium in celebratione Paschæ quoad mensem, & sæpius quoad hebdomadam, aut contemptus eorum, quæ ex eisdem Tabulis propter meridianorum differentiam resultat. At dato per modum hypothesis, quod totus terrarum Orbis in eo assentiat, ut Tabulæ astronomicæ ad eundem meridianum adhibendæ sint, ut ex eis astronomicum Æquinoctium toto terrarum orbe uniformiter eliciatur; exquisitam rectitudinem, quam studiose prosequeremur, non paucæ Orbis partes effugerent, cum notissimum sit, quid emergat ex meridianorum differentia: & insuper num omnes Tabulæ Astronomicæ eadem adamussim definiunt? Quot jurgia igitur in ipsarum electione, quot controversiæ? Pro quarum insuper vera solutione quis verax Judex? Quod demum ipsæ Tabulæ longo etiam temporis spatio cœlestibus motibus responsuræ sint, quis fidus sponsor? Et quando hæc omnia per modum hypothesis obtineri possent, quædam incomoda occurrerent inevitabilia, quæ exhibiturus sum Quæstione nona *num.* 5.

ac

ac denique Fidelibus Populis toto terrarum orbe diffusis non deesset diffidendi periculum in celebratione Paschæ, quoniam, observato astronomico Æquinoctio, inconstantes; ut dictum est, & perpetuo variabiles redderentur Paschales termini, quemadmodum animadvertit etiam Joannes Keplerus in Comment. ad Epistolam R. P. Terentii Soc. Jesu datam ex Sinensi Regno super correctione Calendarii Sinensis dicens -- *Videntur Sinæ nullum certum, & statum, & perpetuo uniformem typum Anni habere posse, si Festa sua accommodant ad ipsissima Æquinoctia.*

15 Sapientissimo igitur consilio Ecclesia solum Ecclesiasticum Æquinoctium considerat; eoque fortius, quia ipsa Ecclesia in hoc secuta etiam est Divinam Scripturam quam exhibui, atque exposui Quæst. quarta *num.* 31. *& seqq.* Moyses enim appellavit primum mensem more non astronomico, sed admodum vulgari, & plane rustico, videlicet, *mensem novarum frugum*, uti legitur *in Exodo cap.* 23. *ver.* 15. -- ibi -- *solemnitatem Azymorum custodies . . . . . tempore mensis novorum* -- Et in Deuteronomio *cap.* 16. *vers.* 1. -- ibi -- *Observa mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo.* Quoniam Æquinoctii verni tempore segetes ad victum necessariæ in Ægypto maturescunt ad relata per Philonem Hebræum, Patria Alexandrinum *lib.* 3. *de vita Moysis pag. mihi 686.* atque etiam per Plinium *lib.* 18. *cap.* 18. quidquid ex Tempestatis diversitate emergat,

16 Quid plura? Ex Sacræ Scripturæ locis per me relatis Quæstione nona *num.* 12. clare deducitur, quod Deus, quem mensem Hebræi elevare debebant in Paschalem, iisdem Hebræis notum fecit per Moysen methodo adeo civili, ut ipsis Hæbreis eadem civili methodo notus fuerit etiam Annus sacer, in cujus fine inserendus erat mensis Embolimus. Qui de hac re dubitat, videat quæ loco citato exhibui.

Revera veteres etiam Hebræos in usu habuisse observantiam Æquinoctii civilis ab Æquinoctio Astronomico uti supra directi, atque a nobis Æquinoctium Ecclesiasticum appellati, profecto suadet non solum Computi ratio, quam mediante civili Cyclo in Dissertatione post Quæstionem Quintam extenso *num.* 93. adhibebant in recolendis eorum Festis, atque in sui temporis negociorumque directione; verum etiam Divinæ Scripturæ custodia, quæ tunc apud eos exacte vigebat ad relata per Josephum Hebræum *locis alibi citatis*. Cyclus enim eorumdem veterum Judæorum sine usu Æquinoctii civilis regularitatem servare non potuisset, ut colligitur etiam ex Keplero nuper citato *num.* 14. in fine.

17 Quare Theophilus Patriarcha Alexandrinus in Prologo apud Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* & apud Ægidium Bucherium *loc. infra cit. pag.* 474. sapienter dixit -- *Vernæ immutationis . . . . . initium . . . . duodecimum Calendas Aprilis diem juxta solis cursum, semper incurrit, quod ante omnia observare nos convenit* -- hoc affirmans, non quia ignoraverit solis præcessionem mensis initium versus Annis Bissextilibus, propter quam illud in eadem die secundum formam astronomicam semper incurrere non poterat, optime enim instructus erat etiam in Astronomiæ scientia, per quam de tempore etiam Hipparchi ipsa solis præcessio notissima erat; sed quia Ecclesia solum Æquinoctium Ecclesiasticum considerat: quod adeo verum est, ut Sanctus Cyrillus similiter Patriarcha Alexandrinus apud Bedam *lib. de Vernali Æquinoctio*,

noctio, per extensum vero relatus a Bucherio *in Coment. in Cyclum Victorii Aquit. pag.* 73. dixerit -- *Sol enim ipse quotidie terra, marique, & clauditur in fine diei, & in diei initio aperitur, & finit cursus totius Anni in duodecimo Calendas Aprilis* -- Utique secundum formam non astronomicam, sed Ecclesiasticam.

18 De facto cum motus solis non pendeat a motu Lunæ, & ab hoc sit valde diversus, Ecclesia sapientissime non considerat simul, quæ ratiocinia ad solis motum pertinent cum ratiociniis Lunæ, sed ipsa motum solis separatim perspiciens, primo statuit *certam* Æquinoctii sedem, uti supra declaravit Gregorius XIII. statuta vero hac certa Æquinoctii sede, deinde civilem Cyclum lunarem disponit pro recta Paschæ indictione, adhibens quidem Æquinoctium, non reassumptis iterum motibus solis, quibus tolleretur jam ordinata, & statuta Æquinoctii verni sedes; sed adhibens Æquinoctium, prout antea certæ diei affixum est. Allegata enim verba Bullæ Gregorii XIII. rectam positionem decimæ quartæ lunæ primi mensis requirunt, postquam statuta sit *certa* Æquinoctii verni sedes.

19 Nec Gregorius hæc declarans, quidquam innovavit. Nicæni etenim Patres in dispositione circuli decennovennalis aureorum numerorum [sequuntur verba Sancti Ambrosii in citata Epistola 83.] *illud secuti sunt, quod non debeamus vana quadam opinione super celebratione hujusmodi fluctuare, sed vera ratione comperta ita omnium concurrat affectio, ut una nocte ubique Sacrificium pro Resurrectione Domini deferatur* --. Ab eo igitur digrederemur, quod secuti sunt Nicæni Patres, si post quam statuta est *certa* Æquinoctii sedes, motus solis reassumerentur pro recta positione quartæ decimæ lunæ primi mensis. Quoniam circa designationem diei, cui astronomicum Æquinoctium adscribendum sit, vana quadam opinione fluctuaremus, si hoc Æquinoctium ex observationibus inquireretur, ut dictum est *num.* 12. & fortius si eliceretur ex Tabulis astronomicis, ut dictum est *num.* 14. At dato per modum hypothesis, quod hæ omnes difficultates superari possent, num deesset fluctuatio? Vana quadam nihilominus opinione fluctuaremus circa id, quod præcipuum est, & propter quod motus solis adhibentur in materia Paschæ; fluctuaremus, inquam, an finis hyberni temporis, & initium vernæ immutationis accipi debeat ab Æquinoctio astronomico sive vero sive medio, vel ab Æquinoctio physico, quod saltem duos perpetuo dies occupat; & insuper, an ipse finis, & respective initium constitui debeat die incipientis, vel desinentis Æquinoctii physici, vel denique die, qui majorem partem physici Æquinoctii attingit.

20 Si igitur ab eo digrederemur, quod secuti sunt Nicæni Patres, dum res expenditur in hypothesi, quod Æquinoctium astronomicum ad eundem meridianum toto terrarum orbe adhiberetur, quid emergeret propter meridianorum differentiam singulis horis?

21 Ecclesia ergo certæ diei affigens Æquinoctium, prædictas omnes gravissimas inextricabilesque difficultates medio quodam modo, scilicet utroque Æquinoctio tam Astronomico, quam physico, uti supra notatum est, adhibito Sapientissime dirimit, simulque, naturæ ordine ita servato, declarat, in illa die, cui affigit Æquinoctium Ecclesiasticum, hybernum tempus finem habere, atque incipere vernum tempus; Idque Ecclesia declarat edocta a Divina Scriptura, Primus enim mensis in Divina

vina Scriptura nullibi designatur ab Æquinoctio, ut animadvertit etiam Dionysius Exiguus in Epistola ad Petronium apud Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Appendice*; sed ut probatum est *num.* 15. 16. a mense Abib, sive novarum frugum, atque a primo verni temporis. Solemnitas vero Azymorum, quæ præcepta fuit luna quinta decima primi mensis, & quæ, ut egregie notavit Bellarminus *tom.* 2. *de Cultu Sanctorum lib.* 3. *cap.* 12. §. *Hæc ipsa &c.* diem Paschæ Christianorum præfigurabat, celebranda erat in illo lunari mense, cujus dies civilis quintus decimus incæpisset, elapso verni temporis initio, quemadmodum planum feci inpræcedenti Corollario *num.* 31. *& seqq.* Quo igitur ab Ecclesia individualiter signaretur, qui dies lunaris quintus decimus haberi debeat primi mensis, necesse fuit civilem diem præstituere, qui observato naturæ ordine, finis foret temporis hyemalis, simulque initium verni temporis, qui dies appellatur *Æquinoctium*, sive *Æquinoctium Ecclesiasticum*, & ideo a Nicænis Patribus præstitutus fuit dies 21. Martii, quia in eo die Æquinoctium Astronomicum, aut saltem physicum tunc contingebat. Quare Sanctus Proterius Martyr Patriarcha Alexandrinus in Epistola ad Sanctum Leonem Magnum apud Petavium *loc. cit.* sic ait — *Decimo secundo Kal. Aprilis . . . . . initium verni temporis ab his, qui hoc invenire valuerunt, cum omni diligentia præfixum esse* —; & eadem dies 21. Martii a Theophilo, & a Sancto Cyrillo similiter Patriarchis Alexandrinis, uti supra notatum est *num.* 17. appellata fuit — *Finis hyberni temporis* — & respective — *initium vernæ immutationis. . . .* [hisce insuper verbis per eundem Theophilum additis] *quod ante omnia observare nos convenit, ne, si forte in hac ipsa mutatione inferius adhuc, & longius constituta per errorem quis decimam quartam computet lunam in Paschalis calculi ratione fallatur, quasi primi eam æstimans mensis* —.

22 Et quidem nota esse non potest, quæ Lunatio ad vernum tempus ex Ecclesiæ sensu pertinet, nisi mediante ipsius Ecclesiæ decreto præcognitus certo sit dies, qui sit finis hyberni temporis, atque initium vernæ immutationis: quoniam Luna non per se ipsam, sed in ordine ad definitum vernum tempus, dicitur esse verni temporis. Quotiescunque igitur in disponendo lunari Cyclo motus solis reassumerentur ad discernendam primam verni temporis Lunationem, quandoque (nimirum contingente astronomico Æquinoctio ante; vel post diem 21. Martii) operaremur, nec sine terminorum Paschalium inconstantia, & variatione, operaremur, inquam, contra Ecclesiæ Decretum, quo certæ diei affixum est Æquinoctium, definientes, scilicet, diversum diem, qui sit finis hyberni temporis, & initium vernæ immutationis. Certo namque constat de decreto, quo Ecclesia certæ diei affixit Æquinoctium Ecclesiasticum, quemadmodum præteritis plurimis testimoniis, patet ex vetustissima Nicęna praxi usque ad Gregorium XIII. illibate servata, & ex allegata Bulla ejusdem Gregorii; unde vero constat de autentica, & legitima hujus Decreti abrogatione? Constat potius ex Sacris Canonibus, quos retuli in Epitome *pag.* 79. *& seq.* — *Omnes, qui audent dissolvere regulam Sancti & Magni Concilii Niceni de Sancta, & salutari Festivitate Paschali: excomunicatos, & ejectos ab Ecclesia esse debere* —; & insuper — *in nulla veneratione habendum esse quidquid fuerit diversum* —. Tanta est Ecclesię sollicitudo, ne quis diversum

versum definiat diem finis hyberni temporis, atque initii vernæ immutationis.

23 Patet igitur evidenter, attendendum solum esse Æquinoctium Ecclesiasticum. Si quis vero prædictis non contentus experiri etiam velit, quid emergat ex Cyclo decennovennali Nicæno, rem aliter esse profecto non deprehendet.

24 Dico igitur, quod si res præteritæ disquirantur, uti decet, prout ex tunc, nimirum prout tempore Nicæni Concilii contigerunt, Æquinoctium astronomicum Annis in sequenti schemate descriptis colligi non poterat, nisi in civili die 22. Martii; Nicæni namque tempore, ut probavi in Epitome *pag.* 199. *& seqq.* usitata erat apud Astronomos Ptolemaica Anni solaris magnitudo diebus 365. hor. 5. min. 55. & sec. 12. quam etiam adhibuit Rabbi Adda, qui Nicæni sæculo floruit, in suo Cyclo, ab Hebræis ad præsens usurpato ad recolendam Azymorum solemnitatem: quare adhibita solis præcessione, quæ huic magnitudini Anni congruit, nec non adhito Æquinoctio, quod ad meridianum Alexandriæ Ptolemæus *lib.* 3. *Almagesti cap.* 2. se exactissime observasse affirmat Martii die 22. & hor. 1. post meridiem; ad meridianum vero Romanum juxta Hiretianam meridianorum differentiam Martii die 21. hor. 23. & min. 50. post meridiem; ac denique reposito propterea, quæ discussa sunt in Epitome *pag.* 195. §. *Itaque &c. & pag.* 200. *& seq.* reposito, inquam, eodem Ptolemæi Æquinoctio in Annum vulgaris Æræ 141. Æquinoctium infrascriptorum Annorum ad meridianum Romanum emergit, ut exhibet sequens schema, in quo media etiam eorumdem Annorum Plenilunia Paschalia reposui.

Annis Domini	*Currente Aureo numero*	*Æquinoctium contigit Martis post merid.*				*Medium Plenilunium contigit Martii post merid.*			
		D.	*H.*	*Min.*	*Sec.*	*D.*	*H.*	*Min.*	*Sec.*
338	16	21.	14.	4.	24.	22.	2.	34.	22.
357	16	21.	6.	33.	48.	21.	19.	6.	50.
395	16	21.	15.	34.	48.	22.	4.	11.	43.
414	16	21.	8.	0.	36.	21.	20.	44.	10.

Si vero Ptolemæi Æquinoctium, uti tradunt multi insignes Chronologi, reponatur in Annum 140. singula prædictorúm Annorum Æquinoctia, tardius contigissent hor. 5. min. 55. & sec. 12. Si denique ipsum Ptolemæi Æquinoctium, juxta recentiorum Astronomorum doctrinam corrigeretur ex eo, quod Ptolomæus refractiones non usurpavit, usumque Parallaxium plus æquo adhibuit, ipsa insuper omnia Æquinoctia duabus ferme horis tardius contigissent. Sed omnis correctio, quæ provenit ex recentiorum Astronomorum doctrina, in hypothesi, de qua loquimur, prætereunda est.

25 Prædictorum Annorum Æquinoctia, quamvis exactissime per me, uti

uti supra, supputata sint, nihilominus confirmantur auctoritatibus Sancti Anatholii patria Alexandrini, atque Laodiceæ in Syria Episcopi, qui regnante Probo floruit circa Annum Domini 277. nec non Sancti Proterii Martyris Patriarchæ Alexandrini. Sanctus enim Anatholius apud Eusebium *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 32. affirmat Æquinoctium tunc contigisse die 22. Martii, nimirum quinquaginta circiter Annis ante Nicænum Concilium. Sanctus vero Proterius in citata Epistola ad Sanctum Leonem Magnum, scilicet centum viginti octo circiter Annis post Nicænum Concilium, volens probare initium verni temporis cum omni diligentia præfixum fuisse, fidem facit his verbis -- *manifeste quidem secundum cursum solis vigesima quinta die Phamenoth, qui est duodecimo Calendas Aprilis, Æquinoctium esse cognoscitur* --. Quapropter solis præcessio Annis Bissextilibus non patitur, ut Æquinoctium Sancti Anatholii Ævo contigerit die 22. Martii, simulque temporibus Sancti Proterii advenerit die 21. Martii, Æquinoctia vero intermediorum Annorum in schemate notata, atque elicita ex prædicta Ptolemæi observatione, veritati proxime non respondeant.

26 His positis, Nicæni Patres diem prædictorum omnium astronomicorum Æquinoctiorum, nempe civilem diem 22. Martii, signarunt cum luna decima quinta, sed non cum luna decima quinta ultimi mensis Anni superioris, qualis est illa quinta decima, quæ diei Æquinoctii affigitur, sed cum luna decima quinta primi mensis, quia Plenilunia, quæ tunc contigerunt in eodem die 22. Martii, fecerunt sine dubio Paschalia, adeo ut si in ipsa luna decima quinta concurrisset dies Dominicus, in ea Catholicum Pascha celebrandum fuisset, uti de facto celebratum fuit ex Decreto Sancti Innocentii primi Papæ, relato Quæstione tertia *num.* 2. celebratum, inquam, fuit Anno 414. tunc currente litera Dominicali D. Quare cum in Concilio Romano celebrato sub Sancto Victore primo Papa, & Martyre, cujus Concilii Canonem retuli in Dissertatione post Quæstionem tertiam *num.* 3. *&* 5. nec non iidem Nicæni Patres, ut dictum est *loc. cit. num.* 224. Ecclesiis tradiderunt, decretum fuerit, ut Pascha celebretur post *vernale Æquinoctium*, utique Nicæni Patres in ordinando Cyclo decennovennali non attenderunt astronomicum, sed solum Ecclesiasticum Æquinoctium, ponentes, ut dictum est *num.* 21. finem hyberni temporis, atque initium vernæ immutationis die Æquinoctii Ecclesiastici nempe die 21. Martii; alioquin iidem Nicæni Patres Cyclum decennovennalem ita ordinassent, ut Pascha celebrari possit ipso Æquinoctii die; quod nefas est affirmare, atque adeo absurdum esset, ut non solum prædicto Canoni Concilii Romani repugnasset, verum etiam contrarium fuisset Sacræ Scripturæ, quæ non patitur, ut luna decima quinta primi mensis, sive clarius solemnitas Azymorum die Æquinoctii contingeret, uti constat ex dictis in præcedenti Corollario *num.* 31. *& seqq.*

27 Non levis videtur error, res præteritas perquirere, prout ex nunc, sive clarius astronomicum illorum temporum Æquinoctium designare secundum recentiores Tabulas astronomicas, quoniam res ipsæ præteritæ inquirerentur, prout illas contigisse existimatur. Nihilominus dato per modum hypothesis, quod vera Æquinoctia de tempore Nicæni Concilii contigissent, prout ex Recentiorum Astronomorum Tabulis

resultant,

resultant, num ex Nicæno decennovennali Cyclo emergeret, attendendum esse Æquinoctium astronomicum, ut discernantur, quæ media Plenilunia in Cyclorum ordinatione, aut examine Paschalia censenda sint? Quantum, falluntur, qui rem minime expensam tradunt! Ex Tabulis Philippi de La Hire exactissime supputavi vera plurium Annorum Æquinoctia, quorum nonnulla ad Meridianum Romanum reducta in sequenti Laterculo exhibui una cum mediis Pleniluniis, quæ utpote ultimi mensis Patres Nicæni rejecerunt a Paschalibus, & quæ iidem Patres fecerunt vere Paschlia.

Anni Domini	*Currente aureo numero*	*Verum Æquinoctium ex Tabulis Hirectianis contigit Martii p. m. Die Hor. Min.*	*Medium Plenilunium ultimi mensis contigit Martii post merid D. Hor. Min. Sec.*	*Medium Plenilunium Paschale contigit Aprilis post merid. D. Hor. Min. Sec.*
330	8	20 6 53	20. 13. 53. 8.	19. 2. 37. 11.
349	8	19 23 22	20. 6. 25. 55.	18. 19. 9. 38.
368	8	19 11 42	19. 22. 58. 2.	18. 11. 42. 5.
387	8	20 2 2	20. 15. 30. 29.	19. 4. 14. 32.
444	8	18 21 15	19. 17. 7. 48.	18. 5. 51. 51.

Ex hoc Laterculo clare apparet, quod Nicæni Patres, quippe qui Paschalia tunc fecerunt Plenilunia mensis Aprilis, declararunt ad ultimum superioris Anni mensem pertinere, non solum quæ media Plenilunia contigerunt astronomici Æquinoctii die post ipsum Æquinoctium, verum etiam quæ media Plenilunia in Martio contigerunt post civilem diem ipsius Æquinoctii astronomici, uti contigit Anno 349. 387. & 444. Hæc eo magis digna sunt animadversione, quia Sanctus Leo Magnus, ut notatum est in Dissertatione post tertiam Quæstionem *num.* 119. commemorat, Pascha Anni 349. fuisse sine errore celebratum die 23. Aprilis. De rectitudine autem Paschæ prædicti Anni 387. Sanctus Ambrosius magistralem scripsit Epistolam 83. ad Episcopos per Æmiliam constitutos, plerisque Episcopis Provinciæ Romanæ expectantibus ejusdem Sancti Doctoris sententiam, & insuper in eadem Epistola arguit Hebræos, quippe qui ipso Anno Pascha celebrabant in lunatione præcedenti, nempe mensis Martii, quam ultimi mensis fuisse, ipse Sanctus Doctor diserte declarat. De rectitudine vero Paschæ prædicti Anni 444. Paschasinus Lilibetanus Episcopus a Sancto Leone Magno interpellatus, scripsit ad eundem Sanctum Leonem Epistolam, quæ inter illas Sancti Leonis legitur post Epistolam 63. ac deinde Prosper Aquitanus apud Labbeum *tom.* 1. Bibl. *M. SS. pag.* 53. de eodem Paschate Anni 444. sic ait -- *Theodosio* XVIII. *& Albino Coss. hoc Anno Pascha Domini* IX. *Calendas Maii celebratum est, nec erratum est.*

28 Quid ergo clarius, quid evidentius exhiberi potest, ut certo constet, Nicænos Patres in ordinando Cyclo decennovennali non accepisse Æquinoctium astronomicum, sed solum Ecclesiasticum ad mediorum Pleniluniorum Paschalium determinationem? Id. ipsum enim evidenter constat re tum juxta veteres, tum juxta recentiores Astronomiæ regulas expensa. Diei ergo Ecclesiastici Æquinoctii succedere debent

bent media Plenilunia, ut in Cyclorum ordinatione, aut examine Paſchalia cenſenda ſint.

29 Pro coronide hujus Diſſertationis animadverſione dignum eſt, hoc ipſum ſervatum fuiſſe Apoſtolorum temporibus. Conſtat enim ex dictis in Diſſertatione poſt tertiam Quæſtionem, & ſignanter *num.* 68. *& ſeqq.* Cyclum Julii Cæſaris tunc fuiſſe uſurpatum, & iſtius Cycli uſu Paſcha tunc peractum fuiſſe poſt Æquinoctium, cujus ſedes tunc erat dies 23. Martii; quæ Æquinoctii ſedes a Cæſarienſi Concilio auctoritate Sancti Victoris Primi celebrato locata fuit die 22. Martii, ut dictum eſt *cit. num.* 68. atque ut ibi notatur fuit obſervata uſque ad Nicæni Ævum; ac propterea Apoſtolorum temporibus aureus Cæſaris numerus tertius, quippe qui in Calendario ejuſdem Cæſaris quartam decimam prodebat die 22. Martii, die, ſcilicet, ante Æquinoctii ſedem, erat Emboliſmalis, & conſequenter Paſchalem quartam decimam ſignabat die 20. Aprilis. Patet autem evidenter in ſequenti Laterculo, quod currente aureo Cæſaris numero tertio, Plenilunia media per totam Calippicam Periodum, ab Anno Paſſionis Chriſti deſumptam, ſemper contigerunt in civili die 23. Martii, ac ſemper poſt Æquinoctium Aſtronomicum, & nihilominus a Paſchalibus rejecta fuerunt proprer Emboliſmum tunc inſertum.

Anni Æræ Chriſti	*Aureus Cæſaris Numerus*	*Æquinoctium, uti ſupra n. 24. ſupputatum contigit* D. Hor. Min. Sec.	*Medium Plenilunium a Paſchalibus rejectum ad meridianum Romanum contigit.* D. H. Min. Sec.
34	3	22. 14. 23. 36. Mart.	23. 1. 55. 17. Martii
53	3	22. 6. 52. 24. poſt	22. 18. 25. 44. poſt
72	3	21. 23. 21. 12. Merid.	22. 11. 0. 11. Merid.
91	3	22. 15. 50. 0.	23. 3. 32. 37.

Uſque adeo verum eſt, ad diſcernenda in Cyclorum ordinatione, aut examine, quæ media Plenilunia cenſenda ſint Paſchalia, attendendum eſſe dumtaxat diem Eccleſiaſtici Æquinoctii.

FINIS

DISSERTATIONIS.

ANONYMUS.

„ NON dubium est quin ad Cyclorum defectus omnes investigandos, ferendumque eadem opera de Gregorianis ipsis epactis judicium, harum quæstionum enodatio prorsus sit necessaria. Verum in Cyclis, sive veteribus expendendis, sive novis ordinandis non satis est de erratorum numero cognoscere, nisi & de singulorum natura, ac deformitate constitui possit, qua in re certæ iterum regulæ desiderari videntur. Et quidem vix ambigitur, quin turpiora Cyclorum errata sint, quæ Pascha in alium mensem, quam quæ in alium diem reijciunt, præsertim vero cum in mensem illum detrudunt, qui superioris anni est postremus; nihil enim absurdius fingi potest, quam si Pascha ex uno in alterum annum migrare jubeatur, ac propterea Lunaris anni spatio interdum duplex sit, interdum omnino nullum.

„ Verum & in vitiis illis, quæ servato paschali mense diem tantummodo turbant, distinguendum plerique existimant, ut alia aliis graviora habeantur, maximum enim Cycli peccatum esse contendunt, si Pascha ex eo indictum in ipsam cœlestem quartamdecimam impingit, vel quod adhuc turpius, ante quartamdecimam celebretur, quem diem Judæis, ac Quartadecimanis hæreticis solemnem Catholica Ecclesia non uno testimonio aversari se declaravit. Itaque Bettazzius flagitiorum, quæ in Cyclis vitari oporteat, gradus quosdam facit, ac nonnulla ex iis perpetuo eliminanda, quædam intra certum annorum numerum semel, quædam bis, aut pluries toleranda existimat, ita quidem, ut ex hac tolerantia ipsa perpetuo Judaicæ consuetudinis abominatio appareat.

„ Quidam etiam in eam consuetudinem acrius invecti Cyclum data opera ita fingendum, dispensandumque censuerunt, ut non nihil serius quartasdecimas commostret, hac enim ratione obtineri posse, ut nunquam, aut perraro in hocce adeo detestandum peccati genus inducat.

„ Postremam hanc rationem non modo probarunt, sed re ipsa secuti sunt Gregoriani Mathematici, cum epactarum æquationes in tabulas referrent, quemadmodum, & in secundo Kalendarii canone professi sunt, & Christophorus Clavius in ejusdem Kalendarii expositione fusius explicuit. Radices enim æquationis epactarum, quas anno Christianæ Æræ 550. figi placuit, ita posuerunt, ut easdem per id tempus epactas, eademque adeo cyclica novilunia retinerent, quæ ipso Nicæni Concilii ævo ab Alexandrinis inventa fuerant, quum Aurei numeri Cyclum in Kalendario describerent, quasi duobus, & quod superat, sæculis decennovennalis Cyclus nihil tarditatis contraxisset, idque consulto se fecisse testati sunt, quo scilicet Paschæ cum quartadecima concursum, quantum ejus fieri posset, in perpetuum præcaverent.

„ Contra alii, quorum agmen ducit Joannes Dominicus Cassinus, sic statuunt. Postquam Ecclesia Cyclum aliquem semel probavit, ac, quam accuratissime potest, cum Lunæ articulis composuit, merito ab ipsa quartamdecimam nullam agnosci aliam quam quæ a Cyclo designatur; itaque satis eam sibi consuluisse arbitrantur, quo in Paschæ festo

„ festo quartamdecimam vitaret, cum hanc sibi legem dixit, ne un-„ quam in ejus Cycli quartadecima, sed die Dominico, qui proxi-„ mus sequitur, Pascha indiceret; neque vero contingere posse, ut „ cum Judæorum, aut Quartadecimanorum temporibus consentiat, si „ modo hi eundem illum cum Ecclesia diem quartumdecimum nume-„ rent. Sin autem alia quapiam ratione computum ineant, illis qui-„ dem annis Ecclesiæ cum Judæis in Paschæ die convenire posse, in „ diei ipsius eligendi ritu, atque instituto non posse. Certe ab anti-„ quis illis Patribus, qui ante Nicænam Synodum floruerunt, quin „ etiam ab Alexandrinis Præsulibus, quibus id negotii ab ipsa Syno-„ do est demandatum; nusquam Paschales Cyclos ita de industria dis-„ positos, ut Lunæ tempora retardarent, sed quantum eorum Cyclo-„ rum natura pateretur, ad ejus Sideris positus aptatos fuisse. Nihil „ ergo consultius esse, quam si hisce exemplis freti Cyclum quam opti-„ mum eligamus, & ad Lunam ipsam quam diligentissime coaptemus, „ defectus vero, quos vitari ejus natura non patitur, nihili pendamus, „ ac sive quartasdecimas maturius; sive tardius designet, perinde exi-„ stimemus; præsertim cum studiosæ illi retardationi proximum peri-„ culum sit, ne sæpius in duodecimum mensem Pascha reiiciat, quo „ nihil esse potest deformius.

„ Qui ergo ita sentiunt, ex eo sane factum ajunt, ut Gregoria-„ næ epactæ tam crebro hac infamia laborent, quippequæ vel hoc „ ipso labente sæculo saltem sexies in ultimo mense Pascha obtrudant; „ ac duplo sæpius in Lunam secundam, & vicesimam differant, nem-„ pe quod ad illam tarditatem, ad quam epactarum Cyclus natura sua „ prolabitur, quæque statis demum temporibus æquationum ope cor-„ rigitur, primigenia illa, ac perpetuo manens radicum tarditas ac-„ cesserit. Neque vero de hisce erroribus dubium esse posse, si modo „ astronomica plenilunia rite supputentur, quæ sæpe in magna illa pas-„ chali tabula Romani Kalendarii expositioni inserta mendosa sunt, „ ac præsertim sæcularibus annis, quibus non intercalatur, perpetuo „ solido die tardiora, neque hoc calculorum lapsu, sed ex computi „ regulis in eo libro editis, quas, ubi annis illis usurpantur, fallaces „ esse Astronomis est apertissimum. Nullo igitur operæ pretio epacta-„ rum radices, quas Aloysius Lilius hujusce methodi auctor proposue-„ rat, rejectas fuisse, ut serotinæ huic epactæ subrogarentur. Sed ne-„ que in eo Gregorii ipsius mentem servatam, quum certissimum sit „ Ecclesiasticas veteris Kalendarii quartasdecimas ex earum epactarum „ usu triduo tantum versus initia mensium retractas fuisse, quum ille „ toto quatriduo retrahi mandasset, summo videlicet consilio, ut pri-„ mis statim a correctione annis quartædecimæ ipsæ eodem pacto cum „ Luna componerentur, quo primis a Nicæno Concilio annis compo-„ ni curatum fuerat, ac deinceps æquationum ope in eodem, quan-„ tum res patitur, statu continerentur.

„ Ex his porrò illud inferunt, nihil vel ad Gregorii XIII. præ-„ scriptum aptius, vel ad rem ipsam expeditius fieri posse, quam si „ epactarum methodus ab illa æquationum labe purgetur, quam ex „ Gregorianorum mathematicorum arbitrio contraxit, Lilianæque ra-„ dices, quas ipsas a Gregorio sibi oblatas celeberrimæ Europæ Acade-„ miæ summa consensione probaverant, Gregoriano Kalendario inta-„ cto usu recipiantur.

„ Sic quidem illi censent. Non nemo autem, licet illam epacta-
„ rum tarditatem minime probet, atque Ecclesiæ usui conformius fuisse
„ putet, si Lilianæ, quam si hæ, quibus nunc utimur, receptæ forent,
„ tamen, quando hæc disputatio re non omnino integra instituitur,
„ mediam quandam ineundam rationem opinatur, quod nempe Lilia-
„ nas ipsas nonnihil in antecessionem peccare jamdudum suboleverit.
„ Epactas ergo, quæ Aureorum numerorum in veteri Kalendario lo-
„ cis respondent, atque in tabula expansa litera P. notantur, neque
„ Nicæni Concilij sæculo, neque Clavianæ epoches temporibus attri-
„ buendas putat, sed mediæ cuidam ætati, quæ tamen illi, quam huic
„ propior sit, veluti anno Christianæ Æræ 400. In eo igitur anno
„ æquationum radicem figendam, ac porro æquationes ipsas statis tem-
„ poribus ea, quæ nunc obtinet, ratione adhibendas putat. Hoc pa-
„ cto Paschæ solemnitati saltem ad annum 5000. satis consultum fo-
„ re, nisi enim in æstimandis Cyclorum erratis quam severissimis le-
„ gibus utamur, nullum Pascha in duodecimum mensem per id tem-
„ poris incidere, nullum etiam eatenus cœlestem quartamdecimam
„ attingere, ut non aliquo veterum Patrum exemplo se tueatur. Pec-
„ cata reliqua gravioribus hisce expunctis, neque evitabilia, neque
„ tanti facienda censet. An vero post annum 5000. novas epactarum
„ radices figi oporteat, ex posterorum denique observationibus diju-
„ dicandum.

„ Sive autem hæc, sive Liliana ratio magis probetur, manife-
„ stum est, paucis tantum in Canone Kalendarii secundo mutatis ver-
„ bis, ac tabellis temporariis ad novas epactas coaptatis rem proti-
„ tinus confectam fore.

JAM ERGO QUINTA HÆC PONITUR QUÆSTIO.

AN PASCHALIS CYCLUS AD IPSOS LUNÆ MOTUS QUAM MAXIME POTEST SIT APTANDUS, ATQUE EJUS SUBINDE ERRATA QUÆLIBET NULLO DISCRIMINE HABENDA, AN VERO ERRATUM ALIUD PRÆ ALIO PECULIARI QUODAM STUDIO SIT PRÆCAVENDUM.

„ Atque hæ quidem quæstiones ad paschales regulas, & quædam
„ quasi Cyclorum criteria in universum constituenda spectant.

SOLUTIO.

1 Doctissimus Anonymus sapienter monet ad Cyclorum defectus omnes investigandos, ferendumque eadem opera de currentibus Epactis judicium; prædictarum Quæstionum enodationem prorsus esse necessariam. Verum in Cyclis sive veteribus expendendis, sive novis ordinandis, non satis est de erratorum numero cognoscere, nisi & de singulo-

singulorum natura, ac deformitate, quod justum est, constituatur. Hæresis namque fuit Joviniani, qui *omnia peccata* [sunt verba Sancti Augustini *lib. de Hæresibus, cap.* 81. *pag.* 10.] *sicut stoici Philosophi, paria esse dicebat* —; ac propterea damnatus fuit a Syricio Papa, uti legitur in ipsius Epistola *apud Conciliorum Collectionem regiam Parisiis editam Anno* 1715. *tom.* 1. *pag.* 852. *& apud Binium in Conciliis tom.* 1. *pag.* 532. ac deinde damnatus fuit in Mediolanensi Concilio per Divum Ambrosium convocato, auctoritate ejusdem Syricii, uti patet in Epistola Sancti Ambrosii, aliorumque Episcoporum ad Syricium Papam *loc. nuper cit.* Cum ergo omnia peccata non sint paria, quemadmodum resultat etiam ex sacra scriptura *lib. Proverb. cap.* 6. *vers.* 16. — *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur Anima ejus* — & Jerem. *cap.* 7. *vers.* 26. — *induraverunt cervicem suam, & pejus operati sunt, quam Patres eorum, & Tren.* 4. *vers.* 6. *& major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato sodomorum* — & Matth. *cap.* 11. *vers.* 22. — *Verumtamen dico vobis, Tyro, & Sydoni remissius erit in die Judicii, quam vobis* — & Joannes *cap.* 19. *vers.* 11. — *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* — Omnia Cyclorum Lunarium errata circa realem Paschæ indictionem ad duo genera in universum reducuntur; alterum est de mense, alterum de hebdomada. Omnium enormissimum est genus erratorum de mense, & omnino (quantum fieri potest) vitandum, adeo ut, si utrumque erratorum genus declinari queat, illud de mense absolute, ac primo vitari debeat. Legitur enim in Deuteronomio *cap.* 16. *vers.* 1. — ibi — *Observa mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo* — Quapropter Patres Cæsariensis Concilii celebrati auctoritate, & hortatu Sancti Victoris primi Papæ, & Martyris, in synodali Epistola apud Clavium *cap.* 1. *num.* 1. *& alios*, statuerunt primo tenendam pro celebratione Paschæ Lunationem primi mensis, deinde diem ejusdem Lunationis — ibi — *De Luna præceptum divinum teneatur, mandatum per Moysen sit vobis observatum a decima quarta luna usque ad vigesimam primam*. Hinc fit, ut Theophilus Patriarcha Alexandrinus in citato Prologo docuerit, quod — ibi — *Vernæ immutationis initium . . . . ante omnia observare nos convenit, ne si forte in hac ipsa mutatione inferius adhuc, & longius constituta per errorem quis decimam quartam computet lunam, in Paschalis calculi ratione fallatur, quasi primi eam æstimans mensis.*

Unumquodque erratorum genus diversas eorumdem species amplectitur; species erratorum primi generis sunt errata ultimi mensis Anni superioris, & errata secundi mensis labentis Anni, inter quæ errata esse differentiam specificam nemo dubitat. Quare errata ultimi mensis Anni superioris sunt omnium gravissima, ut docet Sanctus Epiphanius *ad Hæresim* 10. *num.* 11. in fine, & Paschasinus Lilibetanus Episcopus in citata Epistola ad Sanctum Leonem Magnum, atque omnium absurdissima, uti pronuntiat etiam secundus Canon Calendarii apud Clavium *in Expl. Calend.* §. *Quod si &c.* in fine *pag.* 21. ac propterea, quantum fieri potest, primo vitanda sunt. Nihil enim absurdius fingi potest, quam si Pascha ex uno in alterum Annum lunarem migrare jubeatur, ac propterea lunaris Anni spatio interdum duplex sit, interdum omnino nullum. Duplex namque Pascha in eodem

lunari

lunari Anno est admisso ultimi Anni errore, primum scilicet Pascha celebratur in primo mense, alterum in ultimo, id quod execrabile fuit etiam apud Constantiuum Magnum, ut dictum est Quæstione prima, *num* 45. Annus enim lunaris tunc sequens transgreditur sine ullo Paschate.

3 Errata vero secundi mensis labentis Anni, licet sint quoque gravissima, nihilominus tantam deformitatem non involvunt, ut paria reputari possint erratis ultimi mensis, tum quia major numerus, ut docet Theophilus Patriarcha Alexandrinus in citato Prologo, minorem numerum includit, non autem è contra, tum quia celebrationem Paschæ in secundo mense Divina Sciptura *ex necessitate* permittit in libro numerorum *cap.* 9. *vers.* 10. & libro secundo Paralipomenon *cap.* 30. Quantam denique deformitatem hæc errata secundi mensis includant, ex eo colligi potest, quod Christiani nominis osores ante Gregorianam Correctionem Ecclesiam criminantur, ut refert Paulus Middelburgensis, Joannes Solon, & alii, tanquam sæpe celebrantem Pascha *immundorum*; legitur enim in citato libro numerorum *cap.* 9. *vers.* 10. -- ibi -- *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: loquere filiis Israel: Homo, qui immundus fuerit super anima, sive in via, procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense secundo.*

4 Exteræ nationes a nobis dissidentes in celebratione Paschæ, dignentur animadvertere, huic Adversariorum censuræ subesse, donec veterem stylum retineant.

5 Alterum erratorum genus est de hebdomada, atque in duas species dividitur. Prima erratorum species est indictionis Paschæ ante Plenilunium; altera in quarta hebdomada Lunæ. Inter hæc errata ante Plenilunium, & quartæ hebdomadæ Lunæ esse differentiam specificam patefeci in quarta Dissertatione apud Epitomen *pag.* 84. *& seqq.* ex præcepto ibidem inducto tam positivo, quam negativo.

6 Errata indictionis Paschæ ante Plenilunium, quibus fit, ut dies nostri Paschæ concurrat cum die veteris Paschæ Judæorum, sive clarius cum die Immolationis Agni, atque cum die Paschæ Quartadecimanorum, graviora sunt erratis quartæ hebdomadæ lunæ, uti manifestum feci in prædicta Dissertatione apud Epitomen *pag.* 87. *& seqq.* quatenus mere opponuntur soli præcepto positivo, atque præscindendo a circumstantiis, a quibus ipsa errata ante Plenilunium consociarentur; fortius vero, si eadem errata considerentur, tanquam consociata a circumstantiis secundum Doctrinam Divi Thomæ 1. 2. *Quæst.* 73. *art.* 7. aggravantibus peccatum, ac denique longe graviora semper esse ostendi *loc. cit.* quatenus opponuntur utrique præcepto positivo, & negativo. Hæc enim errata virtuti Religionis directe, & secundum se opposita sunt. Errata vero quartæ hebdomadæ Lunæ, licet adversentur eidem virtuti Religionis, tum quia Paschalis Festivitatis cultus vocatur *Religio* in Exodo *cap.* 12. *vers.* 43. tum quia per hujusmodi errata declinamus a regula, qua debitus cultus Deo exhibendus est; tamen, cum eidem virtuti adversentur ex diverso motivo, ut probatum est in allegata Dissertatione, Religioni sunt opposita secundum deficientiam illius idoneitatis per præceptum positivum manifestatæ, qua debitus cultus Deo exhibendus est in recolenda memoria Redemptionis nostræ.

Merito

7 Merito igitur, vitatis primo peccatis de mense, ut superius dictum est, deinde vitanda primo sunt, quantum fieri potest, errata ante Plenilunium, postea vero errata quartæ hebdomadæ Lunæ. Hoc tamen legitime procedit, quando utraque erratorum species, quoad hebdomadam per Cyclum declinari potest, & similiter quando utraque species licet declinari non possit, eadem tamen numero sunt errata in utraque specie. Clarum enim est, refundenda tunc esse in Cycli vitium errata quartæ hebdomadæ Lunæ, quæ simul vitari nequeunt. Quoniam apud Theologos passim recepta est regula — *concurrant duo præcepta, quæ simul servari non possunt, posthaberi debet, quod minus est* — quam regulam divinæ scripturæ uniformem ostendi in Epitome *pag*. 93. At quoniam id rarissime evenit, ac sæpe sæpius res aliter occurrit, ob id hæ duæ Quæstiones jam discussæ sunt in allegata Dissertatione quarta, quas hic breviter referam.

8 *Prima* est, an apparere debeat in Cyclo aversio, & abominatio contra errata ante Plenilunium, adeo ut aliqua errata quartæ hebdomadæ Lunæ in Cyclo tolerari potius debeant, quam unicum peccatum ante Plenilunium, quando natura Cycli eodem labente sæculo non patitur, ut omnia errata declinentur in reali Paschæ indictione. Huic Quæstioni respondetur, prout in Epitome *pag*. 93. quod apparere debet in Cyclo aversio, & abominatio contra errata ante Plenilunium. Hæc enim non solum graviora, sed longe graviora sunt peccatis quartæ hebdomadæ lunæ, atque tum per Apostolum Paulum, cujus verba retuli, & exposui Quæstione tertia *num*. 66. *& seqq*. tum per Sacros Canones, quos retuli in Dissertatione post Quæstionem tertiam *num*. 3. *& seqq*. expresse prohibita, & insuper Religioni directe, & secundum se opposita, adeo ut Constantinus Magnus in Epistola ad Ecclesias de Synodo Nicæna, quam retuli in prædicta Dissertatione *num*. 19. fidem faciat, quod Nicænis Patribus — ibi — *Visa est omnibus res esse prorsus indigna, ut in sanctissimæ hujus solemnitatis celebratione consuetudinem Judæorum sequeremur* —.

9 De facto, si Cyclus patefacere non deberet aversionem, & abominationem in errata ante Plenilunium, paria quodammodo faceret utriusque speciei peccata, atque reputaret Sacros Canones æque, ac si expresse, & specialiter propter Quartadecimanorum errorem non prohiberent Paschæ celebrationem luna decima quarta. Quando enim Cyclus eadem numero peccata utriusque speciei vitare nequit, & in Cycli vitium refunduntur potius errata hebdomadæ lunæ, id reputari posset mera auctoris Cycli electio, eoque fortius, quia prædictus casus æqualitatis numeri erratorum, quæ simul declinari nequeant, rarissime contingit; vel ad summum reputari posset electio prudenter directa ab alia ratione præter illam quæ provenit ex expressa Canonum prohibitione; nimirum directa ab illa ratione jam exposita in citata Dissertatione quarta apud Epitomen *pag*. 88. *& seq*. qua, constat errata ante Plenilunium graviora esse peccatis quartæ hebdomadæ ex solo præcepto positivo. Quo igitur in Cyclo prædicta aversio, & abominatio appareat, nulla alia certa ratio assignari potest, nisi ut aliqua errata quartæ hebdomadæ lunæ in Cyclo tolerari potius debeant, quàm unicum peccatum ante Plenilunium, quando natura Cycli non patitur, ut omnia errata declinentur in reali Paschæ indictione.

Altera

10 *Altera* quæſtio eſt, cum averſio, & abominatio in Cyclo apparere debeat contra errata ante Plenilunium, an Cyclus ipſe ad evitandum unicum peccatum ante Plenilunium involvere potius debeat in eodem ſæculo omnia, quæ poſſunt contingere, errata quartæ hebdomadæ lunæ, quando utraque erratorum ſpecies declinari non poteſt. Et quatenus negative, quomodo Cyclus dirigendus ſit. Huic Quæſtioni, prout in Epitome *pag.* 95. reſpondetur negative; Cyclus enim, dum averſionem; & abominationem in errata ante Plenilunium patefacere debet, non inde infertur, quod reliqua Paſchalium Canonum diſpoſitio per eundem Cyclum omnino parvipendenda ſit, qua prohibita redduntur errata quartæ hebdomadæ lunæ. Quoniam: *intelligentia dictorum* (ſunt verba Sancti Hilarii *lib.* 4. *de Trinit. num.* 14.) *ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei debet eſſe ſermo ſubjectus* —; ac propterea cum cauſa, qua Sacri Canones prohibent celebrationem Paſchæ in luna decima quarta, fuerit averſio, & abominatio obſervantiæ Cæremonialium Legis Moſaicæ præceptorum una cum Lege Evangelica, procul dubio ſequitur, quod patefaciente Cyclo hujuſmodi averſionem, & abominationem, ipſe Cyclus contentus eſſe debet. Juriſconſultus enim *in Digeſt. vet. lib.* 1. *tit.* 3. *leg.* 24. dicit, quod — *nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro hominum utilitate introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem* —. Patefaciente igitur Cyclo averſionem, & abominationem in peccata ante Plenilunium, Cyclus ipſe, duriore ſacrorum Canonum interpretatione produci non debet ad talem ſeveritatem, ut ad evitandum unicum peccatum ante Plenilunium omnia potius quæ in eodem ſæculo contingere poſſunt, errata quartæ hebdomadæ lunæ parvipendendo, reliquam ſacrorum Canonum diſpoſitionem, ſemper involvat; eoque fortius cum deprehendatur de tempore Nicæni Concilii, aliquando Paſcha realiter fuiſſe celebratum ex Cycli vitio ante medium Plenilunium ſequentibus Annis.

Anni Dom.	*Aur. Num.*	*Litera Domin.*	*Luna XIV.*	*Paſcha Die.*	*Plenilunium medium.* D. *Hor. Min. Sec.*
326	4	B	2 Apr.	3 Apr.	3. 13. 54. 33.
346	5	E	22 Mar.	23 Mar.	23. 15. 15. 38.
475	1	E	5 Apr.	6 Apr.	6. 11. 4. 8.
495	2	A	25 Mar.	26 Mar.	26. 12. 25. 13.

11 Cum igitur in Cyclo apparere debeat averſio, & abominatio in peccata ante Plenilunium, adeo ut ad evitandum unicum peccatum ante Plenilunium, aliqua potius errata quartæ hebdomadæ lunæ toleranda ſint; cumque Cyclus ad evitandum unicum peccatum ante Ple-

nilunium

nilunium non debeat, parvipendendo reliquam sacrorum Canonum dispositionem, involvere in eodem sæculo omnia, quæ possunt contingere, errata quartæ hebdomadæ lunæ, quomodo Cyclus dirigendus est? Ut hoc opportune assequamur, notandum est, quod omnibus sæculis eadem non semper emergunt. Fit enim aliquando, ut ad declinandum unicum peccatum ante Plenilunium, Cyclus in eodem sæculo, alterum quartæ hebdomadæ lunæ committat, aliquando duo, aliquando tria, aliquando plura, ac denique non ejusdem gravitatis. Inter peccata enim quartæ hebdomadæ illud gravissimum est, quando medium Plenilunium contingit die Sabbati, & Cyclus quartamdecimam Paschalem designat sequenti die Dominico, quia Paschæ indictionem tunc transfert in alium diem Dominicum, qui est luna vigesima tertia. Illud vero, quod omnibus minorem, uti patet in Epitome *pag* 97. *& seq.* includit gravitatem, est, quando medium Plenilunium contingit die Dominico a solis ortu usque ad meridiem, & Cyclus in hac die signat Paschalem quartam decimam, dilata Paschæ indictione in sequentem diem Dominicum.

12 His notatis dico, quod sufficit, ut Cyclus ad evitandum unicum peccatum ante Plenilunium, tantum peccatorum quartæ hebdomadæ numerum non curet, quanto refuso in Cycli vitium eidem Cyclo attribui necessario debeat aversio, & abominatio in peccata ante Plenilunium. Quando autem peccata quartæ hebdomadæ in eodem sæculo excedunt prædictum numerum, tunc refuso in Cycli vitium peccato ante Plenilunium, Cyclus ipse declinet peccata quartæ hebdomadæ, quoniam eidem Cyclo tunc imputari nequit mera electio peccati ante Plenilunium, cum sit manifesta ejusdem Cycli imperfectio, qua nullus Cyclus civilis caret. Si Christophorus Clavius adhuc in humanis esset, utique existimarem, quod Vir præclarissimus, atque ingenuus prædictis acquiesceret, tum quia aliter fieri nequit, tum quia ipse Clavius *cap.* 18. *num.* 7. *pag.* 388. hæc verba profert, quæ prædictis fortiori ratione conveniunt — ibi — *Vides igitur quam præclare cum nostris Epactis in novo Calendario sit actum, quandoquidem inter duas extremas mediam quasi viam, eas tenere demonstratum est: ita ut neque nimis earum Neomeniæ anticipent cælestia novilunia, neque nimis eadem subsequantur, sed medio quodammodo gressu incedant, quo quid hoc in negotio excogitari potest præclarius?*

Itaque ad evitandum unicum peccatum ante plenilunium, duo solum errata quartæ hebdomadæ lunæ sufficerent, ut in Cycli vitium refundantur, si hæc semper essent ex gravioribus, nimirum, si medium Plenilunium tunc quomodocunque contingeret ante ortum solis diei Dominici, procul dubio enim Cyclus aversionem, & abominationem tunc patefaceret in peccata ante Plenilunium. At quoniam errata quartæ hebdomadæ Lunæ in Cycli vitium, uti supra, refundenda, quandoque possunt esse non ejusdem gravitatis, ideo nec prædictus numerus duorum erratorum conveniens est, ut sit semper uniformis. Legitur enim in Deuteronomio *cap.* 25. *vers.* 3. — *pro mensura peccati erit & plagarum modus* — & in Apocalypsi *cap.* 18. *vers.* 7. — *quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum* —. Quare existimavi, quod ad declinandum unicum peccatum ante Plenilunium, sufficiat, ut in aliis Annis ejusdem sæculi vertan-

tur in Cycli vitium duo tantum peccata quartæ hebdomadæ Lunæ, quando medium Plenilunium tunc contingit ante occasum solis diei Sabbati, vel ante ortum solis diei Dominici. Vertantur vero in Cycli vitium tria peccata quartæ hebdomadæ lunæ, quando in unico tantum ex hisce tribus peccatis contingit ipsum Plenilunium quomodocumque ante ortum solis diei Dominici, & in aliis duobus peccatis prædictum Plenilunium advenit post ortum solis diei Dominici usque ad meridiem. Major autem numerus erratorum quartæ hebdomadæ lunæ tolerandus in Cyclo nunquam sit, ut in eodem sæculo unicum peccatum ante Plenilunium declinetur. Contingente igitur majori numero erratorum quartæ hebdomadæ tunc declinanda sunt errata quartæ hebdomadæ lunæ, & in Cycli vitium refundi debet peccatum ante Plenilunium, quoniam eidem Cyclo tunc imputari nequit mera electio peccati ante Plenilunium, cum id sit manifesta ejusdem Cycli imperfectio, qua nullus Cyclus omnino caret.

13 In novo tamen Cyclo Aureæ Columnæ Annorum triginta octo, in uno tantum sæculo, nempe post Annum 3700. intra temporis spatium ab Anno 1700. usque ad Annum Domini 5000. quousque illum æquavi, contingit casus, ut ad evitandum unicum peccatum ante Plenilunium, tria peccata quartæ hebdomadæ in Cycli vitium, uti supra refundantur, contingente in eis medio Plenilunio semper post ortum solis diei Dominici usque ad meridiem ac propterea ista Cycli peccata licet excusari nequeant ex dictis Quæstione prima *num.* 27. *& seqq.* propter Meridianorum diversitatem, tamen omnibus adeo leviora sunt, ut quibusdam locis a Meridianorum differentiis corrigantur. Quinquies vero in quinque tantum inter sese distantibus sæculis factum est, ut duo errata quartæ hebdomadæ Cyclus ipse involvat, ut unicum vitet peccatum ante Plenilunium. Si autem rigorose loquamur, illis quinque sæculis, quæ sunt post Annum 1800. 2200. 4100. 4500. & 4700. quædam aliæ animadversiones simul concurrunt, ut manifestat Demonstratio sub *Quæst.* 7. *num.* 18. *& seqq.* Inter illa tamen, quæ involvit errata, nullum ex omnium gravissimis quartæ hebdomadæ includit, quoniam omnia, quæ committit Cyclus Currentium Epactarum, contingente Plenilunio die Sabbati, corriguntur, quemadmodum de hisce omnibus manifestum erit in perdifficili Demonstratione, quam elucubratus sum post responsum ad primam partem septimæ Quæstionis, in qua Demonstratione patet etiam, quod ideo prædictus Aureæ Columnæ Cyclus illa quatuor in diversis sæculis inter sese longe distantibus errata ante Plenilunium, quæ sola involvit, & quæ in Cyclo etiam Gregoriano inter cætera includuntur, non corrigit, quoniam duo utpote producta ex Nicænorum terminorum Paschalium angustia, tanquam per accidens, & præter Ecclesiæ intentionem, contingere reputanda sunt ex discussis Quæstione quarta; alia autem duo errata ante Plenilunium ex eo proveniunt, ut vitentur septem peccata quartæ hebdomadæ lunæ. Cetera igitur errata, quæ ipse Cyclus Aureæ Columnæ non corrigit, quartæ hebdomadæ lunæ, refunduntur in ejusdem Cycli vitium, cum impossibile absolute sit, ut omnia errata per quemlibet Cyclum vitentur, uti sæpe cum Anonymo docet Clavius, Joseph Scaliger, Petavius Bucherius, Petrus Gassendus, & alii communiter; præcipue vero Clemens VIII. Pont. Max. in Bulla, quæ incipit -- *Quæcunque* --;

cunque --; & ideo hæc ipsa errata in Cycli vitium refusa sunt, ne aliis Annis ejusdem respective sæculi Cyclus Aureæ Columnæ longe turpius peccet indictione Paschæ tum ante Plenilunium, tum alio mense, quam primo; aut enim illa, aut ista errata declinari non possunt, ut fit manifestum in prædicta Demonstratione.

14 Exposita erratorum natura, & deformitate, simulque methodo dirigendi Cyclum in prædictis casibus, superest, ut ad summa capita reducantur Paschales regulæ, quæ quasi Cyclorum Criteria adhiberi debent in Cyclorum ordinatione, aut examine; & sunt eæ omnes, quas exhibui in Epitome *pag.* 112. recto ordine dispositas, secundum propriam erratorum gravitatem, eodemque ordine servandas, & quas utpote præcedentium Quæstionum resolutionibus respondentes, hic iterum exhibendas censui; videlicet.

Prima; ne Pascha per Cyclum indicatur ultimo præteriti Anni mense; sive clarius, ne indicatur in Martio, quando medium Plenilunium contingit ante solis occasum civilis diei decimæ nonæ Aprilis.

Secunda; ne Pascha indicatur secundo mense; seu clarius, ne indicatur mense Aprili, quando medium Plenilunium contingit in Martio post occasum solis diei desinentis 21. Martii.

Tertia; ne Pascha indicatur ultimo præteriti Anni mense, scilicet in Martio, quando nullum medium Plenilunium contingit intra terminos Paschales, nimirum ab occasu solis diei desinentis 21. Martii usque ad solis occasum diei desinentis decimæ nonę Aprilis, sed tunc indicatur mense Aprili.

Quarta; ne Pascha indicatur luna decima quarta; seu clarius, ne indicatur ante medium Plenilunium.

Quinta; ne Pascha indicatur post lunam vigesimam primam, & consequenter.

Sexta; ne Pascha per Cyclum differatur in alium diem Dominicum, quando medium Plenilunium contingit die Sabbati; sed indici debet die Dominico immediate post ipsum Plenilunium.

Septima; ne Pascha differatur in sequentem diem Dominicum, quando medium Plenilunium contingit die Dominico, scilicet post occasum solis diei Sabbati desinentis usque ad solis ortum ipsius diei Dominici.

Octava; ne Pascha differatur in sequentem diem Dominicum, quando medium Plenilunium contingit die Dominico ab ortu solis usque ad meridiem.

Quare inter prædictas regulas non commemoratur usus virtutis Gnome; hic enim pertinet ad perfectiorem Cycli rectitudinem.

15 Progrediens nunc ad ea, quæ doctissimus Anonymus animadvertit §. *Quidam &c.* dico, quod data opera efficere, ut Cyclus nonnihil serius quartasdecimas absolute commonstret, [quemadmodum huic sententiæ favent quidam Recentiores dicentes, quod *in secundo Canone Calendarii hoc maturo consilio factum esse pronuntiatur*] tria pernecesse includit. *Primum* est, quod Paschalis sit mensis ille, qui proprie ultimus est Anni superioris. Postposita enim cyclari quarta decima, illico Paschale regulariter fit Plenilunium die Æquinoctii 21. Martii quomodocumque contingens, contra ea, quæ discussa sunt in Corollario, ac Dissertatione post responsum ad quartam Quæstionem. *Alterum* est, quod Pascha rite indici possit luna vigesima secunda; quoties enim

cyclaris quartadecima medium Plenilunium commonstrat, octavus ab ea dies ex demonstratis Quæstione tertia *num.* 36. nunquam participat de luna vigesima prima astronomica, si unicum casum excipias, usus virtutis Gnome. *Tertium* est, quod manifeste arguerentur Nicæni Patres, tum ex iis, quæ exhibui Quæstione tertia *num.* 35. *& seqq.* tum præcipue ex infra dicendis *num.* 21. *& seqq.* ac etiam argueretur Sanctus Innocentius primus Papa, qui, ut probatum est Quęstione tertia *num.* 29. *& seq.* decrevit Pascha tunc fuisse celebrandum die 22. Martii, in cujus mane tribus ferme horis ante meridiem ipsum contigit Plenilunium. Nonne igitur deterior esset medicina morbo ipso, quod sanare optaretur, quartis decimis nonnihil serius per Cyclum *absolute* commonstratis?

16 Equidem Mathematici Gregoriani, si horum sententiam velimus expendere, desumptam, uti par est, ex Canone secundo Calendarii §. *Quod si &c.* apud Clavium *pag.* 21. utique non senserunt, ut Cyclus *absolute* commonstret serius quartasdecimas, uti clare constat etiam ex dictis Quęstione tertia *num.* 61. 62. *&* 63. *&* 65. *&* 77. *& seqq.* & pręcipue 81. sed eas serius commonstret in concursu accelerationis earumdem quartarum decimarum, quę simul vitari nequeat, idque non semper, sed aliquando. Hęc enim sunt verba secundi Canonis Calendarii -- *Quod si quando Epactæ per dies Calendarii distributæ indicent novilunia pauto serius, quam res postulet, mirandum non est, cum matura censilio ita sint disposita. Cum enim nullus Cyclus lunaris ad unguem calculo astronomico respondere possit, sed modo citius, modo tardius novilunia indicet, data est diligenter opera, in distribuendo Cyclo hoc* 30. *Epactarum in Calendario, ut POTIUS novilunia serius ALIQUANDO per Epactas demonstrentur, quam ut ALIQUANDO sedes suas antevertant, ne cum Quartadecimanis hæreticis sacrosanctum Pascha, vel in decima quarta luna, vel ante celebretur, adeo ut propter celebrationem Paschæ major sit habita ratio decimæ quartæ lunæ, vel Plenilunii, quam novilunii* --. At iidem Mathematici, licet senserint, ut Cyclus quartas decimas serius *aliquando* commonstret in concursu accelerationis earum; id tamen sensisse intelligendi sunt, ut ex quartarum decimarum postpositione raro accidat celebratio Paschę post diem vigesimum primum lunę; nunquam vero contingat ejusdem Festi celebratio in ultimo mense. Nec proprio marte hoc protuli; id enim colligitur ex verbis ejusdem secundi Canonis Calendarii, quę pręallegatis immediate sequuntur -- ibi -- *Neque magni refert, si aliquando quod raro tamen accidit, propter hanc novilunii postpositionem contingat Pascha celebrari post diem vigesimum primum lunæ: Minus enim hoc peccatum est quam si ante diem decimum quartum lunæ celebretur, vel in ultimo mense, quod esset absurdissimum* -- Illa enim verba -- *Si aliquando quod raro tamen accidit* -- satis manifestant, eosdem Mathematicos intellexisse, quod in Cyclo aliqua pauca errata quartæ hebdomadæ lunæ potius toleranda sint, quam unicum peccatum ante Plenilunium; idque tamen non absolute, sed dummodo ex prædicta quartarum decimarum postpositione Pascha in ultimum mensem non prolabatur. Cum enim peccatum ultimi mensis longe enormius esse peccato ante Plenilunium ipsimet Mathematici aperte declarent, prædictam postpositionem necessario reiciunt, quando ex hac proveniat peccatum ultimi mensis.

Si

Si vero quæratur, an huic Mathematicorum Gregorianorum Doctrinæ respondeant Currentes Epactæ, certum est, quod non respondent; imo ab ipsa maxime exorbitant, uti clare constat ex dictis Quæstione prima, & Anonymus refert §. *Qui ergo &c.*

18 Attamen sapienter, ut præclarissimi, insignisque Viri erat, Joannes Dominicus Cassini ad relata per Anonymum §. *Contra &c.* animadvertit, postquam Ecclesia Cyclum aliquem semel probavit, ab ipsa quartamdecimam nullam agnosci aliam, quam quæ a Cyclo designatur; sed non agimus de methodo, quam Ecclesia adhibet pro actuali Paschæ celebratione; quo casu Ecclesia utique nullam aliam cognoscit quartam decimam, quam quæ a Cyclo per ipsam probato designatur: sed agimus de ordinanda, sive expendenda ipsa methodo; quo casu Ecclesiæ non satis consulitur, si Ecclesia ipsa in Paschæ Festo cyclicam quartam decimam vitet; alioquin sufficeret, diei lunaris tantum nomenclatura, & non re, sacros Canones observare, quod nemo dixerit. Cyclicam enim quartamdecimam eadem Ecclesia vitat & ad præsens, vitabatque ante Correctionem Gregorianam; & tamen methodum, qua olim colligebatur cyclica quartadecima, Gregorius XIII. pro viribus correxit; & methodum etiam, qua ad præsens eadem quartadecima colligitur, ipsemet Cassinus emendandam esse non dubitat. Quare cum agimus de ordinanda, sive expendenda methodo pro actuali Paschæ celebratione, Ecclesia, quippe quæ tunc spectat solum, quæ expresse prohibita sunt, & quæ expresse præcepta, nullam aliam agnoscit quartam decimam, nisi diem, qui proxime præcedit medium Plenilunium, salvo usu virtutis Gnome: ac propterea tunc merito non considerat, an Judæi, & Quartadecimani eundem illum diem numeraturi sint quartumdecimum; sive an iidem Judæi, & Quartadecimani, diversam computi rationem ineuntes, cum die nostri Paschæ convenire possint; eoque fortius Ecclesia id non considerat, quia apud Judæos, ut monuit Sanctus Epiphanius *ad Heresim* 70. -- *depravata sunt omnia* --, & ad præsens ipsimet Judæi non celebrant Pascha, proprie dictum, quod olim illis erat immolatione Agni ad vesperam lunæ quartæ decimæ primi mensis; sed, ut probatum est Quæstione tertia *num.* 46. recolunt solum Azymorum solemnitatem, feria insuper secunda, & quarta, & sexta ad hoc Festum recolendum ex arbitrio rejectis, ex quo fit, ut non raro iidem a recto etiam declinent, tum per defectum, tum per superabundantiam, omissis secundi mensis erroribus, quos aperte committunt, quoties recurrit illis usus aurei numeri hebraici octavi, & undevigesimi, qui respondent nostris aureis numeris tertio, & undecimo. Quo igitur satis Ecclesiæ consulatur, oportet, ut Cyclus adhibendus pro indictione Paschalis quartædecimæ designet, quam accuratissime fieri potest, civilem diem, qui ex Catholicæ Ecclesiæ sensu est decimus quartus Lunæ primi mensis, quemadmodum a Nicænis Patribus, quantum Cycli decennovennalis aureorum numerorum, & methodi colligendi ex eo lunam decimam quartam Paschalem, natura patiebatur, ita factum esse patet ex dictis.

19 Verum quidem est, quod ipse Cyclus decennovennalis lunæ tempora tunc non retardabat. Sed ut quidquam ex hoc solide statuatur, inquirendum est, an idem Cyclus per Nicænos Patres ita disponi potuerit, ut Lunæ tempora aliquando retardaret, & nihilominus tunc

non

non retardaverit. Si enim disponi non potuit, ut Lunę tempora aliquando retardaret, utique ex hoc non sequitur, ut de industria Cyclus Paschalis, qui alterutrum extremum, aut accelerationis, aut tarditatis vitare nequit, aliquando retardare non possit Lunę tempora, ut graviora, quemadmodum dictum est prope initium hujus Quęstionis, declinet peccata; eoque fortius; quia si aliquando Lunę tempora retardantur, ipsa Lunę tempora, quę aliis Annis ejusdem sęculi nimis anticipant, ad justam mensuram tunc necessario reducuntur.

20 Dico igitur, quod natura Cycli decennovennalis non patiebatur, ut per Nicęnos Patres ita disponi potuerit, ut ne uno solo quidem Anno Lunę tempora retardarentur, ut plures Anni ejusdem Periodi, quorum Paschalis quartadecima nimis anticipabat, ad justam mensuram reducerentur. Quamvis enim hoc negare nequeant, qui affirmant, Paschales Cyclos, quantum eorum natura pateretur, ad Lunę positus tunc aptatos fuisse; tamen in Laterculo Cycli decennovennalis Nicęni, quem exhibui Quęstione secunda *num.* 14. patet, quod aurei numeri Annis tredecim recte designant, Paschalem quartam decimam ex Ecclesię sensu acceptam, sex vero Annis, qui sunt complementum ejusdem Cycli decennovennalis, a recto adeo exorbitant, ut Paschalem quartam decimam signent biduo ante medium Plenilunium, videlicet.

Annis Domini	326	327	331	335	342	343
Currente aureo numero	4	5	9	13	1	2

Quare aliqui ex hisce sex Annis per eundem Cyclum vel corrigi poterant, vel non; si corrigi poterant ergo falsa esset illorum propositio, qui affirmant, Paschales Cyclos, quantum eorum natura pateretur, ad Lunæ positus tunc aptatos fuisse, si vero, prout veritati consonum est, corrigi non poterant; ergo qui prædicta affirmant, negare nequeunt, quod ejusdem Cycli natura non patiebatur, ut ipse Cyclus Lunæ tempora retardaret ne solo quidem Anno intermedio 344. qui insignitus est cum aureo numero tertio, & per cujus novilunii Paschalis depressionem, sive retardationem, illico correcti fuissent Anni 326. 327. 342. & 343. Et quidem in dispositione ejusdem Cycli quæcumque variatio, sive correctio etiam minima effecisset, ut non solum Nicæna methodus colligendi singulis Annis quartam decimam Paschalem jam exposita in Epitome *pag.* 154. contraxisset in praxi obscuritatem, verum etiam aut regularitas quæ necessaria erat, defecisset in Cyclo, aut ratio omnino corruisset, qua Annus Ogdoadis ultimus fieri potuit Embolismalis. Facta enim quacunque minima variatione, simulque servata Cycli regularitate, dies una defecisset ad embolismalem constituendum ultimum Annum Ogdoadis. Si quis vero peteret, quid intererat hunc Annum facere Embolismalem? Respondeo, si Annus Ogdoadis

R C U L U S

JR EXEMPLAR CYCLI DECENNOVENNALIS,
ADEM, QUAM EDIDERUNT, RETENTA
SPOSITIONE, EPOCHAM AUREORUM
M LOCASSENT ANNO XXX.
RÆ VULGARIS.

ilunium Cycli	*Luna XIV. Cycli*		*Plenilunium medium*					*Pascha*	
Mens.	*Die*	*Mens.*	*Die*	*Hor.*	*Min.*	*Sec.*	*Men.*	*Die*	*Mens.*
M.	4	A.	3.	13.	54'	32"	A.	10.	A.
M.	24	M.	23.	22.	43'	10"	M.	26.	M.
M.	12	A.	10.	20.	15'	51"	A.	14.	A.
M.	1	A.	31.	5.	4'	29"	M.	6.	A.
M.	21	M.	20.	13.	53'	8"	M.	22.	M.
M.	9	A.	8.	11.	25'	49"	A.	11.	A.
M.	29	M.	27.	20.	14'	27"	M.	2.	A.
A.	17	A.	15.	17.	47'	8"	A.	22.	A.
M.	5	A.	5.	2.	35'	46"	A.	11.	A.
M.	25	M.	25.	11.	24'	25"	M.	27.	M.
M.	13	A.	12.	8.	57'	6"	A.	15.	A.
M.	2	A.	1.	17.	45'	44"	A.	3.	A.
M.	22	M.	22.	2.	34'	22"	M.	26.	M.
M.	10	A.	10.	0.	7'	3"	A.	14.	A.
M.	30	M.	29.	8.	55'	41"	M.	6.	A.
A.	18	M.	17.	6.	28'	23"	A.	19.	A.
M.	7	A.	6.	14.	17'	1"	A.	11.	A.
M.	27	M.	27.	0.	5'	39"	M.	2.	A.
A.	15	A.	13.	21.	38'	20"	A.	22.	A.

doadis ultimus factus fuiſſet communis, Paſcha perpetuo tunc peractum fuiſſet ultimo menſe, & inſuper currente litera Dominicali B. contigiſſet pridie Æquinoctium, ſcilicet die 20. Martii, currente vero litera Dominicali C. occurriſſet die Æquinoctii 21. Martii.

21 Ceterum ſi quæratur, an idem Cyclus, ſervata eadem colligendi ſingulis Annis Paſchalem quartamdecimam facilitate, ac Cycli regularitate, ſimulque eadem Ogdoadis retenta ratione, ita a Nicęnis Patribus diſponi potuiſſet, ut Lunę tempora retardaret, nimirum ut — *nulla unquam luna decima quarta Paſchalis* (ſunt verba Clavii in Explic. Calend. *cap.* 18. *num* 4. *pag.* 381.) *duobus, aut pluribus diebus oppoſitionem mediam præcurrat, ſed vel uno tantum, vel certe in ipſum Plenilunium medium incidat, vel ſaltem non multo poſt conſequatur*: Reſpondeo affirmative. Dices, quomodo id fieri potuiſſet? Reſpondeo Nicęnos Patres, quippe qui filum aureorum numerorum Julii Cęſaris illucuſque ſervatum, ut late jam diſcuſſum eſt in Diſſertatione poſt tertiam Quęſtionem, ruperunt, Epochamque ſuorum aureorum numerorum locaverunt Anno Ærę Martyrum, illud commode efficere potuiſſe, retenta omnino eadem Nicęna aureorum numerorum collocatione civilibus diebus menſis Paſchalis, ac ſolum affixa aliter ſuorum aureorum numerorum Epocha, exempli gratia, Anno juxta vulgarem Chriſti Æram 30. in quo paſſus eſt Chriſtus, ut probatum eſt in Diſſertatione poſt hanc Anonymi Quęſtionem. Locata enim Aureorum numerum Epocha Anno Ærę vulgaris 30. hic Annus inſignitus fuiſſet aureo numero 1. & ſic deinceps, adeo ut Anno 325. in uſu fuiſſet aureus numerus 11. Anno 326. aureus numerus 12. & ſic de cęteris. Hoc pacto numeri aurei, ex hac Epocha deducti, deſignaſſent in veteri Calendario novilunium cyclare, pro ut pręciſe aurei numeri ibidem affixi ſunt juxta diſpoſitionem Nicęnam. Rem enim ita elucubratus ſum, ut quiſque illico cogoſcat, eandem omnino fuiſſe prędictę methodi facilitatem, ac Cycli regularitatem, eandemque Ogdoadis rationem. Anni namque Emboliſmales eodem modo fuiſſent currente aureo numero 3. 6. 8. 11. 14. 17. & 19. Supereſt igitur, ut patefaciam, quod in hac Cycli decennovennalis diſpoſitione Nicęni Patres Lunę tempora retardaſſent eo pręciſe modo, ut declarant allegata Clavii verba; idquę oſtendam in ſequenti Laterculo, cujus prima Columna exhibet Annos Ærę vulgaris; ſecunda aureos numeros deductos ex prędicta Epocha Anni 30. tertia Literam Dominicalem; quarta novilunium Cyclare, prout hoc pręciſe deſignant aurei numeri veteri Calendario affixi; Quinta lunam quartam decimam Paſchalem in eodem veteri Calendario; Sexta Plenilunium medium ad meridianum Romanum, ubi horę ſunt poſt meridiem; ſeptima diem Paſchæ ubi litera A. denotat menſem Aprilis; litera vero M. menſem Martium.

LATER-

22 In hoc Laterculo evidenter patet, quod Nicęni Patres eadem servata prædicta facilitate ac Cycli regularitate, eademque retenta Ogdoadis ratione ita Lunæ tempora retardare potuissent, ut -- *nulla unquam luna quartadecima Paschalis duobus, aut pluribus diebus oppositionem mediam præcurrat, sed vel uno tantum, vel certe in ipsum Plenilunium medium incidat, vel saltem non multo post consequatur* --. Nullus enim Annus in exhibito Laterculo assignari potest, in quo Paschalis quarta decima plusquam uno die pręcurrat oppositionem mediam, & in quo hanc consequatur plusquam uno die. Quapropter, si Nicęni Patres decennovennalem Cyclum, uti supra dispofuissent, utique Paschalis quartadecima illis sex Annis *num.* 20. notatis biduo non pręcessisset Plenilunium, & Pascha Anno 326. celebratum non fuisset die 3. Aprilis, pridie scilicet ante medium Pleuilunium; sed Annis 340. & 344. celebratum fuisset in quarta hebdomada Lunę; Anno autem 330. hoc Festum peractum fuisset ultimo superioris Anni mense, quoniam Ogdoas, quę in exhibito Laterculo incipit Anno Christi 334. terminatque Anno 341. cum aureo numero octavo, recurrisset Annis, in quibus Nicęni Patres vere & realiter Hendecadem locarunt; & è contra &c. manifestante hoc absurdum etiam Plenilunio medio, quod in Laterculo appositum est.

23 Vidimus quid Nicęni Patres efficere potuissent, at non fecerunt, & quidem merito, uti patet ex dictis; simulque videmus exemplar directionis currentium Epactarum in hoc, & quibusdam aliis sęculis; ipsę enim, ut dictum est Quęstione prima, Hendecadem pro Ogdoade, & contra usurpantes, peccant eodem modo, quo peccasset Cyclus decennovennalis, uti supra, dispositus, tum quoad hebdomadam, tum quoad mensem. An non pudet id sequi, quod Nicæni Patres efficere potuerunt, & non fecerunt?

24 In hisce igitur terminis, illis assentior, quos Anonymus refert §. *Contra alii &c.* videlicet, nusquam Paschales Cyclos ita de industria dispositos, ut Lunę tempora, uti proxime expositum est, retardarent, sed quantum eorum Cyclorum natura pateretur, ad designandam Paschalem quartamdecimam ex sensu Catholicę Ecclesię acceptam, aptatos fuisse. Valde enim ęquivocum est dicere, quod veteres Patres Cyclos Pasquales aptaverint *ad ejus syderis positus*. Si namque intelligatur, ipsos Cyclos aptatos fuisse ad novilunii punctum, id utique falsum esset. Perinde enim esset, ac dicere, aptatos fuisse ad designandam lunam primam ipso novilunii puncto, quacunque hora contigerit, & consequenter ad designandam Paschalem quartam decimam biduo ante luminarium oppositionem, quod erroneum esse, atque ab eorumdem Patrum sententia alienum patefeci *Quæstione tertia, & quarta*.

Id tamen pręterire non debeo, quod multorum Annorum experientia me docuit, negocium assequi non posse inspectis solis Annis sęcularibus. Quod breviter exemplo ostendam. Lilianę, & Cassinianæ Epactæ recte designant Paschalem quartamdecimam Anno 1700. & 1800. & cum Epactæ omnium Annorum expansorum ab Epacta sæculari pendeant, eandem, aut fere, rectitudinem primo intuitu præseferre videntur in utroque sæculo. Res tamen longe diversa est. Ipsæ enim Lilianæ, & Cassinianæ Epactæ hoc labente sæculo recte semper Pascha indicunt, hisce tribus Annis dumtaxat exceptis 1710. 1730. & 1750.

At

At futuro sæculo enormissime procedunt, indicentes Pascha secundo mense Annis 1818. 1837. ~~1855~~. 1875. & 1894. Quamvis hisce Annis medium Plenilunium futurum sit post civilem diem 21. Martii, & in super undecies indicentes Pascha pridie ante medium Plenilunium, nempe Annis 1807. 1(08. 1811. 1828. 1831. 1835. 1855. 1862. 1882. 1886. & 1899. omissis quatuor Paschæ indictionibus juxta synesim procedentibus, scilicet Annis 1801. 1859. 1872. & 1879. Id quidem, quod non raro contingit, animum meum maxime angebat, donec germanam diversitatis hujus causam deprehenderim, quæ utpote proveniens ex natura rei, perpetuo constans est, atque invariabilis, & in eo præcipue consistit, quod singula Plenilunia media cujusvis sæculi non servant in correspectivis Annis sequentis sæculi eandem distantiam a meridie, neque a die Dominico, neque a limitibus Paschalibus. Quare, sicuti retardatio proximum periculum est, ne sæpius in ultimum mensem Pascha reiiciat, ita acceleratio idem periculum includit, ne sæpius in secundum mensem illud Festum reponat, cum id certo deprehendamus contingere, Epacta sæculari Paschalem quartam decimam recte designante.

25 Concludo itaque cum Anonymo §. *Contra alii &c.* nihil consultius esse quam si prædictis exemplis freti Cyclum quam optimum eligamus, qui lunam decimam quartam Paschalem ex sensu Catholicæ Ecclesiæ acceptam, quam accuratissime fieri potest, designet, defectus vero, quos vitari ejus natura non patitur, nihili pendamus.

QUÆDAM POSTREMÆ HUJUS PROPOSITIONIS FUNDAMENTA IN MEDIUM AFFERUNTUR.

26 Quos defectus vitari natura Cycli quam accuratissime ordinati non patitur, nihili pendendos esse, omnium Cyclorum natura postulat ex probatis Quæstione tertia *num.* 60. atque suadet Ecclesiæ praxis ab ipsis Apostolorum temporibus usque ad Nicæni Ævum, uti constat ex Cycli tunc usitati defectibus notatis in Dissertatione post tertiam Quæstionem *num.* 75. & 78., atque ex Libro Constitutionum Apostolicarum ibidem allegato *num.* 37. ac deinceps post Nicænum Concilium tot sæculorum lapsu probata, ac denique clare docent verba Clementis VIII. Pont. Max. in Bulla, quæ incipit — *Quæcunque* — relata Quæstione tertia *num.* 60. Hoc tamen Ecclesia Catholica prima non novit. *Cum Domus Judicii* (sunt verba vetustissimi Canonis Judæorum, relati per Rabbi Malmonidem in libro de sanctificatione novilunii *cap.* 2. *sect.* 10.) *Cum Domus Judicii neomeniam consecravit, sive erret, aut in errorem inducat, illa tamen est consecrata: nec quisquam est, qui non teneatur Festa observare secundum illam diem, licet errorem noverit* —. Ex quibus verbis clare patet, sine errore interdum non fuisse etiam Pascha veterum Judæorum, quemadmodum de facto veteres Judęi non solum Anno primo ante Æram Christi vulgarem, verum etiam nonnullis aliis Annis, ac prędsertim tempore, quo Christus cum eisdem Festa recolebat post Baptismum Pascha non sine Cycli Judaici errore celebrarunt, uti probatum est post responsum ad hanc Anonymi Quęstionem in Dissertatione *num.* 18. neque sine ullo un-

quam a cœlestibus motibus dissensu celebrare primis temporibus potuerunt servantes civilem methodum, quam Deus illis tradidit, per me expositam Quęstione nona *num.* 12. Ea enim est omnis civilis methodi natura, ut a cœlestibus motibus aliquando declinet.

27 Illum vero Canonem a Rabbi Majmonide relatum apud veteres Judęos extitisse probant, non solum quę eleganter profert doctissima exercitatio Theologica Januarii de Simone Beneventani, Convictoris egregii in celebri Seminario Montisfalisci, edita Anno 1732. *num.* 19. & 20., sed etiam quę ipse Rabbi Majmonides subjungit dicens; *qui enim præcepit observare dies Festos, præcepit pariter inniti super illos de ipsa Domo Judicii, sicut scriptum est Levitico cap.* 23. *vers.* 2. — *Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas* — & *vers.* 4. — *Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis* — sic vulgata; Festus enim Hebraicus sic habet — *quas vocare debetis in statuto tempore suo*. Istud — *vocare* — si sententię contextum serio velimus perpendere, nihil aliud significare videbimus, quam certos dies proclamare, sive indicere, quæ juxta Dei pręceptum, ferię Domini sanctę esse deberent, nempe Phase, solemnitas Azymorum, & sic de cęteris Festivitatibus, quę leguntur eodem Levitici capite 23. *Vocare* — etenim in Levitico *cap.* 25. *vers.* 10. idem significat, ac proclamare sive indicere — ibi — *vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ* — nempe proclamabis, sive indices, fore illo Jubilęi Anno remissionem servitutum, debitorum, & bonorum, quę in alios transierunt, ut in hunc Levitici locum exponunt Oleaster, Cornelius a Lapide, & Menochius, concordante huic expositioni versione syriaca, & Arabica, ac Textu Hebræo — Samaritano. Per quos ergo ipsæ Feriæ convocandæ erant, nisi per eos de Domo Judicii? Israeli enim Populo non deerant, qui de hac re saltem consuli possent, quoniam nonnulli apud Hebræos erant, qui singula tempora pręnoscebant, uti legitur in libro primo Paralipomenon *cap.* 12. *vers.* 22. — ibi — *De Filiis Issacar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel* — ubi Sanctus Hieronymus sic ait — *ipsi enim erant Doctores computatores, & magistri, sive ad festivitates celebrandas, sive ad cætera*. Vocatis vero iisdem Feriis tantum abest, ut quisque non teneretur Festa observare, secundum illam diem, quin potius scriptum est in libro numerorum *cap.* 15. *vers.* 15. — *Unum præceptum erit, atque judicium, tam vobis, quam advenis terræ*.

28 Quod habetur ex prædictis, id ipsum suadet documentum Jesu Christi in Evangelio Lucæ *cap.* 14. *vers.* 5. Dominus enim noster, ne quis damno afficeretur morte Asini, aut Bovis, qui in puteum ceciderit, non dedignatur *loc. nuper cit.* probare servile opus Sabbati, licet in Levitico *cap.* 23. *vers.* 3. mandatum fuerit — *omne opus non facietis in eo* — ac etiam ne in eo coquantur cibi. *Exod. cap.* 16. *vers.* 22. & *seqq.* ac demum ne succendatur ignis *Exod. cap.* 35. *vers.* 3. Ergo nihili pendere debemus defectus Cycli, quam accuratissime ordinati, quos vitare ejus natura non patitur; quoniam necessitas, propter quam Dominus die Sabbati, licet prohibitum probavit servile opus, non minus urget, quin curentur prædicti defectus. Fidelibus enim omnibus, præsertim toto terrarum Orbe diffusis, nulla alia opportuna ratione, nisi Cycli civilis usu consuli posse vetustissimi Patres ante Ni-

cæni

cæni Ævum, ac Nicæni quoque Patres sapientissime tradiderunt, ut ipsi Fideles nullo subsint diffidendi periculo, atque in vinculo charitatis, & pacis, sicut in vinculo Fidei per unum Baptisma conjuncti sunt, perpetuo maneant in recolendo humanæ Redemptionis Mysterio, celebrantes nempe unanimiter Pascha, uti præcipiunt vetustissimi Sacri Canones — *uno, eodemque die, ac tempore* —. Eoque fortius prædictos defectus nihili pendere debemus, quia cum necessitas, ad tradita per Divum Thomam 1. 2. *Quæst.* 96. *art.* 6. non subdatur Legi, ab iis digredi non debemus, quæ concordiam inter Fideles, & pacem fovent, ad quam per Apostolum Paulum in Epistola ad Romanos *cap.* 14. *vers.* 19. ipse Deus hortatur nos dicens — *quæ pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus.*

29 Quanta igitur est differentia inter civilem Cyclum, quam accuratissime ordinatum, & civilem Cyclum, qui talis non sit! Errores enim, quos ille aliquando, sed raro involvit, sine culpa redduntur, uti patet ex dictis, ac etiam quia exaudivit Dominus vocem Ezæchiæ *lib.* 2. *Paralip. cap.* 30. *vers.* 20. licet Pascha ab ipso Ezechia celebratum fuerit non primo mense, ut præceperat ipse Deus *in Exod. cap.* 12. sed mense secundo propter necessitatem *eodem cap.* 30. expressam. Errores vero Cycli, quam accuratissime non ordinati, quippe qui per Cyclum quam accuratissime . . . ordinatum corrigi possunt, redduntur non sine culpa, & execrabiles.

30 Reddi enim — *execrabiles* — patet non solum, quia Legi divinæ adversantur, cujus observantiam quoad mensem, & diem mensis a decimo quinto ad vigesimum primum inclusis terminis, præcipiunt Traditio Apostolica, atque Apostolus Paulus, & Sacri Canones uniformiter ad ea, quæ regius Propheta vaticinatus est, uti constat ex dictis *Quæst. prima num.* 16. verum etiam, quia divina Scriptura in libro numerorum *pag.* 9. *vers.* 13. exterminationem clare pronuntiat, dicens — *Si quis autem, & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecerit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit* —. *Hæc* (sequuntur verba Pauli Middelburgensis Episcopi Forosempronienfis, qui initio suæ Paulinæ *pag.* 3. *t.* Judæos ita loquentes inducit) *etsi de veteri solemnitate Paschali dicta fateantur, de nova tamen, & nostra solemnitate figurative contendunt, eoquod Legis nostræ de Paschæ celebratione monumenta ex avita ipsorum Religione mutuati sumus, illa præcipue, quæ Agni Paschalis typo Dominicam Passionem, & Resurrectionem præfigurabant.*

31 Profecto — *incomprehensibilia sunt*, ut dixit Apostolus ad Romanos *cap.* 11. *vers.* 33. *judicia Dei* —; nihilominus ipse Paulus Middelburgensis *loc. cit. pag.* 4. gravissima mala advenisse enumerat, Paschate extra legitima tempora celebrato; nec levia quidem aliis temporibus contigerunt, præsertim, cum certior de hujusmodi erroribus facta fuit Ecclesia.

32 Reddi vero — *non sine culpa* —, clarum est, *primo*, quia ipsa errata Legis prædictæ violationem involvunt; ac tanto graviora censeri debent, quanto magis in contumeliam, & confusionem cedunt Religionis nostræ; *secundo*, quia in Synodali Epistola Cæsariensis Concilii auctoritate, & hortatu Sancti Victoris Papę primi Anno 198. celebrati

brati legitur apud Eusebium *in Hist. Eccles. lib. 5. cap. 25.* — ibi — *Date operam, ut Epistolæ nostræ exemplaria per omnes Ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui Animas a recto veritatis tramite facile abducunt.* Quomodo ergo ipsa errata sine culpa dici possunt, dum Cæsariensis Concilii Patres sibi magno obstricti crimine videbantur, si sua ipsorum incuria alii a legitimo Paschæ tempore dissiderent; *tertio*, quia Beatus Clemens Romanus in memorato libro de Constitutionibus Apostolicis *lib. 5. cap. 18.* sic docuit — *Oportet vos, Fratres, qui pretioso Christi Sanguine redempti estis, dies Paschæ accurate, & cum omni diligentia celebrare* —; *quarto* denique, quia Sanctus Leo Magnus, cum Martiani Augusti auctoritatem interposuerit, ut diligenter per Peritos inquireretur, quinam dies Dominicus legitime procederet pro recta celebratione Paschæ Anni 455. in Epistola 65. ad Pulcheriam Augustam duobus modis peccari posse docet in celebratione Paschæ *dissensione* scilicet, aut *transgressione*. Ipsius Epistolæ verba sunt hæc — *crebrius religiosissimo, & fidelissimo Principi dignare suggerere, ut indissimulanter jubeat Ægyptios admonere, ut in summæ Festivitatis die, aut dissensione aliqua, aut transgressione peccetur*, & post pauca sic legitur — *quia & ad ipsius* (nempe Imperatoris Martiani) *& ad omnium salutem pertinet, ut Dei cultus nullo errore lædatur* — Quam Doctrinam idem Sanctus Leo in Epistola 64. ad Martianum Augustum loquens de prædicto Paschæ die confirmat his verbis — *non leviter delinquitur, si in principio Sacramenti, veritas, & unitas non tenetur* —.

33 Adeo igitur verum est, sine culpa non esse errata Cycli quam accuratissime non ordinati, ut hæc non solum Legis transgressionem in die Paschæ involvant, sed dissensionem etiam inter Christi Fideles possint producere, & fovere schismata, quæ adhuc vigent, Quapropter prælaudatus Paulus Middelburgensis Leonem X. Pont. Max. ita allocutus est initio suæ Paulinæ *pag. 4. t.* — *Patrum nostrorum Decreta, & laudabilia statuta, imo omnipotentis Dei de Paschæ celebratione mandata observare præcipias, quandoquidem ipsorum abolitio non sine peccato transigi posse videtur, imo in Calcedonensi Concilio anathema declaratur, quinimmo & Deus ipse exterminium minatur animæ, quæ Pascha non fecerit tempore definito, continue enim in tenebris ambulat, qui Dominicæ Resurrectionis lucem ignorat, ut etiam beatus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana inquit . . . . . Conandum est igitur Beatissime Pater, ut Pascha Sanctum juxta Patrum Decreta celebretur* — ac demum ipse Paulus Middelburgensis *loc. cit. pag. 10. t.* in exhortatione ad Apostolicum Cœtum & Christianæ Reipublicæ senatum, sic ait — *Vos ergo Christianæ Reipublicæ moderatores, & testamenti Christi executores, quos Dei præceptum ad quartam decimam lunam primi mensis in Pascha observandam strictius obligavit ad correctionem Calendarii animum apponatis . . . . . . ut secundum legem viventes sanctorumque Patrum Decreta, & laudabilia statuta, imo Omnipotentis Dei de Paschæ celebratione mandata observantes, a perfidorum Judæorum convitiis, & contumeliis, dum vivimus, immunes esse possimus: & post mortem animam nulla scelerum contagione pollutam, sed Deo obedientem, omnique virtutum genere ornatam Creatori nostro Deo reddamus* —.

34 Si quæ protuli de erroribus Cycli, quam accuratissime non ordinati, referantur ad Epactas, quibus in præsens pro indictione Paschæ utimur,

mur, nonne ea fortius procedunt? Hæ namque Epactæ non solum dici nequeunt quam accuratissime ordinatæ, quemadmodum retenta etiam Liliana, nec non Gregoriana methodo evidenter patebit paulo infra *num.* 37. *& seq.* nec non Quæstione sexta *num.* 10. & Quæstione septima *num.* 2. *&* 10. sed menti etiam Gregorii XIII. summi Pont. apertissime adversantur, cum enim in ejus Bulla, quæ incipit — *Inter gravissimas* — legatur — *Curavimus . . . . . . decimam quartam Paschalem suo in loco, a quo quatuor, & eo amplius dies hoc tempore distat, reponendam* — ipsæ Epactæ hoc sæculo in propriam sedem non reponunt decimam quartam Paschalem, sed hanc signant tribus tantum diebus versus initium mensis retractam, uti planum faciam *num.* 48. *& seqq.* Quid amplius? Eædem Epactæ Anno 1700. usque in perpetuum, ne Gregorianæ quidem sunt, quemadmodum paulo infra evidenter patefaciam *num.* 39. usque ad numerum 47. ac demum silentio præteritis in celebratione Paschæ dissidiis post Gregorianam Correctionem obortis, nec sine Christiani Nominis dedecore adhuc vigentibus, imo adauctis, memoratisque Quæstione prima *num.* 36. adeo enormiter peccant, ut decimam quartam Paschalem exhibeant, quo precise modo Niceni Patres ipsam potuerunt constituere, & non constituerunt, uti evidenter constat ex superius dictis in hac quinta Quęstione *num.* 21. *& seqq.* usque adeo verum est, ut quę protuli de erroribus Cycli quam accuratissime non ordinati, fortius procedant contra Epactas, quibus utimur pro indictione Paschæ.

REGREDIMUR AD ANONYMUM.

35 Judicium, quod de Epactis Currentibus profertur ab Anonymo in §. *Qui ergo &c.* arguere non valeo, nisi Nicænos etiam Patres, & Sanctum Innocentium primum Papam errasse, quod absit, existimemus. Hic enim summus Pontifex decrevit, Pascha Anno 414. celebrandum esse, in quo die Dominico medium Plenilunium contigit tribus ferme horis ante meridiem, uti patet *Quæstione tertia num.* 29. *& seqq.* non autem differendum esse in quartam Lunæ hebdomadam. Nicæni vero Patres, quod præcise involvunt Currentes Epactæ, potuerunt efficere, & non fecerunt, uti evidenter patet in Laterculo superius exhibito *num.* 21.

36 Veruntamen tarditas radicis earumdem Epactarum non adeo vituperanda videtur, ut ex ea proprie proveniat germana causa, qua ipsæ Epactæ hoc labente sæculo tam enormiter peccant; tum quia quæ tarditas propter Epactarum radicem ponendam, ut exposui in Epitome *pag.* 143. Anno Domini 500. cum litera Tabulæ expansæ. P. quæ tarditas, inquam, contrahitur ab Epactis comparative ad Nicæni Ævum, compensatur, ut inferius patebit, pro quadam parte propter anticipationem Æquationis Annorum duodecim cum dimidio fere, quater contingentem ab Anno 500. usque ad Annum 1700. contingentem, inquam Anno 800. 1100. 1400. & 1700. tum quia locata, uti supra, Epactarum radice, sive Epocha Anno Domini 500. duo emergunt maxime considerabilia. *Primum* est, quod tria illa sæcula jam memorata Quæstione prima *num.* 52. in quibus Epactæ Currentes Pascha indicunt ultimo superioris Anni mense, mirabiliter corriguntur, una cum multis aliis

aliis Annis, in quibus idem Paschæ Festum ab Epactis Currentibus proclamatur in quarta hebdomada Lunæ, uti constat in Epitome *pag.* 144. *Alterum* est, quod rectius quacunque alia Epactarum Æquatione, secundum Lilianam methodum directa, Pascha indicitur, ut evidenter patet *Quæstione sexta*, & in Laterculo exhibito *Quæstione septima num.* 2.

37 Falluntur igitur nonnulli Recentiores affirmantes per Epactas Currentes — *quartam decimam Paschalem ita in sua sede collocatam esse, ut salva Liliana methodo rectius, & coherentius calculo astronomico non potuerit collocari* — Epactæ enim, quas ex radice Anni 500. juxta methodum Lilii *loc. cit.* eduxi, eædem omnino sunt, ac Epactæ Currentes, exceptis sex tantum sæculis, uti constat in Laterculo Anonymi *Quæstione nona*, quæ sunt post Annos 1700. 2000. 2300. 2600. 4200. & 4500. & in quibus currentes Epactæ, quæ Gregorianæ, vulgariter nuncupantur, adeo enormiter a recto declinant, ut illis sex sæculis connumerentur unum, & sexaginta peccata in quarta hebdomada Lunæ, & ulterius sexdecim peccata ultimi mensis, in tribus tantum ex illis sæculis, nempe post Annum 1700. 2300. & 4200. contingentia eo præcise modo, quo Nicæni Patres, uti supra, potuerunt efficere, & non fecerunt. Epactæ namque, quas producit Radix Anni 500. illis tantum sex sæculis sunt unitate majores, quam Epactæ currentes, ac propterea nullo adhibito ulteriori artificio corrigunt omnia illa peccata, tum de ultimo mense, tum de quarta hebdomada Lunæ. Verum quidem est, quod eædem Epactæ illis sex sæculis declinare simul nequeunt duodeviginti peccata ante Plenilunium, hoc tamen tolerari potius debet in Cyclo, quam illa peccata præsertim ultimi mensis, uti patet ex dictis initio hujus Quæstionis, ac etiam *num.* 16. & de facto tolerarunt Nicæni Patres in Cyclo decennovennali, uti constat ex dictis *num.* 10.

38 His ita expensis adnotare non pigeat, quod iidem Recentiores transferunt in Catalogum omnes Annos, quibus usus Epactæ IX. secundum Currentium Epactarum Æquationem recurrit ab Anno 1700. ad Annum Domini 5000. singulisque Annis collocant Plenilunia media Paschalia, indeque de reliquis omnibus Epactis idem judicium proferentes, inferunt, quod quartadecima Paschalis *ita in sua sede collocata est, ut rectius, & coherentius calculo astronomico non potuerit collocari*. At quæso animadvertatur an veritati respondeat quod ipsi recentiores ex hujusmodi Catalogo uti supra concludunt. Quibus sæculis [non enim omnibus sæculis eædem in usu sunt Epactæ] ab Anno 1700. usque per totum sæculum post Annum Domini 4700. quousque Anonymus exhibet discutiendas Epactas, ex radice Anni 500. per me uti supra in Epitome elicitas; quibus, inquam, sæculis prædicta Currentium Epactarum Æquatio exhibet usum Epactæ IX. exhibet etiam radix Æquationis posita in Epitome Anno 500. exceptis solum sæculis post Annum 1700. & 2300. & 4200. in quibus sæculis Epactæ Currentes Pascha indicunt ultimo mense, ac frequenter, uti dictum est, in quarta Lunæ hebdomada; & insuper in quibus tribus sæculis prædicta Epacta IX. semper errat, si tres tantum Anni excipiantur, scilicet Anuus 1719. 2311. & 4247. hisce enim tribus Annis pro synesis virtute *Gnome* adhibetur. Verum quidem est, quod in prædicto Catalogo apparet, quod ipsa Epacta IX. Paschalem quartamdecimam in Calendario exhibens die 4. Aprilis, recte procedat Anno 4266. at id vel Typographi

graphi error est, pro ut existimo, vel ipsi recentiores errarunt in calculo astronomico ponentes medium hujus Anni Plenilunium die 4. Aprilis, & hor, 21. futurum enim est die 3. Aprilis hor. 20. min. 58. & sec. 59. post meridiem, rotunde autem die 3. & hor. 21. quemadmodum Clavius *cap.* 22. idem Plenilunium signat die 3. & hor. 21. post meridiem. Quare si rectum est judicium, quod, uti supra, iidem Recentiores proferunt de cæteris omnibus Epactis, præ oculis habes, humanissime Lector, quodnam judicium de Currentibus omnibus Epactis illorum trium sæculorum proferre debeas; omnes enim Currentes Epactæ tribus illis sæculis, uti supra, semper errabunt. Ergo absolute falsa est illa eorumdem Recentiorum propositio, qua affirmant per Epactas Currentes -- *quartam decimam Paschalem ita in sua sede collocatam esse, ut salva Liliana methodo rectius, & coherentius calculo astronomico non potuerit collocari.*

39 Si vero germanam causam, qua Epactæ Currentes hoc labente sæculo tam enormiter peccant, perquirere velimus, hæc proprie -- *est regula, quam in æquandis Epactis in usum inveximus Anno* 1700. *longe diversa ab ea, quam Aloysius Lilius tradidit, expressam in Compendio novæ rationis apud Clavium in Explic. Calend. pag.* 9. *& quam Mathematici Gregoriani statuerunt, exhibueruntque Gregorio* XIII. *in libello propria eorumdem omnium Mathematicorum manu subcripto die* 14. *Septembris Anno* 1580. atque in lucem edito per clarissimos Viros Blanchinum *in solutione Problematis Paschalis*, & Quartaironium *in Responsionibus &c.* Verba enim Compendii novæ rationis hæc sunt -- Æquatio lunaris Anni cum solari *multiplex est*; *una, quæ* 300. *Annis debetur, ut diximus*; *altera, quæ bis millenis, & quadringenis: quoniam non exacte* 300. *illis Annis unus debetur dies*; 12. *enim Anni, & sex menses desiderantur, qui in* 2400. *Annis tertiam fere diei partem conficiunt, & in sequentem centesimum æquationem transferunt. Alia propter omissam intercalationem &c.* In allegato autem Mathematicorum Gregorianorum libello sub titulo eorum, quæ iidem Mathematici decreverunt, hæc verba leguntur -- ibi -- *Quoniam novilunia versus initia mensium in Annis* $312\frac{1}{2}$ *ferme regrediuntur una die*; *æquatio adhibenda est singulis* 300. *Annis. Ne autem negligantur illi residui Anni* $12\frac{1}{2}$, *qui in Annis* 2400. *tertiam fere diei partem conficiunt, tunc æquatio illa transferenda est in sequentem centesimum Annum, ita ut tunc in* 400. *Annis æquatio Lunæ adhibeatur, idque in quibuslibet.* 2400. *Annis semel tantum fiet*. Constat igitur evidenter, æquationem Lunæ octies ordinatam fuisse quibuslibet intervallis, sive Periodis Annorum 2500. nimirum singulis spatiis Annorum 300. prorogata æquatione in Annum quadringentesimum in fine solum illius periodi Annorum 2500. idque rectissime. Cum enim merito habita sit ratio illorum Annorum $12\frac{1}{2}$ fere, quos prævenimus quoties fit Lunæ æquatio singulis spatiis Annorum 300. isti Anni $12\frac{1}{2}$ summam centum Annorum, ac propterea tertiam diei partem ab Aloysio Lilio, atque a Mathematicis Gregorianis, uti supra, expressam, non prius constituunt, nisi in finem ejusdem Periodi. Locata

igitur

igitur (per modum hypothesis) Æquationis Epactarum Currentium Radice Anno Domini 550. certum est, quod juxta Aloysii Lilii sententiam, ac etiam juxta Mathematicorum Gregorianorum Decretum, prorogatio equationis in Annum quadringentesimum prius fieri non potest, quam adveniat Annus Domini 3000. circa quem habet finem prædicta prima Periodus Annorum 2500. idque evidentius, si ipsa Radix locata fuerit (ut rei veritas habet) Anno Domini 500. De hujus enim Radicis Anno nihil differitur in prædicto libello; sed eam in Annum 500. locatam fuisse ostendit usus literæ D. majusculæ ab Anno Correctionis usque ad Annum 1699. in Annum vero dumtaxat Centesimum locandam fuisse colligitur ex recitatis Gregorianorum verbis, qui præscribunt, quod ultima æquatio Periodi Annorum 2500. -- ibi -- *transferenda est in sequentem Centesimum Annum* -- nimirum ab Anno 2400. ad Annum 2500. Si igitur prædicta ultima æquatio transferenda erat in sequentem Centesimum, utique Radix æquationis non potuit esse affixa, nisi centesimo Anno 500.

40 Ad clariorem hujus rei explanationem notatur, quod Mathematici Gregoriani Lilianam æquandi Epactas methodum, uti constat ex dictis, illibatam servarunt, ac solum variarunt æquationis radicem. Lilius eamfixit Anno primo Æræ vulgaris, tum quia primam Lunæ æquationem, per quadringentorum Annorum intervallum faciendam, posuit ab Anno Domini 2100. ad Annum 2500. alteram vero similem edidit ab Anno 4600. ad Annum 5000. uti manifestat Liliana, si bene expendatur, Æquationis Epactarum Tabula, inserta in allegato Compendio novæ rationis apud Clavium *pag.* 10. tum quia nulli alteri Radicis Anno congruit prædicta prima Lunæ æquatio ab Anno 2100. ad Annum 2500. & quidem rem non aliter esse satis manifestant Literæ Tabulæ expansæ in eadem Æquationis Tabula appositæ, quæ omnes ex reali radice proficiscuntur, recto ordine juxta præallegatam Lilii regulam progredientes, descripto solum Anno 325. pro Anno 300. ad designandum Asterisci * concursum cum aureo numero tertio, quo insignitus erat Annus Nicæni Concilii 325. & consequenter ad ostendendum, quod Lilianæ Epactæ iisdem diebus mensis, ac aurei numeri in Calendario indicabant novilunia Paschalia Anno Nicæni Concilii. Mathematici vero Gregoriani ultra ea quæ nuper diximus, si credatur Tabulæ Æquationis Epactarum apud Clavium *cap.* 11. impressæ, atque prope initium Martyrologii Romani editæ, Radicem posuerunt Anno Domini 500. cum litera Tabulæ expansæ P. quoniam ex hoc Anno proficiscuntur Lunæ Æquationes per ter centum Annorum intervalla progredientes usque ad Annum 1400. & quæ Lunæ æquationes in ipsa Tabula Annum 500. præcedunt, affixa scilicet litera P. Anno Domini 320. ac litera N. Anno primo Æræ vulgaris, ex nulla radice eductæ sunt; sed ibidem ita accomodatæ videntur, ut radicis retardationem a Nicæni Ævo usque ad Annum 500. præstitutam fuisse ostendant. Si enim Æquationes Lunæ in antecedentia tempora protrahi velint usque ad Annum primum Æræ vulgaris, prout Radix Æquationis Anno 500. posita proprie exigit, utique affigenda fuisset saltem Anno Domini 200. litera N. Tabulæ expansæ; Anno autem primo Æræ vulgaris litera M. quæ recurrit eadem Annis saltem centum ante ipsam Æram. Quod me notasse sufficiat, ut quisque agnoscat, vere Gregorianas

fuisse

fuisse Epactas ab Anno Correctionis usque per totum præteritum sæculum adhibitas, hoc ipsum confirmantibus etiam Epactis Annorum 1583. 1584. & 1585. quas Hugolinus Martelli in suo libro in lucem edito Lugduni Anno Domini 1583. atque appellato — *La Chiave del Calendario Gregoriano* — in usu tunc fuisse affirmat *pag.* 345. 346. *&* 348. ac etiam agnoscat, hinc rem magni momenti designari posse, scilicet, Annum Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi congruere Anno quadragesimo primo Juliano, qui est Annus Urbis 749. sive clarius, est Annus quintus ante Æram vulgarem, Annum vero Passionis concurrere cum Anno 30. Æræ vulgaris; quod probabitur in Dissertatione post hanc Anonymi Quæstionem.

41 His adnotatis, atque cognito, quod juxta Lilii sententiam, Mathematicorumque Gregorianorum Decretum, Prorogatio Æquationis in Annum quadringentesimum prius fieri non potest, quam adveniat Annus Domini 3000? videamus quid usui demandavimus. Æquatio Lunæ in Tabula Æquationis apud Clavium in Explic. Calendarii *cap.* 11. *pag.* 134. editionis Romanæ, atque apud Martyrologium sic præcise adnotatur, post radicem Anni 500. Sic inquam præcise adnotatur, videlicet, Anno 800. 1100. 1400. 1800. &c. Et deinceps ipsa æquatio per singula 300. Annorum spatia progreditur usque ad Annum Domini 3900. postquam iterum disposita est per intervallum Annorum 400. translata Lunæ æquatione in Annum 4300. uti supra factum est ab Anno 1400. ad Annum 1800. & ita in perpetuum.

42 Regula igitur, quam in æquandis Epactis in usum inveximus, omittentes scilicet Lunæ æquationem Anno 1700. longe diversa est ab ea, quam Lilius præscripsit, & quam Mathematici Gregoriani exhibuerunt Gregorio XIII. Æquationem enim, quæ secundum prædictam regulam Gregorio exhibitam, fieri debet per intervallum Annorum 400. in fine Periodi Annorum 2500. nos usurpavimus circa medietatem hujus Periodi, scilicet ab Anno 1400. ad Annum 1800. prorogata nempe in Annum 1800. Lunæ æquatione, quæ fieri debebat Anno 1700. & hæc ipsa Lunæ æquatio per intervallum Annorum 400. quæ in quibuslibet 2500. Annis *semel tantum* fieri debet, duplex discernitur spatio Annorum 3800. quoti sunt ab Anno Domini 500. usque ad prędictum Annum 4300. Dum vero a sedibus, quas Mathematici Gregoriani pręstituerunt, dimoventur Lunę ęquationes, per intervallum Annorum 400. procedentes, dislocantur quoque æquationes, quæ uti supra, singulis spatiis Annorum 300. fieri debent; idque in perpetuum. Cur igitur miramur de tot enormissimis peccatis in celebratione Paschæ, si ab Anno 1700. usque in perpetuum, ne regulam quidem observamus, a Mathematicis Gregorianis præstitutam, sequimurque Gregoriani Systematis deturpationem?

43 Æquationem tamen, quam omisimus Anno 1700. Clavius, oblitus eorum quæ cum cęteris Mathematicis propria manu, uti supra, subscripserat, studet ideali ratione tueri, dicens in Explic. Calend. *cap.* 11. *num.* 8. *pag.* 130. — ibi — *Quoniam vero ab Anno* 1400. *usque ad Annum* 1700. *elapsi sunt Anni* 300. *indigeret tunc Luna æquatione, si verum esset, ipsam anticipare diem unum totum in* 300. *Annis; sed quia verius ipsa in Annis* 312. $\frac{1}{2}$ *unum diem anticipat, atque Anni illi* 12 $\frac{1}{2}$

quater omissi ab Anno 500. usque ad Annum 1700. (nimirum in Annis 800. 1100. 1400. 1700.) efficiunt Annos 50. antevertimusque Lunæ æquationem totidem Annis (debebamus enim æquare Lunam Anno 850. non autem Anno 800. propterea quod ab Anno 550. in quo Radix æquationis a nobis collocata est, usque ad Annum 850. interponuntur 300. Anni) qui cum prioribus 50. Annis conficiunt 100. Annos; non adhibenda erit æquatio Lunæ Anno 1700. sed in sequentem centesimum 1800. differenda —. Sed hęc Clavii verba quamvis insipientibus appareant vera, rem tamen ipsam omnino falsam esse hæc saltem tria iisdem Clavii verbis inclusa, clare manifestant. *Primum* est, quod Radicem Æquationis, quę uti vidimus *num.* 39. *& seq.* posita fuerat Anno 500. ipse Clavius deturpatorem Gregoriani Systematis sequutus, speculative affixit Anno 550. dicens — *in quo Radix Æquationis a nobis collocata est* —. Nullibi namque apparet, ipsam fuisse realiter locatam in alio Anno, nisi Anno centesimo, nempe Anno 500. *Alterum* est, quod ęquationis prorogatio, quę, ut legitur in decreto Correctionis Gregorianę, omnium subscriptione firmato — *transferenda est in sequentem centesimum Annum . . . . . in quibuslibet* 2400. *Annis semel tantum* —; fit ex allegatis Clavii verbis, fit [inquam] elapsis tantum Annis 1300. quoti sunt ab Anno 500. ad Annum 1800. *Tertium* est, quod prędicta ęquationis prorogatio non fit prout ex allegato Correctionis Decreto fieri debet ex conflata summa Annorum Centum de Annis illis $12\frac{1}{2}$, qui abundant singulis Lunę ęquationibus Annorum 300. sed fit ex conflata summa dumtaxat Annorum quinquaginta; ac propterea fit ex prędictis Annis $12\frac{1}{2}$ ita toties aggregatis, ut non — *tertiam fere diei partem* [uti legitur in allegato Correctionis Decreto] *conficiant* —, sed sextam fere diei partem. Alii namque Anni quinquaginta, quibus a Clavio conficitur prędicta summa Annorum 100. accipitur ex Radice, quam Clavius speculative affixit Anno 550.

44 Quid plura? Si omnes Mathematici Gregoriani pręter Clavium, qui cęteris fuit superstes, non obiissent, prout revera obierant longe ante, quam ipse Clavius ediderit suam Calendarii Explicationem; in ista hypothesi, si ipsi omnes deinde probassent, quę Clavius uti supra profert, nihilominus id non valuisset, nisi consulto exacte, ac pręcise de hac novitate summo Romano Pontifice; quod nec fieri potuit, quia jam objerant, nec alio modo factum est. Imo sine gravissimo errore ab iisdem fieri non potuisset, quia novitas ipsa pessimos producit effectus in reali Paschę Indictione supra numeratos *num.* 37.

45 Cuinam vero imputanda sit prędicta Gregoriani Systematis deturpatio propter quam tam enormiter erramus, utique ignoro, Quamvis Clavius, uti supra, affirmet, quod Anno 550. — *Radix Æquationis a nobis collocata sit* — nihilominus antequam ipse Clavius Explicationem Calendarii ediderit, Martyrologium Romę impressum Anno 1586. cum adnotationibus Baronii, insertam habet Æquationis tabulam, prout jacet apud Clavium *cap.* 11. & apud Martyrologium Venetiis recenter editum.

Ex quo tamen in prędicto antiquiori Martyrologio adscripta sit hujusmodi Æquationis Tabula, inferri nequit, quod ea imputari possit

Grego-

Gregorio XIII. tum quia Martyrologium Gregorianum primo fuit editum Anno 1584. tribus nempe Annis post Bullam Correctionis Gregorii, uti manifestat Decretum ejusdem summi Pontificis relatum initio prędicti Martyrologii, tum quia in ipso Decreto nulla fit mentio de prędicta Æquationis Tabula.

46 Enormissime ergo erramus non sequentes in ęquandis Epactis assensum Imperatoris, Regum, Principumque, ac Rerum publicarum Christianarum, atque celeberrimarum Academiarum Europę, neque sequentes regulam, quam in ęquandis Epactis Mathematici Gregoriani exhibuerunt Gregorio XIII. Pont. Max. & consequenter neque Gregorium ipsum sequentes; & nihilominus errorem sequi non erubescimus?

47 Fidenter igitur quidam Recentiores ponunt, quod Epactarum Æquationem, quę ad pręsens in usu est, *summus Pontifex sedis Apostolicæ auctoritate muniverit*; voluntas enim non fertur in incognitum, & insuper Clemens VIII. Pont. Max. ea dumtaxat probavit, quę solum spectant explicationem rationum Gregorii XIII. ut patet ex illius Bulla, quę incipit -- *Quæcunque* -- Magis fidenter affirmant, quod illam *Christiani Principes, & celeberrimæ Academiæ probaverint*. Compendium enim novę rationis, quod refert Clavius initio egregii sui Operis de Explic. Calen. ad eosdem Principes, & Academias missum, clare manifestat, quam Epactarum Æquationem probaverint, at profecto, non illam, quę per eumdem Clavium *cap.* 11. edita fuit, pręterito prorsus ulteriori earumdem Academiarum, & Principum judicio.

48 Miror sane, quod iidem Recentiores hęc proferant verba -- *Ipso Correctionis tempore novilunia in Calendario ultra quatriduum anteverterent aureorum numerorum Cyclum, cui Cyclus Epactarum ita subrogatus est, ut Neomeniæ Gregorianæ solo triduo præcedant antiquas sedes. Ergo unus diei error in quarta decima Paschali eligenda, & promovenda admissus est* -- A veritate enim prorsus alienum est, Aureis numeris Cyclum Epactarum ita subrogatum esse, ut Neomeniæ, a currentibus Epactis in Calendario indictę, solo triduo præcedant antiquas sedes, quoniam Gregorius XIII. in Bulla, quę incipit -- *Inter gravissimas* sic ait -- *Curavimus non solum Æquinoctium vernum in pristinam sedem, a qua jam a Concilio Nicæno decem circiter diebus recessit, restituendum, & decimam quartam Paschalem suo in loco, a quo quatuor, & eo amplius dies hoc tempore distat, reponendam, sed viam quoque tradendam, & rationem, qua cavetur, ut in posterum Æquinoctium, & decima quarta luna a propriis sedibus nunquam dimoveantur* --. Quatuor ergo, non tribus diebus versus initium mensis Gregorius retractas voluit Epactas. Qui ergo proprie hoc labente sęculo est error Cycli Currentium Epactarum, sive potius abusus est execrabilis de prędicta regula Mathematicorum Gregorianorum, imputari non debet Gregorio. Eoque magis miror, deductam fuisse prędictam consequentiam. Quonam enim tempore errorem admisit Catholica Ecclesia, quę, ut ait Apostolus Paulus in prima ad Timotheum *cap.* 3. *vers.* 15. *est -- columna, & firmamentum veritatis*? Si Cyclus Paschalis quandoque erret, Ecclesia hujusmodi errorem tolerat, non autem admittit, ut ex iis constat apertissime, quæ dicta sunt Quęstione tertia *num.* 60. ac etiam in hac quinta Quęstione *num.* 16. ac tolerat iis pręcipue rationibus, quas superius exhibui *num.* 26. & *seqq.* Quamobrem ex legitimis pręmissis id deduci debet,

bet, ut unius diei error in quarta decima Paſchali hoc ſeculo commiſſus ſit contra mentem Gregorii, non autem a Romana Eccleſia admiſſus; & cum ipſi Recentiores fateantur errorem, utique hic corrigi debet. *Quanta enim poſſumus cura* (ſunt verba Sancti Auguſtini *tom. 6. in Enchirid. num. 5.*) *error cavendus eſt non ſolum in majoribus; verum etiam in minoribus rebus*.

49 Tandem poſt magnam controverſiam, quæ tempore Clementis XI. ſum. Pont. gl. mem. viguit circa progreſſuum Lunæ doctrinam Annis centeſimis, editam a Clavio *cap.* 24. quam abſolute falſam evidentibus demonſtrationibus patefeci, uti legitur in Epitome *pag.* 115. *&* 222. & ex qua ortus eſt error ille ab Anonymo memoratus §. *Qui ergo &c.* circa Plenilunia ſæcularium Annorum communium, perpetuo ſolido die tardiora in magna Tabula Feſtorum mobilium apud eundem Clavium *cap.* 22. Poſt magnam, inquam, hanc controverſiam ipſi recentiores fatentur hunc Clavii errorem; At ea, quæ ſolertiſſime notat Anonymus §. *Qui ergo &c* verſu — *ſed neque in eo &c.* impugnare videntur dicentes — *Quia temporis progreſſu Plenilunia media præcedunt quintas decimas Cycli decennovennalis aptati Anno Juliano, ſubſequuntur quintas decimas ejuſdem Cycli aptati Anno Gregoriano, propterea ſolius tridui promotione, licet quatriduo, & eo amplius antiquas ſedes prævertterent, fuerunt ad ſedes debitas revocata* — Dico itaque, quod non quæritur, an Plenilunia media ad priſtinas ſedes revocata ſint; hoc enim perinde eſſet, ac quærere, an correctus ſit motus ſolis, reſtaurato horologio, qui haud recte horas indicabat; ſed quæritur, an Cyclares quartæ decimę Paſchales, hoc ſæculo per Epactas deſignatæ ſuo in loco revocatæ ſint, prout mandavit Gregorius XIII. verbis Bullæ nuper relatis. Quæſtio itaque conſiſtit in facto, ac propterea faciliter reſolvitur. Aureus numerus, exempli gratia, decimus in veteri Calendario ſignabat Paſchale novilunium die 14. Martii ſtylo veteri, qui dies in hoc ſæculo eſt dies 25. Martii ſtylo novo. Ipſe vero aureus numerus decimus in hoc ſæculo conſociat Epactam IX. quæ in Calendario ſignat Cyclare novilunium die 22. Martii. Hoc ergo novilunium ex prædicto die 25. Martii conſtat, ſolo triduo verſus initium menſis eſſe promotum. Sed idem Cyclare novilunium, ut ſuo in loco quartamdecimam Paſchalem revocaret, quatriduo promovendum erat, ſcilicet reponi debebat die 21. Martii, quoniam Gregorius XIII. diſerte, uti ſupra, expreſſit, *decimam quartam Paſchalem ſuo in loco, a quo quatuor, & amplius dies hoc tempore diſtat, reponendam* — Ergo ipſum novilunium ad ſedes debitas revocatum non fuit. Quare, cum ea, quæ de uno dicuntur, cæteris quoque noviluniis Cyclaribus, & conſequenter aliis Lunæ diebus conveniant, concludendum eſt, Cyclares quartas decimas Paſchales hoc labente ſæculo ad ſedes debitas revocatas non eſſe. Bene igitur Anonymus notat *loc. cit.* — ibi — *Neque in eo Gregorii ipſius mentem ſervatam fuiſſe*.

50 Non facile tamen apparet, quid ipſi recentiores intellexerint per illa verba — *Plenilunia media ſubſequuntur quintas decimas Cycli decennovennalis aptati Anno Gregoriano* — Si namque ita intelligendi ſint, ut ipſe Cyclus iiſdem diebus Anni Gregoriani affixos retineret aureos numeros, prout affixi erant in Anno Juliano, Reſpondeo, quod novilunia Cyclaria, neque triduo, neque quatriduo fuiſſent promovenda,

ſed

ſed ſeptem diebus poſtponenda verſus finem menſis. Cum enim undecim dies hucuſque ex Anno ſolari expuncti ſint, quæ media Plenilunia ante Correctionem quatuor diebus Cyclares quintas decimas anticipabant, poſt Correctionem Gregorij hoc labente ſæculo ſeptem diebus illas ſubſequuntur. Quare aureus numerus decimus ex die 14. Martii, cui ante Correctionem in veteri Calendario erat affixus, transferendus fuiſſet in diem 21. ejuſdem menſis, quemadmodum ex nuper dictis conſtat, quod Cyclare Novilunium in hunc diem 21. Martii reponendum erat, ut *ſuo in loco* quartam decimam Paſchalem revocaret. Error ergo tam manifeſtus, ac menti Gregorii XIII. oppoſitus, corrigi non debet?

51 Si vero propter illud adjunctum – *temporis progreſſu* – intelligendi ſint (prout exiſtimo) in hypotheſi, quod idem Cyclus decennovennalis aureos numeros haberet affixos illis diebus menſis Anni Gregoriani, quibus affigi deberent, ſecundum regulam Æquationis Gregorianæ, quemadmodum Clavius *cap.* 15. egregie exhibuit tringinta aureorum numerorum Calendaria, quota diverſis temporibus, juxta prædictæ Æquationis normam, fuiſſent neceſſaria, ſi prò Epactis a Lilio inventis retentus fuiſſet uſus aureorum numerorum; reſpondeo; verum eſſe, quod *temporis progreſſu* Plenilunia media ſubſequerentur quintas decimas Cycli decennovennalis aptati Anno Gregoriano. Compertum enim mihi eſt, quod Anno Domini 83000. Æquatio Currentium Epactarum apud Clavium *cap.* 11. exhibet literam c. minuſculam. Ipſo autem Anno 83000. recurrit in orbem aureus numerus 9. ut quiſque comprobare poteſt addita unitate Annis Domini, ac deinde partita ſumma per 19. quem aureum numerum 9. prædicta litera c. minuſcula prædictę equationis vult affixum diei 22. Martii, quemadmodum huic diei illum recte adſcripſit Clavius *cap.* 15. *pag.* 297. & de facto eidem diei 22. Martii in Calendario Gregoriano affixa eſt Epacta IX. quę in Tabula Epactarum expanſa apud Clavium *cap.* 11. in horizontali nempe linea literę c. minuſculę eſt ſub aureo numero 9. Anno igitur 83000. Gregoriano aureus numerus 9. exhibet novilunium Martii die 22. quintam decimam vero die quinta Aprilis; &, cum medium Plenilunium prędicti Anni futurum ſit ad meridianum Romanum Aprilis die 9. hor. 19. min. 21. & ſec. 33. poſt meridiem, nimirum quinto die poſt Cyclarem quintam decimam Gregorianam, dubitari nequit, *quod temporis progreſſu* plenilunia media ſubſequantur quintas decimas Cycli decennovennalis aptati *Anno Gregoriano*. Id ipſum magis perſpicuum eſſet, ſi remotiora tempora expenderemus, quoniam Quęſtione prima *num.* 54. adnotatum eſt, Æquationem Gregorianam hoc intolerabile abſurdum involvere, ut tractu temporis, in quo die illa deſignat cyclare Novilunium, contingat Cœleſte Plenilunium, ibique *num.* 55. germanam hujuſmodi abſurdi cauſam expoſui. Ex quo igitur talia, & tam gravia abſurda involvit Currentium Epactarum Æquatio, inferri poteſt, uti faciunt prędicti Recentiores, quod cyclaria Novilunia, quę quatuor diebus promovenda erant, ſolius tridui promotione, fuerint ad ſedes debitas revocata? Quis adeo rudis eſt, ut tam patentem errorem non agnoſcat? Eoque magis, quia non eſſet major ratio, cur ipſa Novilunia ad ſedes debitas revocata non fuiſſent ſolius bidui, vel unius tantum diei promotione.

Fatea-

52 Fateamur nihilominus veritatem. Circa quartarum decimarum Paschalium promotionem ad mentem Gregorii faciendam, allegatamque ab Anonymo §. *Qui ergo &c.* mea sententia hęc est, quod pręallegata verba Gregorii XIII. — *Curavimus . . . . decimam quartam Paschalem suo in loco, a quo quatuor, & eo amplius hoc tempore distat reponendam* — intelligenda sint in hoc sensu; quartam decimam scilicet Paschalem *reponendam esse suo in loco* — non in pristina sede, prout dicitur de Æquinoctio, sed *suo in loco*, nempe, quem exigit recta quartę decimę Paschalis positio, quam ipse summus Pontifex paulo superius in eadem Bulla *necessario requiri* docet; adeo ut ista verba — *a quo quatuor, & eo amplius dies hoc tempore distat* — apposita sint dumtaxat, ut designent, quemadmodum ipsa quoque verba declarant, statum quartæ decimæ Paschalis tempore emanatæ Bullæ, non autem, ut Paschales quartæ decimæ quatriduo absolute retraherentur.

At dices; si summus Pontifex profert, quartam decimam Paschalem tunc distare quatuor, & eo amplius dies a loco rectæ positionis ejusdem quartæ decimæ, ergo mens fuit summi Pontificis, ut illa quatuor diebus retraheretur. Respondeo, quod hujusmodi consequentia falso supposito laborat; supponit enim, quartam decimam Paschalem, quæ tunc quatuor, & eo amplius dies a loco suæ rectæ positionis distabat, *suo in loco* reponi non posse, nisi ipsa toto quatriduo retrahatur, quod falsum est. Hoc quidem primo intuitu videtur apertissimum paradoxum, sed re funditus expensa veritati consonum inveni.

Data enim Paschali quarta decima, quæ tempore Nicæni Concilii usu virtutis synesis procedat, ac dato etiam, quod tractu temporis ut habetur ex allegata Gregorii Bulla media Plenilunia præcesserint quatuor, & eo amplius diebus, ista Plenilunia advenient eodem diei quadrante post meridiem, & ante solis occasum. Quare si post hujusmodi præcessionem rectitudinem majorem Paschali quartæ decimæ impertiri velimus, hoc triduo tantum, & non quatriduo promovenda esset. Exemplum rem faciet clariorem. Anno 329. ut vidimus in Laterculo, quæstione secunda *num.* 14. Paschalis quarta decima fuit Martii die 30. medium Plenilunium contigit Marsii Die 31. 5. 4' 29" post m.
subtrahantur dies quatuor, & eo amplius Dies 4. 1. —— —— ——
Reliquum est —— —— —— —— —— —— —— Dies 27. 4. 4. 29.

Cum ergo Paschalis quartadecima usu virtutis Gnome rectius procedat, si signetur die 27. Martii, hujusmodi quartadecima sola tridui promotione retrahitur in locum suæ rectæ positionis.

Insuper currentibus hisce aureis numeris olim Embolismalibus tertio, octavo, undecimo, atque undevigesimo, dataque prædicta Pleniluniorum precessione, Lunatio, quæ olim fuit Paschalis, propter Anni Solaris Æquationem cessat esse Paschalis, & in ejus locum succedit proxime præcedens lunatio. Quare si adhibeatur quatriduana promotio, contingere potest, ut Paschalis quartadecima non reponatur in loco rectæ suæ positionis. Exemplum Anno 330. in præallegato Laterculo quarta decima Paschalis fuit die 18. Aprilis currente aureo num. octavo, mediumque Plenilunium advenit Apr. Die 19. 2. 37' 11" p. m.
subtrahantur dies quatuor, & amplius Dies 4. 1. —— —— ——

Reli-

Reliquum est — — — — — —	Dies 15. 1. 37. 11.
Quibus additis decem diebus a Gregorio expunctis ex Anno Solari — — —	Dies 10. — —
Plenilunium fuit Aprilis — — — —	Die 25. 1. 37. 11.
nempe Martii — — — — — —	Die 56. 1. 37. 11.
subtracto deinde mense synodico — —	Diebus 29.12.44. 3.
Proxime præcedens Paschale Plenilunium est Martii — — — — — —	Die 26. 12. 53. 8.

Facta itaque quatridui promotione, quartadecima Paschalis non reponeretur in loco rectæ suæ positionis, sed die 25. Martii. Aureus enim numerus octavus in Calendario veteri adscriptus est diei sextæ Martii, ac propterea quatriduo elevatus, signasset Neomeniam Paschalem die secunda Martii, quæ stylo novo tempore Gregorii XIII. fuit dies 12. ejusdem mensis, ac propterea quartadecima Paschalis non advenisset die 26. Martii, qui est locus suæ rectæ positionis, solius tridui promotione obtinendus, sed die 25. Martii.

Quid amplius? A Paschali mense rejceretur, qui proprie est primus mensis. Exemplum. Anno 344. in prædicto Laterculo apparet, medium Plenilunium contigisse Aprilis Die 13. 21. 38' 20" p. m. subtrahantur dies quatuor, & eo amplius Die 4. 1. —

Reliquum est — — — — —	Die 9. 20. 38. 20.
Quibus additis decem diebus a Gregorio expunctis ex Anno Solari — — —	Dies 10. — —
Plenilunium fuit Aprilis — — —	Die 19. 20. 38. 20.
nempe Martii — — — — —	Die 50. 20. 38. 20.
subtracto deinde Synodico mense diebus	Dieb. 29.12. 44. 3.
Proxime præcedens Plenilunium est Martii	Die 21. 7. 54. 17. p. m.

Facta itaque quatridui promotione, quartadecima Paschalis non reponeretur die 21. Martii, qui locus est suæ rectæ positionis, solius tridui promotione obtinendus, sed die 20. ejusdem mensis, ac propterea tanquam non Paschalis rejceretur. Anno namque 344. in usu fuit aureus numerus tertius, qui in Calendario veteri adscriptus est Kalendis Martii. Quare iste aureus numerus quatriduo promotus, Neomeniam signaret die 25. Februarii, qui dies stylo novo tempore Gregorii XIII. fuit dies septima Martii, ac propterea quartam decimam proderet die 20. Martii, pridie scilicet Æquinoctium.

Cum ergo per quatridui promotionem Paschalis quartadecima in suo loco rectæ positionis non reponatur, utique falsum est, quartam decimam Paschalem, quæ tempore emanatæ Bullæ Gregorii quatuor, & eo amplius dies a loco rectæ suæ positionis distabat, *suo in loco* reponi non posse, nisi ipsa quatuor diebus retrahatur, ac propterea falsum est, Gregorium mandasse, ut ipso toto quatriduo retraheretur.

Et quidem verisimile non est, Gregorium ipsum ignorasse Epactas suo tempore adhibendas, ac realiter adhibitas. Cum igitur ex Hugolino Martelli Episcopo Glanaticæ, qui suum opus edidit Anno 1583. jam allegatum *num.* 40. certo pateat, quod Anno 1583. in usu fuit Epacta

Epacta VII. Anno 1584. Epacta XVIII. & Anno 1585. Epacta XXIX. & cum hæ Epactæ tribus tantum diebus versus initium mensis promotæ deprehendantur in Calendario Gregoriano (Anno enim 1583. currebat aureus numerus 7. qui in veteri Calendario affixus est diei 17. Martii stylo veteri, Anno 1584. aureus numerus 8. qui in veteri Calendario adscriptus est diei sextæ Martii stylo veteri, Anno 1585. aureus numerus 9. qui in eodem Calendario consociat diem 25. Martii semper stylo veteri) consequens est, quod ipse Gregorius non ignoraverit, Epactas sui temporis triduo tantum esse promotas mensis initium versus. Quapropter absolute dicendum est, triduanam hanc Epactarum promotionem allegatis Bullæ verbis fuisse uniformem, quoniam hac triduana promotione quartadecima Paschalis (quantum Liliana æquandi Epactas methodus patiebatur) reponebatur in loco rectæ suæ positionis. Instructo enim per me serio examine invenio, quod si addititæ tunc fuissent Epactæ unitate majores, quales fuissent Epactæ ex mera Aloysii Lilii æquatione elicitę, tunc pręseferentes quatridui promotionem, Pascha usque per totum proxime pręteritum sęculum fuisset apertissime celebratum secundo mense, currente scilicet aureo numero tertio, ac etiam non raro die ante Plenilunium. Pręedicta confirmantur ex eo, quod labente hoc, & in futuro sęculo post Annum 1800. Æquatio Epactarum, non prout ad pręsens usurpatur, sed juxta regulam Mathematicorum Gregorianorum directa, ac superius exposita *num.* 39. producit Epactas, pręedictam quatridui promotionem præseferentes, simulque Paschalem quartamdecimam (quantum prædicta æquandi Epactas methodus patitur) reponentes in loco suæ rectæ positionis. Anno enim 1700. exhibet Epactam X. non autem Epactam IX. currente aureo numero 10. qui in veteri Calendario affixus est diei 14. Martii stylo veteri; Anno autem 1800. exhibet Epactam IV. currente aureo numero 15. qui in eodem veteri Calendario adscriptus est diei 19. Martii, similiter stylo veteri.

53 Hinc patet ratio, cur Epactæ, quæ hoc sæculo in usu sunt, arguuntur, tanquam contrariæ menti Gregorii XIII. licet triduo tantum promotæ versus initium mensis appareant, uti erant Epactæ sæculi proxime præteriti. Epactæ enim sæculi jam pręteriti, licet triduo promotę, tamen uniformes erant, ut dictum est, verbis Bullę Gregorii superius expositis, simulque pręstitutę erant a Mathematicis Gregorianis. E contra vero Epactę labentis sęculi, quippe quę contra expressa ejusdem Bullę verba quartam decimam Paschalem in loco suę rectę positionis adeo non reponunt, ut illud etiam exhibeant, quod Nicęni Patres, uti supra *num.* 21. *& seqq.* efficere potuerunt, & non fecerunt, aperte sunt contrarię verbis Bullę ejusdem Gregorii; & insuper emanant ex deturpato uti supra & corrupto Gregorii systemate, non autem ex ęquatione per Mathematicos Gregorianos, & consequenter per Gregorium ipsum, ut dictum est *num.* 39. *& seq.* præstituta. Quapropter Epactæ, quas in usum habemus, absolute emendandæ sunt.

54 Quamvis Epactæ, quas hoc sæculo adhibemus, emendandæ sint, non inde sequitur, quod usui committi debeant Epactæ, quæ prodeunt ex Radice per Aloysium Lilium, hujus methodi auctorem, posita. Quamobrem, ut rectum de hoc feratur judicium, serio expendendum est, quid emergat ex radice Epactarum Liliana, atque ex radice apud

Epito-

Epitomen posita Anno 500. quam postea detexi vere fuisse a Gregorio XIII. præstitutam. Tunc enim manifestum erit, an bene procedat illatio, qua apud Anonymum in §. *Ex his &c.* consulitur, ut abrogatis Epactis Currentibus ex radice Anni 550. procedentibus, usu recipiantur Epactæ ex radice Liliana.

55 Ad hoc examen vocandæ sunt etiam Epactæ illius viri doctissimi, qui [quando hæc disputatio re non omnino integra instituitur] mediam quamdam ineundam esse rationem opinatur, ac propterea elegantissime radicem ponit, ut notat Anonymus §. *Sic quidem &c.* Anno juxta vulgarem Christi Epocham 400. existimans, ut hoc pacto solemnitati Paschæ saltem ad Annum 5000. satis consultum sit. Sed hic Vir clarissimus non dubito, quin sit approbaturus æqualitatem (uti ratio postulat) in æstimandis Cyclorum erroribus servandam esse, ac propterea eæ ipsæ leges, quibus, quasi Cyclorum criteriis Currentes Epactæ expenduntur. adhibendæ sunt etiam in expendendis Epactis procedentibus tum ex radice Anni 400. tum ex radice Anni 500. quam elucubratus sum in Epitome *pag.* 143. superius notatam *num.* 36. *& seq.* nec non ab Anonymo memoratam quæstione sexta, tum denique ex Liliana radice, ac etiam ex quocunque alio Cyclo. Hoc enim servandum esse ratio ipsa suadet, atque egregiè declararunt, qui ad Gregorianam Correctionem delecti fuerunt, uti constat ex ipsorum Libello superius allegato.

56 Ob oculos hic non ponam hujus perdifficilis examinis summam, quam infra exhibebo in Laterculo Quæstione septima. Notabo solum, quod ex hoc Laterculo clare constat, quod ab Anno 1700. usque per totum sæculum post Aunum 4700. Epactæ productæ, ex radice Anni 500. licet tantam rectitudinem in indictione Paschæ non retineant, quantam perpetuo præseferut Epactæ Cycli aureæ Columnæ Annorum triginta octo; longe tamen rectius indicunt Pascha, quam Epactæ ex radice Liliana, & ex Currentium Epactarum radice, ac etiam ex radice Anni 400. ac denique ex quolibet alio etiam meo Cyclo.

57 Si igitur in emendandis Epactis Currentibus retineri velit methodus, quæ ad præsens servatur, ab Aloysio Lilio tradita, Radix Epactarum constitui debet Anno Domini 500. ut servata ipsa Liliana methodo, Pascha quam accuratissimè indicatur ter mille Annis ab hinc futuris.

Neque difficilius res protinus confecta foret, quam si radix Epactarum constitueretur Anno 400. vel quovis alio Anno. Imo res ipsa confecta foret, juxta regulam, quam Mathematici Gregoriani exhibuerunt Gregorio XIII. uti supra expositum est *num.* 39. *& seqq* Itaque.

58 AD PRIMAM PARTEM QUINTÆ QUÆSTIONIS respondetur -- *Cyclum Paschalem ad medios Lunæ motus ita aptandum esse, ut quam maxime potest, recte designet lunam decimam quartam Paschalem, ex sensu Catholicæ Ecclesiæ acceptam* --. Ad rectam enim Paschę celebrationem, juxta veterum summorum Pontificum, Conciliorumque, & Patrum sanctiones, *necessario* requiritur, quemadmodum legitur in Bulla Gregorii XIII. Sum. Pont. quę incipit -- *Inter gravissimas -- necessario*, inquam, requiritur -- *recta positio decimæ quartæ Lunæ primi mensis, quæ, vel in ipsum Æquinoctii diem incidit, vel ei proxime succedit.*

59 Quo autem ad SECUNDAM PARTEM EJUSDEM QUINTÆ QUÆ-

QUÆSTIONIS, respondetur, quod — *Cycli Paschalis errata quælibet proprio discrimine habenda sunt, atque erratum præ alio peculiari quodam studio est præcavendum, prout initio hujus Quæstionis explicatum est, nec non designant Paschales regulæ, quæ quasi quædam Cyclorum criteria eodem, quo supra dispositæ sunt ordine, servari debent in Cyclorum ordinatione, aut examine.*

COROLLARIUM PRIMUM.

60 Eruditissime notat Anonymus, quod — *hæ quidem Quæstiones ad Paschales regulas, & quædam quasi Cyclorum criteria in universum constituenda spectant* —; Id tamen intelligi debet, constituta prius certa Æquinoctii verni sede, quemadmodum in hisce terminis ipse Anonymus locutus est: quoniam ex præcitata Bulla Gregorii XIII. habetur, quod inter Paschales regulas prima est *certa sedes* Æquinoctii verni, qua sit notus dies, in quo, juxta Ecclesiæ sensum, finem habet hybernum tempus, & verna incipit immutatio; cujus initium jam præcessisse necesse est initio diei Paschæ, prout explicatum est Quæstione quarta in Corollario *num.* 31. *& seqq.* atque in Dissertatione post ipsam *num.* 21. *& seq.* An vero prædicta Æquinoctii verni sedes recte constituta sit, Anonymus silentio præterit; hæc enim quæstio emendationem Epactarum labentis sæculi revera non moratur, sed spectat solum futura sæcula, quæ consequuntur Annos centesimos, per numerum quaternarium divisibiles, quales sunt Anni 2000. 2400. &c. Quamobrem cum ipse Anonymus de hujusmodi Quæstione mentionem non faciat, nec ego de ipsa quidquam loquar, cum non pauca circa eandem ediderim in Epitome *pag.* 186. *& seqq.* & in secunda Appendice *pag.* 193. *& seqq.* ea confirmans, quæ in fine ejusdem Appendicis protuli *pag.* 209.

61 Liceat nihilominus adnotare, quod ibidem patet, Æquationem Solis Gregorianam, qua primo expuncti fuerunt decem dies ex Anno 1582. (quæ dies enim tunc vocabatur quinta Octobris, appellata fuit decima quinta ejusdem mensis) recte procedere tum per Periodos Annorum 400. tum per expunctionem trium Bissextilium, Annis tantum centesimis faciendam in unaquaque Periodo Annorum 400. at erratum tunc fuisse in locanda Epocha ejusdem Periodi, scilicet in locanda Epocha illius Anni centesimi, qui singulis quibusque Periodis retinendus sit Bissextilis. Hæc enim centesimorum Bissextilium Epocha per Mathematicos Gregorianos constituta fuit Anno 1600. quapropter hic Annus factus fuit Bissextilis, expuncta intercalatione ex centesimis Annis 1700. 1800. & 1900., & sic de cæteris quibusque Periodis Annorum 400. Verumtamen prædicta Epocha locari debebat in centesimo Anno 1700. & consequenter hic Annus fieri debebat Bissextilis, licet factus sit communis, unde vere, & realiter compensatus est ille Bissextus jam insertus in centesimo Anno 1600, Hinc est, quod communes fieri debebant centesimi Anni 1800. 1900, & 2000. & sic de cæteris quibusque Periodis Annorum 400.

62 Ideo controversiæ hujus summam retuli, quia nonnulli Recentiores sese jactant — *Æquationem solis Gregorianam ab erroris suspicione liberare* —. Ipsi tamen non animadvertunt gravem erroris suspicionem, quam simul ostendunt propria confessione. Fatentur enim, quod *Mathe-*

Mathematici Gregoriani Prutenicis Tabulis Æquinoctium vernum Anni 1600. inquirentes, duodecim circiter horis tardius illud supputarunt, quam re ipsa in Cœlis *contingeret*. Ex hujusmodi errore præcipue oritur controversiæ fundamentum. Quoniam si illud Æquinoctium, prout ipsimet Mathematici supputarunt, contigisset in civili die 21. Martii, nemo Gregorianam solis Æquationem arguere posset, sed cum error ille irrepserit, verum enim Æquinoctium Anni 1600. ad meridianum Romanum contigit Martii die 19. hor. 20. min. 48. & sec. 27. post meridiem, hinc fit, ut sine errore dici nequeat ipsa Gregoriana solis Æquatio. Ille enim error efficit, ut primo quolibet sæculo Gregorianæ Periodi Annorum 400. exempli gratia, post centesimum Annum 1600. 2000. 2400. &c. Æquinoctium medium ex Gregoriana Anni tropici magnitudine diebus 365. hor. 3. min. 49. & sec. 12. atque ex vera, & reali radice, veluti ex Æquinoctio vero Anni 1600. uti expouitur in allegata Dissertatione *num.* 5. elicitum, sexdecim tantum Annis contingat die 21. Martii, cæteris vero Annis ejusdem sæculi contingat die 19. & die 20. Martii, quater scilicet in civili die 19. Martii, & octogesies in civili die 20. ejusdem mensis; idque intelligitur ad meridianum Romanum.

63 Merito igitur arguitur erroris Gregoriana solis Æquatio. Variata enim Epocha ejusdem Periodi, ut dictum est, quæ sæcula ad præsens prima sunt in ipsa Periodo Annorum 400. illico evadunt ultima ejusdem Periodi; & non sexdecim tantum, sed octoginta Anni prædictum Æquinoctium medium retinent in civili die 21. Martii; adeo ut ipsum Æquinoctium sibi vindicet medium locum die 21. ejusdem mensis; & licet hinc, inde aliquando transcurrat, quater scilicet in diem 20. & sexdecies in diem 22. Martii, efficit tamen, ut civilis dies 21. Martii semper retineat saltem Physicum Æquinoctium, rigorose acceptum mediante solo totius solaris corporis transitu per Æquatoris circulum. Variata igitur, uti supra, Epocha, quod nulla ulteriori dierum expunctione ex Anno solari, sed solis verbis summi Romani Pontificis fieri deberet, ex quatuor sæculis tria præcise persistunt, uti ad præsens, scilicet sæcula post Annum 1700. 1800. & 1900. ac cætera quæque futura hisce tribus sæculis correspectiva in prædicta Periodo Annorum 400. unicum vero sæculum post Annum 1600. & cætera futura huic correspectiva sæcula, in quibus prædictus error commissus est, corrigerentur, scilicet sæcula post Annum 1600. 2000. 2400. & 2800.&c.

64 Quod si velimus totam etiam hanc Periodum Annorum 400. expendere, utique deprehendemus, quod in unaquaque Periodo, medium Æquinoctium, uti supra elicitum, contingit ad meridianum Romanum.

juxta Gregorianam Annorum centesimorum --
-- Bissextilium Epocham

Die 19. Martii -- Annis	4
Die 20. Martii -- Annis	198
Die 21. Martii -- Annis	194
Die 22. Martii -- Annis	4

Quidquid circa hanc computi summam emergere possit propter nonnulla minuta prima, quæ in determinanda prædicta reali radice, sive clarius in determinando præcise tempore veri Æquinoctii Anni

 1600.

1600. non sunt omnino certa; hæc enim varietatem curandam in exhibita Computi summa producere nequeunt.

65 Iidem tamen Recentiores nullo modo affirmare poterant, quod ex 400. *Annis* 200. *tantummodo Æquinoctia ad* 21. *Martii pertinerent, cætera hunc limitem anteverterent*; quoniam utraque propositio falsa est; etiamsi sequi vellemus eorumdem recentiorum supputationes. Quibusdam enim Annis tertiis post Bissextum sub initium quarti sæculi Periodi Gregorianæ, Æquinoctia contingunt in civili die 22. Martii, ea vero, quæ futura sunt in civili die 21. non ascendunt ad summam 200.

66 At variata, uti supra, Gregoriana Centesimorum Bissextilium Epocha, atque hac locata in Centesimo Anno, qui primus sit post centesimos Annos per numerum quaternarium divisibiles, exempli gratia, Annis 1700. 2100. 2500. &c. quemadmodum ipsi Anni primi post numerum quaternarium divisibiles, exemp. grat. 53. 57. 61. 65. &c. erant Bissextiles Annis Julianis, Annis ab Urbe condita, atque Annis numeratis a proprio Anno Incarnationis, ut patebit, profecto ipsum Æquinoctium in unaquaque Periodo Annorum 400. contingit ad meridianum Romanum.

Die 20. Martii — Annis 122
Die 21. Martii — Annis 258
Die 22. Martii — Annis 20

67 Tantum igitur abest, ut Gregoriana solis Æquatio ab erroris suspicione liberetur, ut potius evidens sit ipsius error.

COROLLARIUM SECUNDUM.

68 Diximus *num.* 40. Radicem Æquationis Epactarum positam Anno 500. sua natura, nimirum inspecta dumtaxat æquationis ratione circa tempora ante prædictam radicem exigere, ut litera M. Tabulæ expansæ affigenda sit Anno primo Æræ vulgaris, eademque litera M. inservire debeat etiam Annis saltem centum ante ipsam Æram vulgarem. Diximus insuper, hinc designari posse, Annum Incarnationis Domini nostri Jesu Christi congruere Anno quadragesimo primo Julii Cæsaris, qui est Annus urbis 749. sive clarius est Annus quintus ante Æram vulgarem, Annum vero Passionis concurrere cum Anno 30. Æræ vulgaris. At cum id sine ulla probatione protulerim, existimavi hoc ipsum, ut *loc.* nuper *cit.* promiseram, ostendere in seqnenti Dissertatione, relicta aliis cura id ipsum fusius discutiendi, si hisce gravissimis Calendarii laboribus aliquando expeditus, id efficere non valerem.

DISSER-

DISSERTATIO

DE ANNO INCARNATIONIS, ET PASSIONIS DOMINI, AC DE VETERI CYCLO JUDEORUM.

1 Litera M. Tabulæ expansæ, Anno quinto ante vulgarem Christi Æram, qui concurrit cum aureo numero 16. exhibet Epactam XXI. Hæc vero Epacta Paschalem quartamdecimam tunc signat die 23. Martii, die scilicet Jovis, ac die Æquinoctii verni, ut instructo illius Anni proleptice accepti computo deprehendi ex observationibus tam Hipparchi, quam Ptolemæi, nec non ex Tabulis Philippi de La Hire; quintam decimam vero, sive solemnitatem Azymorum ostendit Martii die 24. ac die veneris, seu feria sexta; currebat enim litera Dominicalis B. A. Si quæramus, an prædicta Paschalis quartadecima Cœlo congrueret; utique dubitari nequit; quoniam verum Plenilunium, ex allegatis Hireclianis Tabulis a me supputatum, contigit ad meridianum Hierosolymitanum Martii die 23. hor. 7. cum tribus horæ quadrantibus fere post meridiem; ac propterea ipsa quartadecima signabat diem ante Plenilunium; quintadecima vero diem ipsum Plenilunii, quemadmodum longe ante ipsum tempus Aristobulus, de tempore Christi Philo, & paulo post Josephus, omnes celebres Hebræi per me relati in Epitome *pag.* 41. *& seq.* id apud Hebræos in observantia fuisse tradunt, & sacra scriptura docet in libro Ecclesiastici *cap.* 43. *vers.* 7. -- ibi -- *a Luna signum diei Festi* -- supple -- *accipitur*, ut exponit Nicolaus de Lyra apud Glossiam ordinariam; ea enim quæ dicta sunt Quæstione tertia *num.* 68. manifestant *diem Festum* per Antonomasiam designare solemnitatem Azymorum, sive lunam decimam quintam primi mensis; quia Lunam ita quintamdecimam, sive Plenilunii diem patefacit, ut ne Rustici quidem eam ignorent.

2 Ex hisce ergo illa confirmatur Traditio, qua docemur, quod Filius Dei, in qua die pro nobis, ut Homo, passus est, de Spiritu Sancto incarnatus est in utero Mariæ semper Virginis, die scilicet quintadecima Lunæ primi mensis, ac die veneris, seu feria sexta; idque veritati consonum est tempore tum proleptico, ut dictum est, tum vero. Quia etsi æterni verbi Incarnatio contigerit tempore, quo Octavianus Augustus uti Pont. Max. Julianam Annorum Bisextilium formam, incuria Pontificum luxatam, restituendam decreverat, nihilominus tempus verum tunc variabat quidem usum Literæ Dominicalis, nomenclaturamque dierum mensium Anni Romani; sed non variabat diem hebdomadæ, seu feriam, in qua tunc contigit astronomicum Plenilunium, & Æquinoctium ac etiam Neomenia mensis Nisan; & consequenter non variabat in hebdomada præcisum diem Paschæ Judeorum, eoque fortius, quia Hebræi Julianum Annum non usurpabant. In prædicto igitur sensu, nimirum de die Veneris, nec non de die quintodecimo primi mensis, ac de die solemnitatis Azymorum intelligendi sunt, qui affirmant, Christum Dominum, qua incarnatus est die, passum esse; non autem intelligendi sunt Christum passum esse eodem die vigesimo quinto mensis Martii; & qui hoc dixerunt, æquivoco certe laborarunt, pro die veneris, ac pro die solemnitatis Azymorum, in-

quo Christus incarnatus, & passus est accipientes diem, quo Incarnationis Festum celebramus, vel pro die 25. Mensis Pharmuthi, in quo a quibusdam veteribus Crucifixio Christi obsignatur, accipientes diem 25. Martii, converso scilicet per æquivocum Pharmutho mense Ægyptiaco in Romanum Martium. Passio enim Christi die 25. Martii in nullo Anno verificari potest, etiamsi per modum Hypothesis Christus ipse inter nos versatus esset, sexaginta & amplius Annis.

3 Sapientissime tamen dies 25. Martii pro die 24. dictus est, & retinetur Incarnationis dies, quoniam cum Dei perfecta sint opera, credibile est, Filium Dei naturam humanam assumpsisse etiam in eadem hora, qua, ut Homo, in Cruce pro nobis mortuus est; ac propterea congruebat, ut civilis dies 24. Martii, qui, ut legitur in Levitico *cap.* 23. *vers.* 32. desinebat ad vesperam, utpote ultra tres diei civilis quadrantes elapsus haberetur perinde, ac totus elapsus fuerit, & dies proxime succedens diceretur, atque retineretur Incarnationis dies; tum quia Incarnationis Festum, uti docet Sanctus Augustinus Epistola 55. est mere commemorativum ad differentiam diei Paschæ, quod sub magnis Mysteriis, sacramentisque celebratur; tum quia ad hodiernam diem aliquomodo pertinere potest in ritibus sacris nomenclatura diei proxime antecedentis, quemadmodum clarum est exemplum in Exodo *cap.* 12. *vers.* 18. Et si enim Azymorum comestio septem tantum diebus præcepta fuerit, a die nimirum decimo quinto primi mensis usque ad diem vigesimum primum inclusis terminis, ut alibi dictum est; nihilominus initium primi diei Azymorum, nempe diei quinti decimi appellatur in Exodo *loc. cit.* dies quartus decimus -- ibi -- *Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis Azyma*; tum etiam quia Sancti Evangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas, quæ die hodierna contigerunt, obsignarunt nomenclatura diei sequentis, dicentes, quod Jesus de parando Paschate interrogatus fuerit -- ibi -- *Primo die Azymorum* --; tum denique quia hujusmodi Festum diei 25. Martii affixum, Ecclesiastico more, nimirum quoad Divinum officium, incipit a die præcedente.

4 Consequens ex dictis est, quod Jesus Christus natus sit prope finem Romani Anni quinti ante Æram vulgarem, die scilicet 25. Decembris, prout Ecclesia solemnem facit Nativitatis diem.

5 Anno denique 30. Æræ vulgaris, quo labente recurrit aureus numerus 12. Christum passum esse manifestat Epacta VII. quam producit prædicta litera M. Tabulæ expansæ. Hæc enim Epacta quartam decimam Paschalem exhibet die sexta Aprilis, ac die Jovis, seu feria quinta; quintam decimam vero, sive clarius, solemnitatem Azymorum signat die septima ejusdem mensis, ac die veneris, seu feria sexta; currebat enim litera Dominicas A. idque uniformiter Cœlorum motibus. Quoniam Paschalis quartadecima pridie ante Plenilunium, quinta decima vero, sive solemnitas Azymorum, juxta allegatas Auctoritates, contingit ipso die Plenilunii. Verum enim Plenilunium ex prædictis Hirectianis Tabulis a me supputatum tunc contingit ad Meridianum Hierosolymitanum Aprilis die 6. hor. 9. & tribus horæ quadrantibus fere post meridiem.

6 Christi igitur ætas, quæ traditur Annorum triginta trium completorum, & quorumdam mensium a Nativitate Domini ad ipsius Passionem,

sionem, veritati consona deprehenditur. Hic vero Passionis Christi Annus conciliatur cum verbis Evangelistæ Lucæ *cap.* 3. *vers.* 1. dicentis *Anno autem quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris .... factum est Verbum Domini super Joannem* — conciliatur, inquam, si res accurate perspecta habeatur, relative ad civiles Annos Judaicos, & præcipue ad Judæorum Canonem a Vossio, & aliis relatum, quo etiam dies unus in fine Anni, pro Anno computatur. Hac enim ratione egregie concordat decimus quintus Annus, non solum Imperii Proconsularis Tiberii, sed Imperii etiam Augusti ejusdem Tiberii. Annus enim primus hujus Imperii in Romano Anno incipit mense Augusto Anni 14. vulgaris Æræ Christi, Annus secundus juxta prædictum Judæorum Canonem, incipit in Neomenia tunc proxima mensis Tisri, sive clarius, in Autumno Anni prædictæ Æræ 14. adeo ut in Autumno Anni 27. ejusdem Æræ, juxta prædictum Canonem, incœperit Annus decimus quintus Imperii Augustei Tiberii.

7 Denique ipse Passionis Christi Annus conciliatur etiam cum duobus Geminis Coss. sub quorum Consulatu multi veteres Scriptores, passum esse Christum affirmant, conciliatur, inquam, attenta forma Anni civilis Judaici, qui teste Josepho *lib.* 1. *Antiq. Judaic. cap.* 4. tunc incipiebat, uti ad præsens, apud Judæos, a neomenia mensis Tisri, quæ regulariter in nostrum septembrem incidit. Duo namque Consulum Collegia idem Annus Judaicus amplectitur, alterum scilicet a Neomenia Tisri usque per totum Romanum mensem Decembrem, alterum a Kalendis Januariis usque ad finem Anni Judaici. Quamobrem idem Annus Judaicus, in quo passus est Christus, æque bene designatur tam per duos Geminos Coss. quam per Vinicium, & Longinum, qui Consules duobus Geminis immediate successerunt.

8 Quamvis prædicta sufficiant circa conciliationem Consulum a scriptoribus allegatorum, nihilominus nota dignum est, quod expendens Cyclum Sancti Hippolyti Martyris relatum a Blanchino *de Cyclo Sancti Hippolyti pag.* 92. deprehendi ex eo resultare, quod Sanctus Hippolytus Annum civilem Judaicum, in quo Christus passus est, adscripsit illi Romano Æræ vulgaris Christi Anno, qui initium ipsius Anni Judaici amplectebatur, obsignans tamen diem Passionis Christi cum characterismo feriæ Anni Romani proxime sequentis. Sanctus enim Martyr Passionem Christi affigit Anno ultimo secundæ Heccædecaeteridos sui Cycli, qui Annus concurrit cum Anno 29. Æræ vulgaris; at ipsam Christi Passionem consociat cum litera F. quæ feriam sextam designat, non Anno Æræ vulgaris 29. sed 30. Anno enim 30. ejusdem Æræ in orbem rediit litera Dominicalis A. quæ feriam sextam prodebat cum litera F. Nec aliter dici potest, nisi fingamus, doctissimum Virum, insignemque Chronologum feriæ quintæ, sive diei Jovis affixisse Christi Passionem, cum apertissima ab Evangelio dissonantia. Cum ergo Sanctus Hippolytus, qui floruit sub Alexandro Severo, Passionem Domini adscripserit Anno 29. simulque diem Passionis Christi ostenderit characterismo feriæ Anni 30. necessario dici debet, quod ipse civilem Annum Judaicum Passionis Christi affixerit illi Romano Æræ vulgaris Anno, qui initium Judaici Anni Passionis Christi amplectebatur; & sic sufficienter propter enunciatam initii Annorum diversitatem declaraverit, Passionem Domini congruere non Anno 29. in

in quo initium advenit illius Anni Judaici, sed Romano Anno 30. qui includebat ipsius Anni Judaici finem, diemque Passionis Christi. Si ergo id in usu fuit Sancto Hippolyto, cur eodem modo intelligendi non sunt cæteri veteres scriptores, qui Annum Passionis Christi duobus Geminis Coss. obsignarunt, sub quorum Consulatu re ipsa contigit, quemadmodum de Sancto Hippolyto dictum est, initium Judaici Anni Passionis Christi? Usque adeo verum est, istos veteres scriptores intelligendos esse juxta veterem usum a Sancto Hippolyto, uti supra vulgatum, ut Passio Domini, reposita in Annum Æræ vulgaris 29. infrascriptis inter cætera aperte adversetur. *Primo* enim adversatur memorato Anno decimo quinto Imperii Augustei Tiberii, ad quam tollendam dissonantiam vel dici debet, duo tantum Paschata post Baptismum a Christo fuisse celebrata, quod non concordaret cum Evangelio Sancti Joannis; vel recurrendum est ad Imperium Proconsulare ejusdem Tiberii, quod tunc suis difficultatibus non careret, etiam ex eo, quod tunc non apparet, quomodo verè concilietur Christi Baptismum cum tempore, quo Pilatus Judææ Procuratorem jam agebat. *Secundo*, adversatur motibus cælestibus; medium namque Plenilunium Anni 29. contigit die Dominico, quinque fere horis ante meridiem, nempe Aprilis die 16. hor. 19. min. 0. & sec. 35. post meridiem ad meridianum Hierosolymitanum. Quare si vetustissimis Judæorum credimus, scilicet Aristobulo longe ante Christi Æram, Philoni, qui tempore Christi adolescentia pollebat, atque Josepho, qui sub Tito, & Vespasiano floruit, veteres Judæi tam enormem errorem, qui tunc occurrisset in suo Paschate, utique non agnoscebant. Fortius vero cœlestibus motibus adversaretur, si Judæorum Pascha ipso Anno 29. ponatur in præcedente Lunatione, ut multi faciunt, dicentes insuper, Christum ipso Anno 29. passum esse die 25. Martii feria sexta. Medium enim Plenilunium ipsius Lunationis præcedentis contigit Martii die 18. hor. 6. min. 16. & sec. 32. post meridiem. Si istud igitur Judæorum Pascha assignetur die 18. Martii, die nimirum proxime ante Luminarium oppositionem, utique celebratum fuisset quinque diebus ante Æquinoctium contra ea, quæ diserte referunt vetustissimi Judæorum, jam relati in Corollariis *post Quæst. quartam num.*34. Æquinoctium enim Astronomicum certo tunc contingebat die 23. Martii. Si autem illud Pascha assignetur ut multi faciunt die 25. Martii, non solum celebratum manifeste fuisset ultimo superioris Anni mense, verum etiam prope ultimum quartum Lunæ; id vero affirmare adeo absurdum est, ut iis etiam repugnet, quæ leguntur in libro Ecclesiastici *cap.* 43. *vers.* 6. — ibi — Luna in omnibus in tempore suo. *Tertio*, denique adversatur Cyclo, quo tunc Judæi utebantur, & de quo paulo inferius erit sermo. Cum ergo Passio Christi reponi nequeat in Annum 29. & cum id moris fuerit apud veteres, uti nuper exposuimus, civilem Annum Judaicum adscribendi Romano illi Anno, in quo ipse civilis Annus Judaicus incipit; illud persuasum habeo, quod veteres scriptores, qui Annum Passionis Christi obsignarunt *duobus Geminis Coss.* nobiscum potius certare videntur, qui initium civilis Anni Judaici Passionis Christi, uti supra reponimus in Romanum Annum 29. Æræ vulgaris, diem vero Passionis, quæ verno tempore ejusdem Anni Judaici contigit, adscribimus Anno 30. ejusdem Æræ.

Dices,

9 Dices, quod assignatus Annus Incarnationis, & Passionis Christi non concordat cum Cyclo, quem Hebræi, ut affirmat inter cæteros Sanctus Epiphanius *ad Heresim* 51. *Alogorum*, olim adhibebant Annorum 84. nec non quartadecimani, nonnullique Orientales retinuerunt usque ad Nicænum Concilium, & postea Novatiani in usum revocarunt, ut dictum est in dissertatione post tertiam Quæstionem, in Viennensi Bibliotheca Cæsarea servatum, atque ab Eminentiss. Noris editum *ante Dissertationem ad Fastos Consulares*, extensumque in Diagrammate *ante Dissertationem de Paschali Latinorum* Cyclo, in quibus Dissertationibus Cyclum ipsum Norisius pererudite exponit.

Respondeo, objectum ipsum falso supposito laborare. Supponitur enim Cyclum veterum Judæorum præcise esse illum, qui in Viennensi Bibliotheca servatur, extensusque a Norisio refertur; id, quod falsum esse evidenter patebit, si de Cyclo vere Judaico sermonem instituam.

DE VETERI JUDÆORUM CYCLO.

Usui cujusvis Cycli apud veteres Hebræos adversatur Talmudistarum sententia, dicentium, Hebræos ipsos consuevisse ex visione Lunæ novæ Neomeniam proclamare. At hujusmodi sententiam omnino falsam esse, Cyclumque ad Neomenias indicendas fuisse usurpatum, evidenter ostendam in speciali Tractatu *num.* 97. *& seq.* Istius Cycli a veteribus Judæis (prout refert Sanctus Epiphanius *loc. nuper cit.*) usurpati post multas vigilias deprehendi erui posse præcisam formam ex iis, quæ a vetustissimo Anonymo exarata sunt, atque in Viennensi, ut supra, Bibliotheca Cæsarea servatur, ediditque Eminentiss. Noris *loc. cit.* Ibi namque multæ per ordinem descriptæ sunt Periodi Annorum 84. nimirum ab Anno Urbis 246. ejusdem vero Periodi 36. ad Annum Urbis 1107. & ipsius Periodi 57. vulgaris autem Æræ Christi 354. Singuli vero Anni prædictarum omnium Periodorum affixos habent Fastos Consulares, accurate descriptos, atque hebdomadę feriam, Kalendis Januarii singulorum Annorum congruentem; nec non quosdam latinos numeros, ad instar Epactarum Gregorianarum procedentes, cum perpetuo additamento undecim unitatum, duodecim vero unitatum, quando recurrit saltus (ut dicitur) Lunæ, abjectis nempe triginta, quando summa hunc numerum excedit; istique latini numeri, qui numerum trigesimum non excedunt, in orbem iidem semper recurrunt omnibus prædictarum Periodorum revolutionibus; Et cum ætatem Lunæ, ut inferius exponam, indicant Kalendis Januarii, & consequenter Martii, congruunt cœlestibus motibus ii dumtaxat, qui spectant ad Periodum incæptam Anno Æræ Christi 298. nimirum ab hoc Anno 298. usque ad prædictum Annum 354. & ejusdem Periodi 57. Quare certum est propter ea, quæ inferius ostendam ipsos latinos numeros a cœlestibus motibus eo magis etiam atque etiam exorbitare; quo magis anterioribus Annis sunt adnotati..

Eminentiss. Noris *loc. cit.* qui hujus Cycli usum Ecclesiæ Romanæ [licet perperam ut evidenter, patefeci in allegata Dissertatione post tertiam Quæstionem *num.* 166. *& seqq.*] attribuit, pererudite putavit, eosdem latinos numeros Kalendis Januarii & consequenter Martii indicare ætatem Lunæ mensis pleni, sive dierum triginta. E quidem cum

ii latini numeri affixi sunt Anno Romano, accomodati censendi sunt uniformiter usui Romano, qui etiam in Julii Cæsaris Calendario, quod in prædicta Dissertatione a diversis Clarissimorum virorum elucubrationibus vindicavi, quamlibet lunationem mense Januario terminantem, facit plenam, nempe dierum triginta. Fortius ipsimet latini numeri censendi sunt accomodati uniformiter usui Romano, quia allegatus Anonymus, uti jacet apud Norisium *loc. cit.* describens Periodum inceptam Anno Urbis 295. adnotavit omnes Annos ejusdem Periodi Embolismales, qui congruunt dumtaxat solari Anno Romano, non autem sacro, sive Ecclesiastico.

Quomodo autem id congruere potuit mensibus Judæorum, quorum Cyclum sequuti sunt Quartadecimani, & quidam etiam Orientales Catholici usque ad Nicænum Concilium, ac deinde in usum, revocarunt Novatiani, ut probavimus in allegata Dissertatione, non facile apparet, ac propterea explicandum est.

Mensis Hebræorum undecimus, qui appellatur *Sabat*, perpetuo est plenus, nempe, diebus 30. Iste igitur mensis quoties incipit Kalendis Januarii, concurrit cum usu Romano; ac propterea latinus numerus. I. tam secundum usum Romanum, quam secundum Hebræos lunam primam, sive Neomeniam Kalendis Januarii, & consequenter Martii, proclamat; Lunam vero trigesimam ejusdem mensis *Sabat*, die 30. Januarii; Neomeniam autem mensis *Adar*, die 31. Januarii, adeo ut Kalendis Martii indicat Lunam primam, sive Neomeniam mensis *Veadar* Embolismalis; die demum 31. Martii Neomeniam mensis *Nisan*.

Nec solum ipse mensis *Sabat* concurrit cum usu Romano in allegato casu, sed concurrit etiam quoties incipit mense Decembre; quod relative ad tempus, in quo Anonymus Fastos Consulares cum prædictis latinis numeris exaravit, pluries contingebat, scilicet, Annis quibus affixus est latinus numerus. II. III. IV. & V.

Cum ergo latini numeri. I. II. III. IV. & V. non secus, ac in usu Romano ætatem Lunæ proclamant mense Januario, & consequenter Martio, id ipsum de cæteris latinis numeris, propter regularitatem in Cyclo servari solitam, dicendum est, cum hac dumtaxat distinctione (notetur, quoniam Norisius inter ea, quæ ipse comminiscitur in Diagrammate ante Dissertationem *de Paschali Latinorum Cyclo*, finem Anni civilis profert non ex legitimo fundamento, sed ex prædictis latinis numeris; ac propterea erravit, finem ipsum uno die citius obsignans currentibus latinis numeris, qui Kalendis Januarii indicunt ætatem Lunæ mensis non *Sabat*, sed mensis *Tebeth*, & sunt omnes exceptis illis quinque jam notatis) cum hac inquam dumtaxat distinctione, quod latini numeri ætatem Lunæ mensis *Sabat* Kalendis Januarii indicantes, ipsam Lunæ ætatem *realiter* uti supra proclamant; cæteri vero latini numeri, quippe qui Kalendis Januarii indicunt ætatem Lunæ mensis non *Sabat* sed mensis *Tebeth*, non proclamant ipsam Lunæ ætatem realiter, sed perinde ac si decimus Hebræorum mensis, qui perpetuo est cavus; nempe dierum 29. appellaturque *Tebeth*, constaret diebus triginta; nec inde ulla Neomeniarum Judaicarum dislocatio scatebat, sed suis in locis Neomeniæ omnes conservabantur.

Quod si quæras artificium, quo factum est, ut latini numeri, ætatem

ætatem Lunę mensis decimi, sive *Tebeth*, indicantes Kalendis Januarii, hanc Lunæ ætatem sine ulla Neomeniarum omnium Judaicarum dislocatione indicarent non realiter, sed perinde ac si prædictus mensis *Tebeth* diebus triginta constaret; hoc est profecto mirabile, sed planum; videlicet *ipsamet eorumdem numerorum latinorum progressio cum regulari additamento undecim unitatum*. Etenim ipsimet numeri latini, quippe qui cum undenario incremento progrediuntur, ætatem Lunæ Kalendis Januarii unitate majorem, quam revera scatet ex precedenti Neomenia Nisan, pronuntiant toties quoties hujusmodi ętas Lunæ spectat ad mensem *Tebeth*: Quæ Lunæ ætas, unitate major, compensat diem trigesimum, qui plus æquo tribuitur eidem mensi *Tebeth*. Nullum quidem invenire potui scriptorem, cujus auctoritate id confirmem; ideo rem ipsam demonstrabo.

Latinus numerus XII. proclamat Kalendis Januariis lunam duodecimam mensis *Tebeth*, qui acceptus perinde, ac si diebus triginta constaret, terminat die 19. Januarii, indicitque sine controversia Neomeniam Mensis *Sabat* die 20. ejusdem mensis. Neomeniam vero mensis Adar, die 19. Februarii, Neomeniam denique mensis Nisan die 20. Martii, tam Anno communi, tum Bissextili, ut jam notum est; sex enim fere horæ, quæ solidis diebus ex Anno Solari abundant, conflaturque Bissextus, in civili Cyclo compensantur cum horis illis quæ ultra solidos dies in Anno Lunari similiter abundant.

Ipse vero latinus numerus XII. propter prædictum undenarium incrementum productus est a latino numero. I. qui sine controversia, uti nuper vidimus, Neomeniam mensis *Nisan* indicit die 31. Martii. Quare idem latinus numerus. I. pronunciat Neomeniam. *Jar* die 30. Aprilis; Neomeniam *Sivan*, die 29. Maji; Neomeniam Tamuz, die 28. Junii; Neomeniam mensis *Ab*, die 27. Julii; Neomeniam *Elul*, die 26. Augusti; Neomeniam *Tissi*, die 24. Septembris; Neomeniam *Marchesuan*, die 24. Octobris Neomeniam *Kasleu*, die 22. Novembris; Neomeniam *Tebeth*, die 22. Decembris; ac propterea proximis Kalendis Januarii realiter est luna undecima, non autem duodecima mensis *Tebeth*. Constat igitur evidenter, quod latinus numerus XII. ætatem Lunæ Kalendis ipsis Januariis pronuntiat unitate Majorem, quam scateat ex præcedenti Neomenia Nisan: ac propterea ista major Lunæ ætas legitime compensatur cum die trigesimo, qui uti supra plus æquo tribuitur mensi *Tebeth*. Quod unico exemplo demonstravi, experimento comperies de cæteris aliis latinis numeris, prima die Januarii proclamantibus Lunæ ætatem, spectantem ad mensem *Tebeth*.

Quod attinet ad Annorum Embolismorum in hoc Judaico Cyclo comprehensorum sedem, & numerum, Sanctus Epiphanius *ad cit. Heresim* 51. *Alogorum* refert, Judeos suo Cyclo Annorum 84. inseruisse Embolismos triginta & unum. Equidem totidem deprehendo in ipso Cyclo, directo (ad tradita, per eundem Sanctum Epiphanium *loc. cit.*) per sex Tessaradecaeterides, sive clarius quatuordecennitates. Cum enim Periodum incæptam Anno Urbis 715. & ante vulgarem Christi Æram 39. ac desinentem Anno urbis 798. & ejusdem Æræ 45. extenderim secundum ejusdem Cycli Æquationem, quam una cum methodo latinum numerum faciliter colligendi singulis Periodorum Annis inferius *num.* 35. *& seqq.* exhibebo; atque notis omnibus Chronologicis

 peri-

periclitatus sim, constantemque perpetuo deprehenderim; ipsa Periodus hisce Annis *Sacris* Embolismum presefert, nempe Periodi Anno. 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. 22. 25. 27. 30. 33. 36. 38. 41. 44. 46. 49. 52. 55. 57. 60. 63. 65. 68. 71. 73. 76. 79. 82. 84. quorum Annorum summa est 31. ut retulit Sanctus Epiphanius.

Cæterum Sanctus Epiphanius ne verbum quidem facit de Annorum Embolismorum sede; ac de facto multis experimentis comperii, nullam constantem sedem Embolismis congruere, sed per omnes diversarum Periodorum Annos Embolismos circumire, si [prout ipsius Cycli natura exigit] singulis Periodis Annorum 84. æquetur.

Quamobrem de ejusdem Cycli æquatione sermonem instituens, dico, quod Anni 84. Juliani sunt dies 30681. amplectentes Sizygias 1039. ad quarum Sizygiarum complementum deficiunt dies 1. hor. 6. min. 51. & sec. 1. ter. 8. & quar. 2. Quare certum est, quod in revolutione cujuslibet Periodi Annorum 84. cœlestia Novilunia, & Plenilunia versus finem mensis progrediuntur una solida die, & uno diei quadrante, omissis ulterioribus fragmentis; ac propterea duabus æquationibus hic Cyclus necessario indigebat; *Prima* est, ut singulis hujus Cycli revolutionibus numeri latini omnes, quibus, uti jacent apud Norisium, ætas Lunæ Kalendis Januarii, ac Martii uti notatum est indicabatur, unitate deprimantur, sive minuantur: *altera* est, ut quatuor elapsis revolutionibus iidem Latini numeri, uti supra depressi, altera insuper unitate deprimantur, adeo ut Latini numeri omnes in quinta ejusdem Cycli revolutione recurrant in orbem, quinque unitatibus depressi. Quater enim multiplicato die uno cum quadrante quinque solidi dies exacte constituuntur. *Numeri itaque Latini*, quos ipse Cyclus descriptos habet, ex Anno in Annum (ad instar nostrarum Epactarum regulam) sua natura progredientes, *sola claritatis gratia, deinceps uno verbo appellabuntur Epactæ*. Epactæ igitur ejusdem Cycli, prout apud Norisium jacent, quippe quæ congruunt Annis hujus Periodi incœptæ Anno Domini 298., ne verisimile quidem est, ut inservierint quartæ Periodo præcedenti, Periodo scilicet, quæ incipit Anno septimo Julii Cæsaris, sive Anno Urbis 715. Censorino, & Sabino Coss. terminavitque Anno Æræ vulgaris 45. Urbis vero 798. Vinicio, & Corvino Coss. inservierint, inquam, tales quales apud Norisium jacent. Quoniam non agitur, quod in Cyclo, qui in Viennensi Bibliotheca Cæsarea servatur, retentæ fuerint illæ Epactæ, quæ præcedenti quartæ Periodo congruissent, nimirum retentæ fuerint illæ Epactæ, quæ tempore Christi Cœlo congruebant, & tempore, quo scriptæ fuerunt, a Cœlo discrepassent quinque diebus; sed igitur de casu contrario, in quo Epactæ, quæ congruunt Periodo inceptæ Anno Domini 298. reputantur usurpatæ etiam in quarta Periodo præcedenti, licet a Cœlo discrepassent quinque diebus; quo casu hasce Epactas, tempore Christi a Cœlo discrepantes quinque diebus, adhibitas a Judæis non fuisse clare ostendunt auctoritates Sacræ Scripturæ, ac illæ Judæorum superius allegatę *num.* 1. & 8. in fine, atque allegandæ *num.* 112. *& seq.* nec non motuum cœlestium peritia, qua callebant, non solum Sidonii, & Phenices ad relata per Strabonem *lib.* 16. post medium; sed etiam Filii Issacar, qui erant, ut legitur in libro primo Paralipomenon *cap.* 12. *vers.* 32. Viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum, quid facere deberet Israel. Si

11 Si queras quomodo Hebræi faciliter potuerint prædictas duas Cycli Æquationes praxi committere, dico, quod unico Canone id consequebantur, quem exponam directo Cyclo *per sex Tessacadecaeterides, sive quatuordecennitates*, prout Hebræi Cyclum ipsum ita revera dirigebant ex dicendis *num.* 21. exponam inquam, his verbis, ordine recto, nimirum perinde ac si a temporibus remotioribus ad tempora nobis proximiora, progrederemur, accipiendis — *Ut ultimus Annus cujusvis Periodi fiat ordinarius, nimirum, producat Epactam Anni primi Periodi sequentis cum solo additamento undecim Unitatum; idque perpetuo, si dumtaxat excipiatur Annus ultimus cujusvis quartæ Periodi. Iste enim unicus Annus fieri debet abundans, nempe producere debet Epactam Anni primi Periodi quintæ cum additamento decem dumtaxat unitatum* — Æquationes igitur, quæ perintricatæ videbantur, praxi erant facillimæ.

Quod vero res ita sese habeat, breviter planum faciam in sequenti Laterculo, ubi nos, quippe qui Judaicam ordinationem temporis remotissimi inquirimus ex tempore nobis magis proximo, non utemur secundum prędictum Canonem ordine recto, sed utemur ordine retrogrado, ne digredi a veritate videamur.

Annus Urbis Conditæ, qui est primus Periodi Judaicæ Annorum. 84	*Epacta Anno primo Periodi congruens*	*Epacta Anno ultimo Periodi ex adverso inceptæ congruunt*
1051, qui est Æræ Vulgaris 298	I. quæ est certo nota ex Anonymo apud Norisium	
967, qui est Æræ Vulgaris. 214	III.	XXI
883, qui est Æræ Vulgaris. 130	IV.	XXII
799, qui est Æræ Vulgaris. 46	V.	XXIII
715, qui est ante Æram Vulgarem. 39	VI.	XXIV
631, qui est ante Æram Vulgarem. 123	VIII.	XXVI
547, qui est ante Æram Vulgarem. 207	IX.	XXVII
463, qui est ante Æram Vulgarem. 291	X.	XXVIII
379, qui est ante Æram Vulgarem. 375	XI.	XXIX

Iste Æquationis Laterculus extendi potest quousque placet eodem servato Canone; sed memento jam factæ adnotationis, nempe, quod nomine — *Epactæ* — usus sum ad brevitatem & commoditatem sermonis, non quod reipsa sint Epactæ. Sunt enim Latini Numeri Cycli Hebraici, denotantes ætatem Lunæ Kalendis Januarii, & Martii. Fac itaque, ut Cycli Æquatio Anno primo prædictarum Periodorum exhibeat Epactas, in prima Epactarum Columna descriptas, quemadmodum reipsa exhibere debet, ut multis experimentis deprehendi, atque expositum est *num.* 35. *& seqq.* Tu vides, quod Annus primus quintæ Periodi, quæ Anno Urbis 715. & ante Æram Christi Vulgarem 39. incœpit, & quam (si fastidio tibi sit ordo retrogradus) debes in ordine

dine recto accipere pro prima ex dictis quatuor Periodis, habet Epactam VI. Quamobrem retento eodem recto ordine Annus primus secundæ Periodi inchoatę Anno Æræ vulgaris 46. habet Epactam unitate depressam, nempe Epactam V. quod ipsum accidit primo Anno tertiæ, & quartæ Periodi, adeo ut primus Annus quintæ Periodi, incæptæ Anno ejusdem Æræ 298. qui ut patebit etiam *num.* 15. certo notus est ex Anonymo apud Norisium, Æquationem secundam pręseferat, nempe, Epactarum depressionem duabus unitatibus relative ad Annum primum quartæ Periodi; quinque vero unitatibus relative ad Annum primum prædictæ primæ periodi.

Hinc manifestum est, quod in allegato Canone legitur. Epacta enim: VI. quæ primo Anno Periodi primæ, eodem recto ordine acceptæ adscribitur, producit Anno 84. & ultimo ejusdem Periodi Epactam. XXIV. cui si addatur undecim, summa est 35. a quo numero si tollatur 30. reliquum est. V. quod est Epacta Anni primi secundę Periodi, quemadmodum in prima Epactarum Columna Anno primo ejusdem secundę Periodi adscripta est Epacta. V. quod ipsum contingit etiam Anno primo tertię, & quartæ Periodi. Cum autem quarta periodus affixam habeat Anno primo Epactam. III. hęc Epacta Anno 84. Sive ultimo ipsius Periodi producit Epactam XXI. cui si addas decem, summa est 31. a quo numero si tolles 30. reliquum est. I. quod secundum exhibitum Canonem est Epacta Anni primi periodi quintę inceptę Anno Ærę vulgaris 298. quemadmodum Epactam. I. adscriptam habet Cyclus Anonymi, servatus, ut dictum est, in Bibliotheca Cęsarea, atque a Norisio editus.

Apud veteres ergo Judęos Anni Sacri triplicem qualitatem habebant; quidam scilicet erant *ordinarii*, constabantque diebus 354. si communes erant; diebus vero 384. si Embolismales; atque erant omnes illi, quorum Epacta producebat Epactam sequentis Anni cum additamento undecim unitatum. Quidam vero erant *defectivi*, istique singulis Periodis non excedebant numerum quinarium, constabantque diebus 353. Annis communibus; diebus autem 383. Annis Embolismalibus; atque contingebant, quando eorum Epacta producebat Epactam sequentis Anni cum additamento duodecim unitatum, videlicet, quando in sequenti Anno fiebat saltus, ut dicitur, Lunę; quem Lunę saltum, ut refert Cicero *verrina quarta*, Siculi, & omnes Gręci appellabant *exeresim*. Unicus denique Annus erat *abundans*, nempe Annus 84. sive ultimus quartę Periodi. Hasce tres Annorum qualitates etiam recentiores Judęi retinuerunt, sed ordine ac methodo longe diversa.

12 Hisce expositis, transgredimur ad sex illas Tessaradecaeterides, sive quatuordecennitates, quibus ut diximus ex S. Epiphanio superius citato, directus erat hic Judęorum Cyclus Annorum 84.

Ex Victorio Aquitano jam relato in prędicta Dissertatione post Quæstionem Tertiam *num.* 289. habetur, quod duobus modis ordinatus erat hic Cyclus Annorum 84. quem Novatiani tunc adhibebant. Uterque modus ex Annorum intervallo pendebat, quo saltus Lunæ affigebatur. Quidam enim singulis elapsis duodecim Annorum spatiis, ut extensus est Cyclus a Norisio relatus; quidam vero singulis elapsis quatuordecim Annorum intervallis saltum Lunæ inserebant. Hæc enim sunt

sunt præcisa Victorii verba in Præfatione Paschalis Festi apud Petavium *de Doct. Temp. tom. 2. in Appendice*; & apud Ægidium Bucherium in Cyclum Vict. Aquit – ibi – *Hi, qui Cyclum Annorum* 84. *ediderunt, duodecim peractis Annis lunam unam per idem tempus certis annua revolutione minutis asserunt calculandi lege succrescere, adyciendam legitimo cursui esse præcipiunt. Item sunt, qui hanc eandem decimo quinto demum incipiente Anno magis adnumerari definiunt.*

13 Rem hanc minime animadvertit Eminentiss. Noris, *qui in Diagrammate ante Dissertationem de Paschali Latinorum Cyclo* Cyclum ipsum erudite extendit per sex Tessaradecaeterides, sive per sex quatuordecennitates retento saltu Lunæ, prout in prædicto Originali jacet, per singula spatia Annorum duodecim. Non enim est simplex quatuordecim Annorum numerus, qui in Cyclo Annorum 84. Tessacadecaeterides constituerat, ut Norisius nulla fretus auctoritate existimavit in allegata Dissertatione *paulo post initium*; sed est sedes saltus Lunæ, per æqualia quatuordecim Annorum intervalla progrediens, diserte notata a Victorio Aquitano. Norisii hallucinationem quisque facilius intelliget, si Cyclum Annorum 84. dividat per quemlibet alium Annorum numerum divisorem exempli gratia, Annorum 21. aut 28. tunc enim eadem semper erit Epactarum dispositio, quam producit illa regularis progressio sedis saltus Lunę, qua ipse Cyclus Annorum 84. ordinatur.

14 Epactę igitur hujus Cycli, utroque modo directæ, erant semper eædem, exceptis illis Annis, in quibus saltus Lunæ prorogabatur; seu differebatur ab uno in alterum Annum, scilicet excepto Cycli Anno 13. & 14. Anno 25. 26. 27. & 28. Anno 37. 38. 39. 40. 41. & 42. Anno 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. Anno 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. & Anno 73. usque ad Finem Cycli. Hisce enim solum Cycli Annis, ubi fit saltus Lunæ per intervalla Annorum quatuordecim, Epactæ natura sua evadunt unitate minores, quam Epactæ ejusdem Cycli directo saltu Lunæ per intervalla Annorum duodecim, quoniam Epactæ Cycli Annorum 84. perpetuo progrediuntur regulari undecim unitatum additamento, excepto solum Anno saltus Lunæ, in quo non undenarius, sed duodenarius numerus usurpatur. Habitis ergo Epactis hujus Cycli ad primos Annos Periodi spectantibus, erui certo possunt Epactæ totius Cycli, utroque modo directi. At non solum hæ Epactæ certo educi possunt, verum etiam Epactæ præcedentium Periodorum, dummodo adhibeantur Æquationes superius explicatæ. In eruendis tamen præcedentium Periodorum Epactis illud animadverti debet, quod dubiæ semper essent Epactæ præcedentis (loquimur ordine retrogrado nempe proficiscentes a Periodo incœpta Anno 298. versus tempora Incarnationis) præcedentis inquam Periodi Primæ, Secundæ, & Tertię, nisi aliunde innotescat, in quam præcise Periodum apud Hebræos inciderit *secunda* Æquatio depressionem Epactarum duabus unitatibus præseferens; quod utique Deo adiuvante innotescet ex multis experimentis, quibus *num.* 25. *& seqq.* Cyclum ipsum periclitaturi sumus, sed in eruendis Epactis præcedentis quartæ Periodi nullum dubium occurrit, quia elapsis quatuor Periodis Annorum 84. Epactæ perpetuo elevandæ, seu augendæ sunt quinque unitatibus. Agimus enim de Epactarum investigatione præteritorum temporum; adeo ut qualis depressio fieri debet in edendis Epactis futurarum Periodorum,

rum, tale esse debeat augmentum in eliciendis illis præteritarum Periodorum.

15 Bono fato habentur, uti supra apud Norisium, præcipuæ Epactæ, quibus ipse Cyclus incipit Anno Æræ vulgaris 298. usque ad Annum 354. ac propterea ex hisce educi certo possunt Epactæ præcedentis quartæ Periodi, quæ præcise incurrit in tempora Incarnationis, & Passionis Domini. Quarta enim præcedens Periodus incipit Anno septimo Julii Cæsaris, Urbis vero 715. definitque Anno Æræ vulgaris 45. Tertia præcedens Periodus incipit Anno 46. Æræ vulgaris, ac terminat Anno 129. secunda præcedens Periodus incipit Anno 130. ac definit Anno 213. Prima, ac proxime præcedens Periodus incipit Anno 214. ac terminat Anno Æræ vulgaris 297. quarum Periodorum initia, & fines certo noti sunt non solum ex computo, sed etiam ex allegato Codice M. S. Bibliothecæ Cæsareæ, ac per Norisium relato ante Dissertationem ad Fastos Consulares. Itaque in sequenti Laterculo referam duodecim Annorum Epactas, prout jacent apud ipsum Norisium, quibus incipit Periodus Anno 298. & quę eędem semper sunt, constituta sede saltus Lunę per intervallum Annorum tam duodecim, quam quatuordecim; primus enim saltus Lunę nondum advenit; simulque exhibebo totidem Epactas ejusdem Cycli Annorum 84. quinque unitatibus, uti supra, auctas, ac propterea spectantes ad quartam pręcedentem Periodum, quę incipit Anno septimo Juliano, qui concurrit cum Anno 39. ante Æram vulgarem.

Anni Æræ vulgaris	*Anni Cycli*	*Epactæ*	*Anni ante Æram vulgarum*	*Anni Cycli*	*Epactæ*
298	1	I	39	1	VI
299	2	XII	38	2	XVII
300	3	XXIII	37	3	XXVIII
301	4	IV	36	4	IX
302	5	XV	35	5	XX
303	6	XXVI	34	6	I
304	7	VII	33	7	XII
305	8	XVIII	32	8	XXIII
306	9	XXIX	31	9	IV
307	10	X	30	10	XV
308	11	XXI	29	11	XXVI
309	12	II	28	12	VII

Epactæ hujus Cycli, ut fuse explicatum est *num.* 9. & clare deducitur ex originali descriptione ejusdem Cycli, designant Lunæ ætatem Kalendis Januarii, ac Martii, ac propterea in hoc differunt ab Epactis Calendarii Gregoriani, quia Epactæ Gregorianæ sunt proprie Epactæ; neque designant ætatem Lunæ Kalendis Januarii, & Martii, sed in fine mensis Decembris, quippe quæ reliquum sunt Anni solaris supra Annum Lunarem.

16 Descriptis prædictis duodecim Epactis Cycli Annorum 84. incipientis

pientis Anno septimo Juliano, faciliter ex eis educuntur Epactæ totius Cycli, directæ per saltum Lunæ elapsis intervallis Annorum tam duodecim, quam quatuordecim. Itaque in sequenti Laterculo exhibebo solum quorumdam Annorum Epactas, quas producit sedes saltus Lunæ posita singulis elapsis spatiis Annorum quatuordecim. Quo autem simul habeantur etiam Epactæ, quas producit sedes saltus Lunæ posita singulis elapsis spatiis Annorum duodecim, unitas addatur illis tantum Epactis, cum asterisco * notatis, quo casu etiam quartadecima Paschalis in diem præcedentem elevanda esset. In eodem sequenti Laterculo Anni prope Incarnationis tempora proleptice accipiuntur, ut superius factum est. Quare si in tempus verum convertantur, inde non emergit variatio diei hebdomadæ, seu feriæ, sed solum variatio literæ Dominicalis, & nomenclaturæ dierum mensis Martii, aut Aprilis. In Epactarum Columna, ubi adsunt Literæ S. L. indicatur saltus Lunæ illo Anno insertus.

Anni ante Æram vulgarem	*Anni Cycli*	*Litera Dominicalis*	*Epacta, sive ætas Lunæ Kal. Martii*	*Paschalis Quartadecima Cycli Die*	*Feria diei quartadecimæ Paschalis*
6	34	C	XI	3 Aprilis	Sabbato
5	35	B A	XXII	23 Martii	Quinta
4	36	G	III	11 Aprilis	Quarta
3	37	F	XIV *	31 Martii	Prima
2	38	E	XXV *	19 Aprilis	Sabbato
1	39	D C	VI *	8 Aprilis	Quinta
Anni Æræ vulgaris					
1	40	B	XVII *	28 Martii	Secunda
2	41	A	XXVIII *	16 Aprilis	Prima
3	42	G	IX *	5 Aprilis	Quinta
4	43	F E	XXI S. L.	24 Martii	Sabbato
28	67	D C	XVI *	29 Martii	Secunda
29	68	B	XXVII *	17 Aprilis	Prima
30	69	A	VIII *	6 Aprilis	Quinta
31	70	G	XIX *	26 Martii	Secunda
32	71	F E	I S. L.	13 Aprilis	Prima
33	72	D	XII	2 Aprilis	Quinta
34	73	C	XXIII *	21 Aprilis	Quarta
35	74	B	IV *	10 Aprilis	Prima
36	75	A G	XV *	30 Martii	Sexta
37	76	F	XXVI *	18 Aprilis	Quinta

17 Constat igitur evidenter, quod Cyclus Judaicus Annorum 84. inserto saltu Lunæ per intervalla Annorum quatuordecim, confirmat, quod dictum est, scilicet; Incarnationem Christi contigisse Anno quinto ante Æram vulgarem, Annum vero Passionis concurrere cum Anno 30. Æræ vulgaris; eodem enim, quo supra dictum est, die ipse

Cyclus quartamdecimam Paschalem designat, atque solemnitatem Azymorum.

18 Obiicies primo, quod Cyclus id univoce non designat; Annum enim Incarnationis Cyclus æque bene saltem, quoad feriam quartæ decimæ Paschalis, ostendit Anno primo ante Æram vulgarem; Annum vero Passionis æque bene indicat Anno trigesimo tertio Æræ vulgaris. Respondeo id verum esse; sed omnis Cycli ea est natura, ut non raro Paschalem quartamdecimam in eadem hebdomadæ feria designet. Quamobrem ad univoce individuandum ex Cyclo Annum Incarnationis, & Passionis Domini, necesse est, ut in quo Anno Incarnatio, & Passio ipsius ponitur, ipse Cyclus concordet cum Evangelistis, cum Traditione, & Historia, ac denique cum cœlorum motibus; hocque ultimum ideo necessarium esse videtur, quia credibile est, ut qui Cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, creavit, atque conservat, Annum elegerit pro mirabili sua Incarnatione, & Passione, in quo ab Hebræis Pascha tunc celebraturum fuisset cum nullo Cycli errore; ac etiam quia iis indulgeatur, qui, licet Judæi Neomeniam mensis Nisan, Paschalemque quartamdecimam ex Cyclo acceperint, nihilominus haud recte [ut inferius patebit *num.* 97.] existimant, Hebręos olim diem Paschatis ex vero Lunæ positu deduxisse. Quę omnia solum concurrunt in casu nostro, non autem Anno primo ante Æram vulgarem, in quo Cyclus non sine errore Paschalem quartamdecimam signabat die 8. Aprilis. Medium enim Plenilunium ipso Anno primo ante Æram vulgarem ad meridianum Hierosolymitanum contigit Aprilis die 7. hor. 7. cum dimidia fere hora post meridiem; verum autem Plenilunium Aprilis die 7. hor. 5. cum dimidia fere hora post meridiem.

19 Insuper respondeo, quod omnem tollit ambiguitatem tempus mortis Herodis Ascalonitę Regis Judęorum. Hoc enim regnante, Magi ex Oriente venerunt adorare Dominum natum; Sanctus Joseph, & Beatissima Virgo Maria expleto secundum Legem, *Levit. cap.* 12. *vers.* 2. Purificationis tempore, venerunt in Jerusalem, *ut sisterent eum Domino*, deinde reversi sunt in Galilęam in Civitatem suam Nazaret; fit Innocentium strages; Sanctus Joseph, ab Angelo admonitus, accepto nato Domino, & Maria Matre ejus secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis, hisce omnibus per Evangelistas diserte expositis. At hęc omnia non verificarentur posita Domini Nativitate in fine Anni primi ante Æram vulgarem, quia ipse Herodes triginta quatuor Annis regnavit, ex quo interfecit Antigonum, triginta vero septem, postquam Rex a Romanis declaratus fuit; sic fidem facit Josephus *de bello Judaico lib.* 1. *cap.* 21. mortuus autem est non paucis diebus ante Festum Paschæ, ut habetur ex eodem Josepho *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 1. Constat igitur evidenter, quod Herodes jam mortuus erat Anno primo ante Æram vulgarem. Ipse enim a Romanis Rex declaratus fuit Anno Urbis 714. scilicet Anno 40. ante Æram vulgarem; Antigonum vero Judæorum Regem capta Hierosolyma interfecit Anno Urbis 717. nempe Anno 37. ante Æram vulgarem, ut comuniter tradunt Chronologi, & probat Norisius *De Epochis Syromacedonum Dissert.* 5. *cap.* 5. §. 1. & præcipua ratione alibi ostendam. Quare nullo modo dici potest, Christum eo labente primo ante Æram vulgarem Anno incarnatum, & natum esse.

Obiicies

20 Obiicies secundo, quod ipse Cyclus, firmo stante Incarnationis Anno incidente in Annum quintum ante Æram vulgarem, æque bene Annum Passionis ostendit Anno 33. Æræ vulgaris. Respondeo id verum esse; sed non concordat cum Evangelistis. Quoniam ne discordet Annus decimus quintus Imperii Tiberii Cæsaris a Sancto Luca, uti supra *num.* 6. memoratus, vel sex Paschata necessario ponenda essent, a Christo celebrata post Baptismum Joannis; quod non dicunt Sancti Evangelistæ. Imo, etsi vir clarissimus Pater Lamy *in Apparatu Chronol. & Geograf. cap. 6.* §. 2. bene contendat, tria tantum Paschata a Christo celebrata fuisse post Baptismum; plura tamen, quam quatuor fuisse celebrata, colligi non possunt ex Joanne Evangelista; primum scilicet *cap.* 2. *vers.* 13. secundum *cap.* 5. *vers.* 1. quod maxime controversum est, & multi absolute, & solide negant; tertium *cap.* 6. *vers.* 4. & ultimum *cap.* 13. *& seqq.* vel dicendum esset, tempus prædicti Baptismi non concurrere cum Anno quinto decimo Tiberii Cæsaris, contra relata verba Sancti Lucæ; & insuper Christi ætatem tempore ejusdem Baptismi fuisse saltem Annis triginta tribus completis contra verba Sancti Lucæ *cap.* 3. *vers.* 23. — ibi — *& ipse Jesus erat incipiens, quasi Annorum triginta* —; ac demum in primo Paschate, quod Christus celebravit post Baptismum, multo plures, quam 46. Anni effluxissent ab Herodiana Templi Constructione, contra ea, quæ Judæi dixerunt apud Joannem *cap.* 2. *vers.* 20.

21 Obiicies denique, quod adhuc evidenter ex prædicto Cyclo non constat, Christum passum esse Anno 30. Æræ vulgaris. Non enim probatum est, Cyclum Annorum 84. fuisse ab Hebræis directum per Tesseradecaeterides. Respondeo, id pluribus probari posse.

Primo, quia id præcise, ultra allegatum Victorium Aquitanum, affirmat Sanctus Epiphanius *ad Heresim* 51. *Alogorum num.* 26. quem latine vertit Petavius, & animadversionibus illustravit; Bucherius vero pereruditе in hunc locum explanavit in Tractatu *de Judæorum Cyclo cap.* 2.

Secundo; quia directio ejusdem Cycli per saltum Lunæ singulis spatiis Annorum duodecim progredientem, nota fuisse videtur potius in Occidente, quam in Oriente, quia Sanctus Cyrillus Cyclum Annorum 84. commemorans in suo Prologo ad Petavium *de Doct. Temp. tom.* 2. *in Append.* affirmat, Cyclum ipsum directum fuisse per sex Quatuordecennitates, nullo facto verbo de alia ejusdem Cycli directione.

Tertio; quia ita usurpatum ab Hebræis fuisse, suadet consonantia, quam ipse Cyclus hoc modo directus exhibet cum die, in qua eisdem Hebræis præcepta erat in Exodo *cap.* 12. Immolatio Agni ad vesperam quartædecimæ primi mensis, atque cum Anno sabbatico.

Quarto; quia ita usurpatum fuisse, evidenter ostendit Experimentum primum, & secundum sub *num.* 25. *& seqq. & num.* 40. *& seqq.* quibus Cyclum ipsum periclitaturi sumus. Concordat enim directio saltus Lunæ per intervalla Annorum quatuordecim completorum; discordat vero per intervalla Annorum duodecim.

Quinto; quia ex Sacra Scriptura aperte deducitur, Hebræis in usu non fuisse hujus Cycli directionem per saltum Lunæ singulis Annorum duodecim intervallis; quod ita breviter fit manifestum. Ipse Cyclus per hunc Lunæ saltum directus æque bene, saltem quoad feriam

quartæ decimæ Paschalis, Annum Incarnationis designat Anno tantum quinto ante Æram vulgarem; Annum vero Passionis ostendit Anno tantum 33. Æræ vulgaris, aut Anno 36. ejusdem Æræ quemadmodum Epactæ, quæ in proxime præcedenti Laterculo notatæ sunt cum Asterisco *, manifestant, si unitate, ut dictum est eleventur. Vidimus autem præcedenti *num.* 20. apertam Sacræ Scripturæ repugnantiam, quam præsefert obsignare Passionem Domini Anno 33. Si autem obsignetur Anno 36. Æræ vulgaris, silentio præterita Traditione de numero Annorum, quibus Christus inter nos versatus est, eadem scatet magis evidens Sacræ Scripturæ dissonantia; quoniam vel novem Paschata post Baptismum a Christo celebrata recensenda essent absque eo quod pateat apud Evangelistas, quid toto illo novennio egerit Christus; vel negandum esset, non solum tempus Baptismi Anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris contra textum Sancti Lucæ, sed etiam Christi ætas tempore ejusdem Baptismi — *quasi Annorum triginta* — ad relata per eundem Sanctum Lucam. Si enim dixerit Christum tria Paschata (ut sentiunt vetustissimi Sancti Patres) post Baptismum celebrasse, ipse tempore Baptismi fuisset ætatis Annorum triginta septem, nec nulla ratio haberetur ad Annum decimum quintum Imperii prædicti, si vero dixeris quatuor Paschata celebrasse, fuisset ætatis Annorum triginta sex contra textum Sanctæ Lucæ.

Quod si ad evitandam hanc Sacræ Scripturæ dissonantiam Annus Incarnationis posponatur quatuor emergerent. *Primum* est, quod Festum Annunciationis S. Mariæ Virginis aut omnino discordaret a Traditione, qua dicitur Christus eodem die incarnatus, & passus; aut suo tempore non recoleretur. *Alterum* est, quod fuga Joseph cum Puero, & Maria Matre ejus in Ægyptum non contigerit Herode regnante, sed post istius mortem, uti constat ex dictis *num.* 19. *Tertium* est illud ipsum, quod nuper exposui de numero Paschatum, quæ Christus celebravit post Baptismum. *Quartum* est, quod apertissime discordaret Evangelismum ad S. Zachariam, de quo loquitur Sanctus Lucas *cap.* 1. & alibi erit Sermo, si Deo placuerit.

22 Constat igitur evidenter de Anno Incarnationis, & Passionis Domini, tum juxta veterem Judæorum Cyclum tum juxta veros Lunæ motus, concordante Divina Scriptura, Traditione, & Historia.

23 Nec dubium facit, quod Sanctus Lucas *cap.* 2. *vers.* 2. natum Christum proferat sub Cyrino Syriæ Præside. Idem enim emergit, in quovis Anno Nativitas Christi ponatur; at nihilominus rem planam fecit Norisius *tom.* 3. *de Cenotaphiis Pisanis dissert.* 2. §. 12. quibusdam ab eodem Norisio exhibitis correctionibus in egregio suo Opere *de Epochis Syromacedonum Dissert.* 3. *cap.* 7. §. *Ex his &c.*

ANIMADVERSIO NON LEVIS MOMENTI.

24 Diximus in Epitome *pag.* 13. contra Clarissimum Calmet, quod, inspecto solo literali sensu omnium quatuor Evangelistarum, Jesus Christus mortuus est in Cruce luna decima quinta, sive die solemnitatis Azymorum; & quæ primo intuitu repugnare videntur, rem mire confirmant. Diximus etiam, quod, hoc non obstante, adventus Spiritus Sancti contigit die Dominico, adeo ut inspecto solum literali sensu

fensu sacrarum scripturarum, de quibus inferius erit sermo *num.* 43. aliter contingere non potuerit. Nunc vero ex proxime allegato Judaici Cycli Laterculo patet evidenter, quod ne potuit quidem contingere, ut Christus mortuus sit luna decima quarta, nisi contra clara Evangelistarum testimonia fingamus, Christum mortuum esse Anno Æræ vulgaris 36. idque patet directo Cyclo, uti decet, per saltum Lunæ singulis spatiis Annorum quatuordecim progredientem; fortius vero si Cyclus ipse per modum hypothesis dirigeretur per saltum Lunæ positum singulis intervallis Annorum duodecim; quia id possibile non fuit in ullo Anno ex illis decem in Laterculo notatis.

EXPERIMENTO COMMITTITUR CYCLUS JUDAICUS NUPER EXPOSITUS.

Non satis esse videtur Annum Incarnationis, & Passionis D. N. J. C. ex Cyclo Judaico confirmasse, nisi Cyclum ipsum probetur, notis Chronologicis respondere. Hoc itaque ostendam in sequentibus.

25 Josephus *de Antiq. Jud. lib.* 14. *cap.* 3. *& seq. pag.* 689. refert, captam a Pompejo fuisse Hierosolymam -- *tertio mense*, *die Jejunii*, *Olympiade* 179. *C. Antonio*, *& M. Tullio Cicerone Coss.* Id ipsum repetit *de Bello Jud. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 68. sed explicat, mensem illum non fuisse Anni Judaici, sed obsidionis Hierosolymæ, dicens, *tertio obsidionis mense* -- Dio autem *lib.* 37. narrat, id contigisse *Sabbato*. Annus prædicti Consulatus est Annus Urbis conditæ 691. sive ante vulgarem Christi Æram 63. Periodi Julianæ 4651. Periodi solis 3. Lit. Domin. D. & secundus Olympiadis 179. sic Petavius, Noris, Pagius, Ricciolus, & alii. Controversia igitur inter celebriores Chronologos versatur circa designationem mensis, in quo capta fuit Jerusalem. Petavius existimat, captam fuisse Urbem illam tertio mense Anni Ecclesiastici, nempe die 23. Sivan, redarguitque *tom.* 1. *de Doct. Temp. lib.* 2. *cap.* 26. Josephum Scaligerum, qui id affigit mensi quarto, scilicet diei 17. Tamuz. Usserius vero & Calmet *in Hist. vet. & novi Testam. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 7. id adscribunt mensi tertio Anni civilis Judaici, nimirum diei 28. mensis Kasleu. Clarissimis omnibus hisce viris obstat Historia apud Josephum *loc. cit.* ac dies hebdomadæ a Dione designatus. Dies enim 23. Sivan illo Anno contigit die 9. Junii, feria tertia; dies vero 17. Tamuz fuit 3. Julii feria sexta, dies denique 28. Kasleu fuit 8. Decembris, feria tertia, quemadmodum patebit ex dicendis.

26 Quod vero attinet ad Historiam, Pompejus ineunte vere non incœpit obsidere Jerusalem, quemadmodum necesse fuisset, ut expugnatio Templi, secundum Petavii sententiam, reponenda sit in mensem Sivan, sed Aristobulum, & Hircanum primo allocutus est Damasci. Petavio igitur obstat Historia; eoque fortius, si facti series animadvertatur: quoniam cum inter prædictam Pompeii collocutionem, & obsidionis initium, collectio totius Exercitus, iter ejusdem versus Jerusalem, pluresque in itinere cunctationes ipsius exercitus intercesserint, mensis Sivan constitui nequit tertius obsidionis mensis; ac propterea occupari Templum non potuit die 23. ejusdem mensis Sivan, silentio prætеritis aliis facti circumstantiis, quæ expugnationem Templi a Petavio

tavio designatam omnino excludunt, & de quibus deinceps erit sermo.

27 Id autem, quod, secundum Historiam, excludit captum fuisse Templum Die 17. Tamuz, ut existimavit Scaliger *de Emend. Temp. lib.* 2. *pag.* 107. est non solum jejunii solemnitas, quæ fuit diei capti Templi, & quam non retinebat jejunium diei 17. Tamuz; verum etiam tempus, quo Jerusalem a Sosio, & Herode Ascalonita fuit expugnata Josephus enim *de Antiq. lib.* 14. *cap.* 15. *in fine*, *&* *cap.* 16. *& de Bello Jud. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 8. *& seqq.* refert id contigisse Marco Agrippa, & Caninio Gallo Coss. Olympiade 185. Annus hujus Consulatus est Annus Urbis conditæ 717. sive ante Æram Christi vulgarem 37. Periodi Julianæ 4677. solis 1. lit. Dom. G F. & quartus Olympiadis 185. sic Noris, Petavius, Pagi, Ricciolus, & alii. Quidam nihilominus id conantur in alium Urbis conditæ, atque ante Æram vulgarem Christi Annum reponere; eos tamen refellit Pagius *tom.* 1. *in Apparatu*, egregie ostendens hanc Hierosolymæ expugnationem adscribendam esse prædicto Urbis conditæ Anno 717. & ante Æram vulgarem 37. Hoc igitur Anno Herodes Ascalonita ad relata per Josephum *loc. cit. Hyeme finita* [vel prout legitur in notis ad eundem Josephum, ubi hyems desævit, aut rigor hyemis cessit, aut ineunte vere] movit exercitum, venit Jerusalem, & prope Urbem castra fecit; & cum inde castra movisset prope muros accessit — *atque obsepto tribus aggeribus loco .... Samariam ad nuptias proficiscitur. Post nuptias autem venit per Phænicem Sosius præmissis per mediterranea copiis, post quas venit etiam Rex ipse ...... Ipse quoque Rex* (nempe Herodes) *advenit a Samaride non parvum exercitum præter veterem agens. Isti autem omnes ad mœnia Hierosolymorum convenerunt ..... Jam vero eum multa manus continenter in opere versaretur facile perfecti sunt tres Aggeres, nam & Æstas erat, nihilque ad structuram impedimenti, aut ab Aeris intemperie, aut ab iis, qui operam conferebant. Tandem muros conscendunt ..... expugnatus enim erat primus murus quidem* 40. *diebus, secundus vero* 15. ..... *Expugnato exteriore Templo, & Urbe inferiore, Judæi in Templum interius, & Urbem superiorem confugerunt ...... Ast ubi .... vidit eos fortiter pro Antiochi Regno propugnare, Urbem aggressus vi capit .... Hæc Urbi Hierosolymitarum accidit clades Marco Agrippa, & Caninio Gallo Coss. Olympiade* 185. *mense tertio, Jejunii solemnitate, tanquam recurrente in idem temporis momentum illata Judæis a Pompejo calamitate; nam eodem die ab illo post septem, & viginti Annos Hierosolyma capta fuerat.*

28 Ante quam ulterius progrediamur, animadverti debet, quod utraque expugnatio Urbis Jerusalem contingere non potuit eodem septimanæ die. Cyclys enim Solaris aperte manifestat, quod non eædem recurrunt in orbem literæ Dominicales Annis 27. quoti sunt incluso termino ab expugnatione Pompeii ad hanc Sosii, & Herodis. Utraque igitur expugnatio contigit eodem Judaici mensis die. Dum vero Josephus narrat, captam ab Herode fuisse Jerusalem *tertio mense*, intelligi debet non de tertio obsidionis mense, quoniam ipse *de Bello Jud. lib.* 1. *cap.* 13. refert, quod Judæi — ibi — *per quinque menses obsidium toleraverunt* — neque intelligi debet de tertio mense Anni civilis, qui a Tisri incipit, quoniam Judæi obsidium tolerassent non per quinque, ut ait Josephus, sed per novem saltem menses. Herodes namque proprio exercitu *Hyeme finita* Hierosolymam obsedit, antequam ad nuptias

ptias proficisceretur. Intelligi ergo debet *de tertio mense a reditu Herodis cum Sosio post nuptias*; quemadmodum revera Josephus de hisce tribus mensibus mentionem facit, uti supra *num.* 27. postquam retulit rei eventum post reditum Herodis ex nuptiis.

29 Cum ita sese res habeat, Neomenia mensis *Nisan* hoc anno Urbis 717. & ante Æram Christi 37. contigit die 3. Aprilis, Neomenia *Jar* die 3. Maji, Neomenia *Sivan* Kalendis Junii, Neomenia denique mensis *Tamuz* Kalendis Julii, cui succedit Neomenia mensis *Ab* die 30. Julii, ut inferius patebit. Jejunium igitur a Scaligero allegatum contigit die 17. ejusdem mensis Julii, quo die a Sosio, & Herode capta esse non potuit Jerusalem. Si enim tempora retrorsum versus computemus, Herodes antequam ad nuptias proficisceretur, obsidionem incæpisset circa finem mensis Februarii. & consequenter movisset exercitum Hyeme non finita. Insuper tres aggeres perfecti fuissent circa medietatem mensis Maji, quo tempore æstivi calores Palæstinam nondum afficiunt; perfecta enim horum aggerum constructione præterierunt dies 55. antequam expugnatum fuisset exterius Templum, & Urbs inferior. Quæ omnia manifeste repugnant Historiæ superius allegatæ.

30 Cum igitur, secundum Historiam non potuerit a Sosio, & Herode expugnari Jerusalem die 17. *Tamuz*, non potuit etiam illo die expugnari a Pompejo; nam *eodem die* a Pompejo, & a Sosio cum Herode *Hierosolyma capta fuit*.

31 Ex his clare apparet, Historiam ipsam quam maxime adversari sententiæ clarissimorum Virorum Usserii, & Calmet, qui expugnationem Jerusalem a Pompejo peractam adscribunt diei 28. Mensis Kasleu. Si namque Hebraicum Calendarium a Sigonio *tom.* 4. *pag.* 172. exhibitum consulamus, nullum Hebræis fuit jejunium mense Kasleu, nisi die 7. qui Anno Urbis Romæ conditæ 691. & ante Christi Æram 63. contigit die 17. Novembris feria tertia, Anno autem Urbis 717. & ante Æram Christi 37. advenit Kalendis Decembris feria prima. Insuper Pompejus exercitum, quem ipse in Nabatheos ducebat, atque tempore Veris, sententia consulte mutata, adversus Aristobulum direxit, otiari permisisset usque ad Autumnum, ipse enim *tertio obsidionis mense* expugnavit Jerusalem. Denique cum eodem, quo Pompejus, die Hierosolyma capta fuerit etiam a Sosio cum Herode Judæi obsidium Herodis, & Sosii non tolerassent *per quinque menses*, sed saltem per novem menses; & ulterius tres aggeres perfecti fuissent, non quo tempore æstivi calores Palæstinam afficiunt, sed post medietatem mensis Octobris; dies enim 28. Kasleu Anno Urbis 717. & ante Æram Christi 37. contigit die 22. Decembris feria prima.

32 Historia igitur serio expensa manifestat, Pompejum, ac deinde Sosium una cum Herode occupasse Jerusalem mense quinto Anni Ecclesiastici, nempe mense *Ab*. Et quidem in hoc mense expletur tempus Regni Antigoni; hic enim, ut probat Pagius *loc. cit.* Judæis impositus fuit Rex Anno Urbis Romæ conditæ 714. & ante Æram Christi 40. nempe post Festum Pentecostes, ut refert Josephus *de Antiq. lib.* 14. *cap.* 13. *num.* 4. ac regnavit tribus annis, & tribus mensibus, ut ipsemet Josephus ait *de Antiq. lib.* 14. *cap. ult.* & *lib.* 20. *cap.* 8. Tertius ergo mensis Regni Antigoni, inclusis more Orientalium terminis,

est

est mensis *Ab*. Primus enim mensis Regni ejus est *Sivan*, cujus sexta dies regulariter Judæis erat Pentecostes; secundus mensis est *Tamuz*; tertius denique mensis regni Antigoni est mensis *Ab*; in quo jejunium Hebræis erat ob incensam Jerusalem, & Templum a Caldæis. Hoc jejunium est unum ex illis quatuor apud Prophetam Zachariam *cap.* 8. *vers.* 19. atque præ cæteris adeo solemne, ut in hebdomada, in quam incidit hoc jejunium, Hebræis, (prout legitur apud Sigonium *tom.* 4. *cap.* 18. *pag.* 256. in notis) prohibitum sit se tondere, lavareque, & in vespera ejusdem jejunii, geminis diversi generis coctis frui, carne vesci, & vinum bibere. Denique tali religione colitur hoc jejunium, ut Hebræi tam interdiu, quam noctu ab omni abstineant cibo, in lecto non cubent, & quemdam pro pulvillis lapidem capiti supponant, recordantes, hoc die Templum eversum fuisse. Merito igitur Josephus diem a Sosio captæ Hierosolymæ designat hac nota chronologica -- *jejunii solemnitate* -- Quam *solemnitatis* notam, licet Josephus ipse non apposuerit diei a Pompejo captæ Hierosolymæ (quando enim a Pompejo capta fuit Jerusalem, Josephus, uti supra notavimus, & ante ipsum Strabo *lib.* 16. *post medium* scripserunt solum notam *diei jejunii*, non autem diei *solemnitatis jejunii*); nihilominus tanquam huic etiam diei appositam habendam esse idem Josephus declarat, quatenus ipse refert, *eodem die, tam a Pompejo, quam a Sosio, captam fuisse Jerusalem.*

33 Heu quæ miseria nostris temporibus! Controversum comperio diem prædicti Jejunii. Sacri Expositores super citatum Zachariæ Textum docent, fuisse diem decimum mensis *Ab*. Calendarium vero Hebraicum apud Sigonium *tom.* 4. *pag.* 172. allegatæque notæ ad Sigonium, ac denique nonnulli alii Scriptores Calendariis Judæorum fidentes perinde, ac si Sanctus Epiphanius *ad hæresim* 70. omnia depravata apud Judæos esse non monuerit, reponunt hoc jejunium in diem nonum ejusdem mensis *Ab*. Quid ergo? Cum neminem controvertisse viderim allegatam jejunii causam, scilicet ob incensum eo die Templum, & Civitatem a Caldæis, decisionem dubii non aliunde accipiam, nisi ex divina scriptura, quæ apud Jeremiam *cap.* 52. *vers.* 12. sic habet. *In mense autem quinto, decima mensis, ipse est Annus nonus decimus Nabuchdonosor Regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps militiæ, qui stabat coram Rege Babylonis in Jerusalem. Et incendit Domum Domini, & Domum Regis, & omnes domos Jerusalem. & omnem domum magnam igni combussit. Et totum murum Jerusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus Caldæorum, qui erat cum magistro militiæ.*

34 Constat igitur ex Historia, captum a Pompejo fuisse Templum mense *Ab*, die autem solemnitatis jejunii ejusdem mensis, nempe die decimo.

35 His ita expensis explorandum est, an Cyclus Judaicus illo Anno diem decimam mensis *Ab* designet die Sabbati, quemadmodum ex Dione habemus, Pompejum expugnasse Templum *die Sabbati*. Itaque Annus Urbis 691. & ante Christi Æram 63. concurrit cum litera Dominicali D. atque cum Anno 61. illius Periodi Judaicæ, quæ incipit Anno Urbis 631. desinitque Anno Urbis 714. Quo Epactam prædicti Anni 61. assequamur, habenda primo est Epacta Anni primi ejusdem Cycli. Hæc vero Epacta haberi nequit, nisi prius Cyclum ipsum prout fecimus *num.* 11. æquemus juxta regulam superius expositam *num.* 10. & 14.

& 14. *& seqq.* quæ Epactam Anni primi exhibet, prout sequens Laterculus manifestat.

Annus Urbis Romæ conditæ, qui est primus Periodi Judaicæ Annorum 84	*Epacta*
1051, qui est Æræ Vulgaris Christi 298	I. quæ est certò nota ex Cyclo Anonymi in Bibliotheca Cæsarea reperto apud Norisium loc. cit.
967 qui est Ærę Vulgaris 214	III
883 qui est Æræ Vulgaris 130	IV
799 qui est Ærę Vulgaris 46	V
715 qui est ante Æram Vulgarem 39	VI
631 qui est ante Æram Vulgarem 123	VIII
547 qui est ante Æram Vulgarem 207	IX
463 qui est ante Æram Vulgarem 291	X
379 qui est ante Æram Vulgarem 375	XI

Iste ęquationis Laterculus extendi potest quousqne placet, eadem servata regula; sed memento jam factæ adnotationis, nempe, quod nomine *Epactæ* — usus sum ad brevitatem, & commoditatem sermonis, non quod re ipsa sint *Epactæ*. Sunt enim Latini numeri Cycli Hebraici, denotantes ætatem Lunæ Kalendis Januarii, & Martii.

36 Quo autem commode Epactam habeas cujusvis Anni singularum Periodorum, hanc methodum excogitavi. Ex dato Anno Periodi Judaicę tolle unitatem, reliquumque multiplica per 11. summę vero adde Epactam Anni, qui est primus in data Periodo Judaica. Ex hac denique summa tolle numerum 30. quoties fieri potest, & reliquum serva. Deinde datum Annum Periodi Judaicæ divide per 14. si potes, si enim non potes, illud reliquum erit Epacta quęsita; si autem potes, numerum quotientem adde eidem reliquo, ut habeas Epactam quęsitam, qui numerus quotiens non excedit nnmerum quinarium; Exemplum rem facit clariorem. Allegato Anno 61. Periodi Judaicę, quę incipit Anno Urbis 631. & ante Æram Christi 123. numerus 61. ablata unitate sit 60. qui per 11. multiplicatus exhibet summam 660. cui addita Epacta VIII. Anni primi illius Periodi sit summa 668. a qua ablato 30. quoties fieri potest, reliquum est VIII. deinde eodem numero 61. diviso per 14. numerus quotiens est 4. quo addito pręcedenti reliquuo VIII. sit XII. quę est Epacta predicti Anni 61.

37 Itaque Epacta XII. quippe quę ętatem Lunę, ut alibi notavi, in hoc Cyclo Judaico designat Kalendis Januarii, & Martii, Neomeniam mensis *Nisan* pręsefert Martii die 20. Neomeniam *Jar* die 19. Aprilis; Neomeniam *Sivan* die 18. Maji; Neomeniam *Tamuz* die 17. Junii; Neomeniam mensis *Ab* die 16. Julii; diem vero decimam *Solemnitatis*, Jejunii die 25. Julii, qui Anno Urbis 691. & ante Christi Æram 63. fuit *Sabbatum*, currebat enim litera Dominicalis D. quod erat probandum.

38 Obiicies, quod superius notavi *num.* 14. dubiam scilicet ex eo esse Epactam Anni Urbis 631. & ante Æram Christi 123. quia in Periodum Anno Urbis 715. & ante Æram Christi 39. incæptam, reposita est secunda Cycli Judaici æquatio præseferens (si a prioribus ad posteriora, sive nobis proximiora tempora descendamus) præseferens, inquam, depressionem Epactarum duabus unitatibus. Fieri enim potest, ut Judæi prædictam secundam æquationem posuerint in Annum primum Periodi proxime præcedentis; & consequenter etiam in Annum primum correspectivæ Periodi inceptæ Anno Urbis 967. Æræ autem Christi 214. quo casu Epacta Anni Urbis 631. & ante Christi Æram 123. non fuisset VIII. sed VII. Epacta vero Anni Urbis 967. & Æræ Christi 214. prout consequens est, non fuisset, uti vidimus in Laterculo sub *num.* 35. non fuisset inquam, III. sed II. idque fuisset, quamvis ceteræ omnes Epactæ, in prædicto Laterculo descriptæ, Periodorumque initium designantes ullam Variationem non recipiant, ac propterea dies 25. Julii *Sabbato*, non fuisset dies decima mensis *Ab*, sed dies nona; quemadmodum Calendarium recentiorum Judæorum die nona mensis *Ab* adscriptam retinet prædictam Jejunii solemnitatem.

Respondeo, quod objectum bene procedit in hypothesi, quod ista Jejunii solemnitas *tunc* fuerit usurpata die nona mensis *Ab*, in qua hypothesi prædictæ duæ dumtaxat initiales Epactæ deprimendæ essent unitate, ut dictum est in objecto; & inde firma nihilominus persisterent, quæ circa Historiam hucusque elucubrata sunt. At quoniam prædictæ hypothesi veritas combustionis Templi, cujus causa instituta fuit istius jejunii solemnitas, obstat jam narrata, uti vidimus *num.* 33. a Jeremia Propheta, nec non a Flavio Josepho *de Bello lib.* 7. *cap.* 9. & 10. & e contra, vidimus ex Sancto Epiphanio, apud Judæos omnia esse depravata; ideo dicendum est, quod dubietatem, ex Objecto provenientem, omnino tollit Historia, quæ propter certam Templi combustionem die decimo mensis *Ab*, non patitur ut dies 25. Julii a Judæis dicta fuerit dies nona mensis *Ab*. Quare sub *num.* 14. non dixi absolute, prædictam extare dubietatem, sed — ibi — *nisi aliunde innotescat in quam præcise Periodum apud Judæos inciderit secunda æquatio* —

39 Cum Historia patefaciat, recte, uti supra, locatam esse secundam Cycli Judaici æquationem, fixæ, invariabilesque redduntur Epactæ Anni primi ceterarum Periodorum Judaicarum in superiori Laterculo exhibitæ quippe quæ legitime procedunt juxta primæ æquationis naturam. At nihilominus experiamur an ipsæ Epactæ ceterarum Periodorum in facto exhibeant, quod supponitur.

ALIO EXPERIMENTO CYCLUM JUDAICUM PERICLITAMUR.

40 Antiochus Sydetes Anno Regni sui quarto, principatus autem Joannis Hyrcani primo, scilicet Anno Æræ contractuum 178. qui apud Judeos a mense *Nisan* incipiebat, respondetque Anno Urbis Romæ conditæ 619. & ante Christi Æram 135. Periodi vero Julianæ 4579. Cycli solis 15. Lit. Dom. C. nec non Anno secundo Olympiadis 161. *contra Judæam* accessit; Hierosolymamque obsedit ad Festum usque Umbra-

Umbraculorum, sive Tabernaculorum; quo peracto Festo pacem cum Joanne Hyrcano quibusdam conditionibus iniit, ac deinde soluta obsidione discessit, ut refert Josephus *de Antiq. lib.* 13. *cap.* 8. ubi pro Olympiade 162. legendum est Olympiade 161. Anno secundo; Librariorum enim error irrepsit, ut bene notat Petitus in Eclog. Chronol. *pag.* 23. & licet ipse Josephus accessionem Antiochi contra Judæam contigisse affirmet Anno quarto Regni Antiochi absque ulteriori additamento, intelligi tamen debet de Anno quarto Regni ejus *desinente*; sic enim concordat cum libro primo Machabeorum *cap.* 15. *vers.* 9. *& seqq.* ubi legitur, quod Anno 174. (nempe Æræ contractuum, qui incœpit a mense *Nisan* Anno Urbis 615. & ante Christi Æram 139.) *exiit Antiochus in terram Patrum suorum, & convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti essent cum Triphone*, [qui Syriæ regnum dolo occupaverat], *& insecutus est eum Antiochus Rex, & venit* (nempe Tryphon) *Doram, fugiens per Maritimam ...... & applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus Virorum Belligeratorum, & octo millibus equitum: & circuivit civitatem, & naves a mari accesserunt: & vexabat civitatem a terra, & mari &c.* Res hucusque sine difficultate videtur, consentiuntque celebriores Chronologi.

41 Ipse vero Anthiochus cum in Parthos (sequuntur verba Josephi *loc. cit.*) *expeditionem faceret, eum comitatus est Hyrcanus. De his vero testimonium nobis perhibet Nicolaus Damascenus, ista narrans: At Antiochus erecto trophæo ad Lycum fluvium, cum Indatem Parthorum ducem superasset, illic per biduum subsistit ad preces Hyrcani Judæi, quia forte inciderat patrium quoddam Festum, in quo Judæis non licebat iter facere. Et hæc quidem dicendo non falsus habetur, nam instabat Pentecostes post Sabbatum; atque nobis non licet, aut Sabbato, aut Festo patrio iter suscipere. Antiochus autem commisso prælio cum Phrahate Partho, & magnam exercitus sui partem amisit, & ipse mortuus est. Cæterum Hyrcanus, audita Antiochi morte, confestim in Urbes Syriæ expeditionem suscipit ratus* [*id quod erat*] *inventurum vacuas a propugnatoribus, & defensoribus.*

42 Joseph Scaliger *loc. cit.* hanc Antiochi expeditionem in Parthos, in qua *biduum subsistit ad preces Hyrcani*, reponit in Annum Æræ Contractuum 179. Urbis vero 620. & ante Christi Æram 134. Periodi Julianæ 4580. solis autem 16. lit. Dom. B. Petavius *de Doct. Temp. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 26. *& Tom.* 2. *lib.* 13. ad Annum Periodi Julianæ 4584. egregie Scaligerum arguit, refellitque.

Si vero res ipsa accuratius spectetur, Scaligero obstat solum Historia, quoniam Scaliger, licet ex commentitia methodo, atque ex die solum sexta Sivan Pentecosten haud recte exquisiverit, hoc nihilominus Festum eo Anno contigit post Sabbatum. Ille enim Annus fuit Annus 74. Cycli Judaici, juxta regulam superius traditam præseferens Epactam VII. quæ Neomeniam mensis Nisan signat Martii die 25. feria sexta; Neomeniam Jar die 24. Aprilis, Neomeniam Sivan die 23. Maji, feria secunda, diem vero septimam Sivan, quę tunc erat Pentecostes, die 29. Maji, feria prima, sive Dominica.

43 Hoc namque animadverti debet, quoad Festum Pentecostes, ut regulariter reponatur in diem sextam Sivan; sed quando Neomenia Nisan contingebat feria sexta, quia solemnitas Azymorum tunc con-

tingebat similiter feria sexta, sive die proximo ante Sabbatum, quinquagenarius dierum numerus tunc computandus erat a feria prima, qui est dies 17. Nisan. Textus enim Hebraicus in Levitico *cap.* 23. præcipit, ut ipse quinquagenarius dierum numerus computandus sit -- ibi -- *a crastino cessationis*; & Textus Hebræo Samaritanus -- ibi -- *a crastino Sabbati* --; & ne ullum possit oriri dubium, Textus Hebræus addit, quod a die oblationis Homer ad Festum Pentecostes -- ibi -- *Septem cessationes consummatæ erunt* -- nempe septem Sabbata consummata, idest integra, & præterita: Textus vero Hebræo -- Samaritanus ait -- ibi -- *Septem Sabbata integra erunt* --. Quod si dies oblationis Homer, sive dies, a quo numerandi sunt quinquaginta dies, in casu solemnitatis Azymorum in feriam sextam incidentis, fieret dies 16. Nisan, qui esset Sabbatum, quinquagenarius dierum numerus non computaretur *a crastino cessationis*, sive, ut dicit Textus Hebræo -- Samaritanus *a crastino Sabbati*, sed ab ipsomet die cessationis, & Sabbati & insuper a die oblationis Homer ad Festum Pentecostes non essent *septem cessationes consummatæ*, sive, ut dicit Textus Hebræo -- Samaritanus non essent *septem Sabbata integra*, sed sex tantum consummatæ cessationes, sive sex tantum Sabbata integra. Hisce concordant verba Levitici *cap.* 23. *vers.* 10. quæ clare manifestant, quod Judæi, quando metere primo debebant segetes, ut hæ ferrentur ad Sacerdotem, nullum præceptum habebant, quo eis fuerit aliquo modo prohibitum *metere*; -- ibi -- *cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis* --. Cum ergo Judæis die Sabbati prohibitum expresse fuerit -- *metere* -- Exod. *cap.* 34. *vers.* 21. atque -- *egredi de loco suo* -- Exod. *cap.* 16. *vers.* 29. nullo modo dici potest, quod Judæi potuerint *metere* die secunda Azymorum, nempe die decima sexta Nisan concurrente cum die Sabbati. Quapropter in hoc solo casu quinquagenarius dierum numerus computandus erat a die 17. Nisan; & ab hoc die, in quo Judæis prohibitum non erat *metere*, & qui proprie erat *crastinus cessationis*, sive *crastinus Sabbati*, & demum a quo *septem cessationes consummatæ*, sive *septem Sabbata integra* de facto numerabantur usque ad Pentecosten positam die septimo mensis *Sivan*, quinquagenarius dierum numerus concurrebat cum septima die Sivan. Hinc vero resultat, quod Adventus Spiritus Sancti contigit die Dominico, quamvis Anno emortuali Christi solemnitas Azymorum, sive luna decima quinta Nisan advenerit feria sexta.

44 Regrediens unde discessi, Petavius, confutato Scaligero, prædictam expeditionem in Parthos reponit in Annum Periodi Julianæ 4584. ante Æram Christi 130. Urbis vero conditæ 624. Olympiade 162. Anno 3. Solis denique 20. lit. Dom. D. Mortem autem Antiochi Sydetis in Annum tunc sequentem rejecit. Hæc tamen Petavius non absolute profert, sed dicit certum esse -- ibi -- *circa hoc tempus expeditionem Parthicam Antiochi, & Hyrcani contigisse* --; ac fieri posse, ut ille Annus fuerit Embolimæus, sextaque dies Sivan incurrerit in 14. Junii feria prima. Revera id fieri non potuit. Tempora enim a Petavio designata retrorsum versus computans, deprehendo, quod Neomenia Sivan contigisset die 9. Junii; Neomenia Jar die 11. Maji, Neomenia Nisan die

die 11. Aprilis; Neomenia Veadar, quæ mensem Embolismalem apud Hebræos designabat, advenisset die 12. Martii, cujus quartadecima contigisset die 25. Martii, ac propterea juxta doctrinam etiam, quam Petavius *loc. cit.* allegat, fieri non potuit Embolismalis, sive ultimi mensis Anni sacri præcedentis. Hipparcus enim, qui illo præciso tempore florebat, Æquinoctium vernum observavit die 23. Martii; Annis vero tertiis post Bissextum die 24. Martii circa ortum solis, uti clarum est apud Astronomos. Quo die igitur Petavius Neomeniam Veadar ponit, Neomenia mensis Nisan necessario affigenda esset; ac propterea in hac hypothesi Neomenia Nisan contigisset die 12. Martii, feria quinta; Neomenia Jar die 11. Aprilis; Neomenia Sivan die 10. Maji; sexta denique dies Sivan advenisset die 15. Maji feria sexta.

45 Ricciolus, Vallemontius, Pagi, & alii id, quod Petavius non absolute, uti supra, docuit, absolute ponunt, sed ne verbum quidem proferunt, an chronologica nota *Pentecostes post Sabbatum* cum illo Anno concurrat.

46 Re itaque serio expensa invenio, quod Antiochus Sydetes eodem Romano Anno expeditionem in Parthos suscipere non potuit, atque a Phrahate Partho occidi; & insuper Festum Pentecostes prædicto Anno Urbis 624. & ante Æram Christi 130. nec fuit, nec esse potuit post Sabbatum. Hic enim Annus concurrit cum Anno 78. Cycli Judaici, cujus initium fuit Anno Urbis 547. & ante Æram vulgarem 207. ac propterea adhibita regula superius tradita, Annus Urbis 624. & ante Christi Æram 130. insignitus fuit Epacta XXI. quæ Neomeniam Nisan ostendit Martii die 11. feria quarta; Neomeniam Jar die 10. Aprilis; Neomeniam Sivan die 9. Maji; diem sextam Sivan, quæ regulariter est Festum Pentecostes, die 14. Maji, feria quinta. Hinc patet, quod ne potuit quidem prædictum Festum contingere post Sabbatum; id enim possibile solum erat, quando Neomenia Nisan contingebat die Sabbati, aut saltem feria sexta, quam recentiores Judæi studiosa arte perpetuo excludunt a designatione Neomeniæ mensis Nisan.

47 Quod autem Antiochus eodem Romano Anno expeditionem in Parthos suscipere non potuerit, atque a Phrahate Partho occidi, patet ex eo, quia ipse obiit circa finem mensis Februarii. Hoc quidem Josephus *loc. cit.* atque Paulus Orosius *lib.* 5. *cap.* 10. silentio prætereierunt. Justinus tamen *lib.* 38. *in fine* clare manifestat. Hic enim Historicus narrat, quod Antiochus Sydetes tribus præliis victor, occupata Babylonia, multisque Orientalibus Regibus, se, regnaque sua illi tradentibus *cum execratione superbiæ Parthicæ*, ac etiam omnibus populis ad eum deficientibus, adeo ut nihil Parthis reliqui, præter patrios fines, fuerit, — *exercitum suum per Civitates in hyberna diviserat; quæ rei exitii causa fuit. Nam cum gravari se copiarum præbitione, & injuriis militum Civitates viderent, ad Parthos deficiunt; & die statuta omnes apud se divisum exercitum per insidias, ne invicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. Quæ cum nuntiata Antiocho essent, auxilium proximis laturus cum ea manu, quæ secum hyemabat, progreditur. In itinere obvium Regem Parthorum habuit, adversus quem fortius, quam exercitus ejus, dimicavit. Ad postremum tamen cum virtute hostes vincerent, metu suorum desertus, occiditur: cui Phrahates exequias regio more fecit* —. Antiochus ergo occisus fuit circa finem Februarii, quamvis

obitus

obitus ejus diversitatem, quoad rem nostram, non pariat, si reponatur etiam in mensem Januarium, a quo initium habet Annus Romanus. Mortem enim Antiochi primo præcessit distributio illius magni Exercitus per Civitates in hyberna, deinde aversio omnium Civitatum, quæ nisi lapsu temporis oriri non poterat, propter gravamen singulis illatum præbitione copiarum, & propter militum injurias; postremo universalis assensus omnium Civitatum in defectione ad Parthos, in aggressione militum, quos singulæ Civitates in hyberna receperunt; ac denique in statuenda aggressionis ratione, ac die; quod profecto nisi longioris temporis lapsu fieri non poterat.

Hisce concordant, quæ Josephus refert de Hyrcano, qui — *audita Antiochi morte confestim in Urbes Syriæ expeditionem suscepit* —. Congruo enim tempore Hyrcanus hujusmodi expeditionem suscepisset, reposita, uti supra Antiochi morte circa finem mensis Februarii.

48 Bene ergo prædicti omnes insignes Chronologi in diversum Romanum Annum reponunt Antiochi expeditionem in Parthos, & ejusdem Antiochi mortem. Sed cum isti omnes cum Eusebio *in Chronico*, & Porphirio in Græcis Eusebianis doceant, consentiente Josepho Scaligero apud Petavium *loc. cit.* quod Antiochus Sydetes regnavit Annis novem; hinc fit, ut ipsemet Antiochus Anno Urbis Romæ conditæ 624. & ante vulgarem Christi Æram 130. objerit, hoc enim Anno complesset Annum Regni sui nonum, paucis nempe mensibus post ipsius mortem. Anno namque ante vulgarem Christi Æram 135. contra Judæam accedens, explevit, ut dictum est, Annum Regni sui quartum; Anno 134. absolvit Annum Regni sui quintum; Anno 133. clausit Annum Regni sui sextum, Anno 132. finivit Annum Regni sui septimum; Anno 131. complevit Annum Regni sui octavum. Anno igitur Urbis Romæ conditæ 624. & ante vulgarem Christi Epocham 130. paucis mensibus post ipsius mortem nonum regni sui Annum absolvisset. Quamobrem necessario sequitur, quod ipse expeditionem in Parthos suscepit, atque *per biduum substitit ad preces Hyrcani Judæi* Anno proxime antecedenti, nempe Urbis conditæ 623. & ante vulgarem Christi Æram 131. Periodi Julianæ 4583. atque Anno secundo Olympiadis 162. solis 19. Lit. Domin. E. quemadmodum in hunc Annum doctissimus Calmet *in Hist. Veteris, ac novi Testam lib. 6. pag. 111.* recentioris editionis Lucensis, expeditionem Antiochi in Parthos reponit, mortem vero ejus in Annum proxime sequentem, licet nihil proferat de Festo Pentecostes.

49 Dico igitur, quod prædictus Annus Urbis 623. & ante Æram vulgarem 131. est Annus 77. Cycli Judaici ac propterea, juxta regulam superius traditam, tunc in usu fuit Epacta x. quæ Neomeniam mensis *Nisan* signat die 22. Martii Sabbato; Neomeniam *Jar* die 21. Aprilis Neomeniam *Sivan* die 20. Maji; diem vero sextam *Sivan*, quæ regulariter erat Festum Pentecostes, die 25. Maji, feria prima, sive Dominica, quod erat probandum.

TERTIO EXPERIMENTO CYCLUM JUDAICUM PERICLITAMUR.

Experimentis de tempore ante Incarnationem Cyclum ipsum periclitati sumus, constantemque deprehendimus, nunc eundem Cyclum experimur

periamur tempore Christi. Sanctus Lucas *cap.6. vers.* 1. sic ait — *Et factum est Sabbato secundo, primo, cum transisset* (Jesus) *per Sata, vellebant discipuli ejus spicas, & manducabant confricantes manipulos* —. Ista Sancti Lucę verba adeo occuparunt primaria Ecclesię ingenia, ut plurimę circa eorum interpretationem hucusque editæ sint sententiæ inter sese diversæ, quas omnes ad evidentiam usque confutavi in alio meo Opere, cujus Titulus est — *De Christo suum ultimum Pascha cum Judæis celebrante, simulque de vero Anno Incarnationis, & Passionis ejusdem D. N. J. C.* — atque ibidem *cap.* 7. evidenter patefeci, hæc verba — Sabbato secundo, primo — esse notam Chronologicam, nihilque aliud posse designare, nisi Sabbatum primum mensis Sivan, cui proxime præcesserit ejusdem mensis Neomenia, cujus causa ipsum Sabbatum primum, utpote proxime succedens Neomeniæ per Analogiam *Sabbatum* appellatæ, dicebatur etiam secundum; ac denique ad nullum alium Annum spectare, nisi ad Annum, cui affigendum est primum Pascha post Christi Baptismum; quem Annum insuper ibidem patefeci, fuisse Annum 28. Æræ vulgaris. Hisce omnibus evidenter discussis, Cyclum ipsum experimento commisimus, deprehendimusque, quod ipse Neomeniam mensis Sivan Anno 28. Æræ vulgaris indixit die 14. Maji feria sexta, id quod nulli alteri Anno congruit. Constat igitur, prædictum Cyclum etiam cum Evangelio præcise concordare.

QUARTO EXPERIMENTO CYCLUM JUDAICUM PERICLITAMUR.

Sanctus Joannes *cap.*7. loquens de Festo Tabernaculorum Romani illius Anni, cui secundum Christi Pascha affigimus, & qui proxime præcessit Romanum Annum Passionis Christi, postquam narravit *vers.* 4. — *Erat autem dies Festus Judæorum, scenopegia* — *& vers.* 10. — *Et ipse* (Jesus) *ascendit ad diem Festum* — Sic prosequitur *vers.* 14. — *Jam autem die Festo mediante ascendit Jesus in Templum, & docebat* — De ista nota Chronologica die Festo mediante — non pauca loquuti sumus in alio meo Opere nuper allegato *cap.* 8. atque ibidem explicatis, confutatisque iis, quæ oportebant, ostenditur, notam illam significare diem quartum Scenopegiæ concurrentem cum Sabbato. Inter septem enim Scenopegiæ dies, medius dies est quartus ejusdem Scenopegiæ. Cyclus itaque Judaicus in experimentum commissus indixit Romano Anno 29. Æræ vulgaris, cui ostendimus affigendum esse secundum Christi Pascha post Baptismum & qui proxime præcedit Romanum Passionis Christi Annum; indixit, inquam, Festum Scenopegiæ, sive Tabernaculorum feria quarta; quartum vero diem istius Festi proclamavit *Sabbato*; id quod nulli alteri Anno congruit. Confirmatur ergo prædictum Cyclum etiam cum Evangelio præcise congruere.

QUINTO EXPERIMENTO CYCLUM JUDAICUM PERICLITAMUR.

Sanctus Lucas *cap.* 22. disserens de feria quinta proxime ante Crucifixionem Christi, diem ipsam feriæ quintæ obsignavit hac nota Chrono-

Chronologica -- *in qua* (die feriæ quintæ) *necesse erat occidi Pascha* -- Circa hanc notam non pauca loquuti sumus in alio meo Opere paulo superius allegato *cap.* 9. ostendimusque significare, Anno Passionis Christi Paschalem quartam decimam, in qua secundum divinum præceptum in Exodo *cap.* 12. immolandus erat Agnus Paschalis, tam secundum cœlestes motus, quam secundum Cyclum contigisse feria quinta. Alterutro enim ex hisce discordante non adfuisset ista necessitas. De facto sub hujusce Dissertationis initium jam vidimus, quod Anno Passionis Christi trigesimo Æræ vulgaris quarta decima Paschalis, tum secundum cœlestes motus, tum secundum prædictum Cyclum contigit feria quinta; id quod nulli alteri Anno congruit, ex iis omnibus, quibus Pontius Pilatus Judæam procuravit. Confirmatur ergo Cyclum ipsum fortius cum Evangelio præcise concordare.

SEXTO EXPERIMENTO CYCLUM JUDAICUM PERICLITAMUR.

50 . Experimento vidimus, quam certa sit methodus, quam de Judaico Cyclo exhibui; nihilominus, si eam ulterius periclitari velimus, constantem esse deprehendemus. Anno Urbis conditæ 819. Vulgaris autem Æræ Christi 66. Cycli solis 19. Lit. Dom. E Telesino & Paulino Coss. Cestius Syriæ Præses Liddam a Hierosolyma M. P. 32. distantem aggressus est, atque incendit; invenerat enim eam vacuam, nam (sunt verba Josephi de Bello Jud. *lib.* 2. *cap.* 23.) *propter Scenopegiorum* [nempe Tabernaculorum] *dies Festos in Hierosolyma populus omnis ascenderat*. Deinde ipse Cestius exercitum movit contra Jerusalem. At Judæi -- *omissis* (ut ait ipse Josephus *loc. cit.*) *dierum Festorum solemnibus ad arma properabant*; *satisque freti multitudine incompositi ad pugnam*, *&* *cum clamore prosiliebant*, *ne dierum quidem septem habita ratione feriatorum*; *erat enim Sabbatum*, *quod apud eos religione maxima curabatur*. *Idem autem furor*, *qui eos ab obsequio pietatis emoverat in prælio quoque superiores effecit*. *Tanto namque impetu Romanos aggressi sunt*, *ut eorum & aciem perrumperent*, *viaque aperta cædibus in medios ruerent*. *Ad postremum tamen a fronte repulsi sunt Judæi* --. Hæc igitur Romanorum clades fuit Sabbato inter Tabernaculorum ferias contingente. Josephus *loc. cit.* *&* *cap.* 24. undecim dies deinde recenset usque ad finem mensis, septem scilicet explicite, & quatuor implicite, ac propterea illud Sabbatum fuit dies 19. mensis Tisri. Cestius enim hostibus intra Mœnia compulsis, *triduo in agris moratus est*, & interim Judæi loca superiora occuparunt, die scilicet 20. 21. & 22. Tisri. Dum Rex Agrippa, qui cum auxiliaribus copiis in Romana castra descenderat, *ne Romanos quidem a periculo tutos esse perspiceret*, *verbis Judeos experiri decrevit* .... *misitque ex comitibus suis Borceum*, *&* *Phæbum*, *quos illis sciebat notissimos*, *ut a Cestio fœdus amicitiæ*, *certamque pro peccatis a Populo Romano veniam pollicerentur*, *si projectis armis secum sentire voluissent* --. En prima ex quatuor diebus a Josepho implicite recensitis; alteram diem per hæc verba Josephus designat -- *verum seditiosi metu*, *ne cuncta multitudo spe securitatis ad Agrippam sese conferret*, *legatos obtruncare statuerunt*; *&* *Phæbum quidem*, *prius quam verbum*

verbum fateret, peremerunt, nam Boreæus vulneratus effugit: populares autem hoc indigne ferentes factum, cædendo jussilus, atque lapidibus in Oppidum compulerunt. Tertiam diem Josephus hisce verbis ostendit — *Cestius vero, quia intestinam eorum discordiam opportunam ad irruendum tempus invenit, totum in eos duxit exercitum inque fugam versos, usque ad Hierosolymam persecutus est.*

51 Eminentiss. Noris de Epochis Syromacedonum *Dissert.* 1. *cap.* 3. §. *Ægidius &c. pag.* 61. Neomeniam mensis Nisan, a qua deducit Neomeniam mensis Tisri, adscribens diei novilunii medii, quod ad Meridianum Jerusalem tunc contigit Martii die 14. hor. 12. min. 10. & sec. 47. post meridiem, adscribens, inquam diei 15. Martii, affirmat quod — *hæc biduo contigère.* Si ipse vir insignis rem singulis diebus, uti feci, assignasset, aut saltem Neomeniam mensis Nisan; prout veterum Judæorum Auctoritates *Quæst.* 3. allegatæ, ac etiam recta positio quartæ decimæ Paschalis exigit, adscripsisset, utique agnovisset, quod hæc non biduo, sed triduo contigère.

52 Quartam denique diem ipsemet Josephus enumerat per hæc immediate sequentia verba — *Castris autem in loco positis, qui appellatur Scopus, intervallo septem stadiorum a Civitate discedens* —. Hi quatuor dies si addantur prædicto triduo, quo Cestius in agris commoratus est, fiunt dies septem, & sunt 23. 24. 25. & 26. Tisri. Subdit deinde Josephus, quod Cestius — nihil per triduum adversus Oppidum conabatur, sperans fortasse intus degentes aliquid remissuros. *In vicos autem circa Civitatem non parvam militum manum ad rapienda Frumenta divisit* —. Hic triduus fuit dies 27. 28. & 29. Tisri. Josephus denique sic ait — *Quarta autem die, quæ erat trigesima mensis Hyperberetæi &c.* —. En finis mensis Tisri, quem Josephus nomine mensis Macedonum appellat Hyperberetæum, quemadmodum ipse de Antiq. *lib.* 3. *cap.* 3. scripsit, solemnia Scenopegiæ annua religione celebrari — *Septimo mense, quem Macedones Hyperberetæum vocant*; & *lib.* 8. *cap.* 2. ait, quod septimus mensis dicitur — Macedonibus Hyperberetæus; inciditque in idem tempus Scenopegia, Festum apud Hebræos Sanctissimum, & maximum.

53 Comperto itaque, quod post illud *Sabbatum*, in quo memorata Romanorum clades contigit, dies tantum undecim supererant mensi Tisri, certum est, illud *Sabbatum* contigisse die 19. ejusdem mensis Tisri. His positis experiamur, an prædicto Anno Urbis 819. Æræ autem vulgaris 66. dies 19. Tisri advenerit *Sabbato*. Hic Annus est vigesimus primus Cycli Judaici, in quo currebat, ut dictum est litera Dominicalis E. & juxta regulam superius traditam in usu fuit Epacta XVI. quæ Neomeniam mensis *Nisan* designat Martii die 16. Neomeniam *Jar* die 15. Aprilis, Neomeniam *Sivan* die 14. Maji; Neomeniam *Tamuz* die 13. Junii; Neomeniam mensis *Ab* die 12. Julii; Neomeniam mensis Elul die 11. Augusti; Neomeniam Tisri die 9. Septembris; diem vero 19. Tisri præsefert die 27. Septembris *Sabbato*; quod erat probandum.

SEPTIMO EXPERIMENTO CYCLUM JUDAICUM PERICLITAMUR.

Quamvis expofita experimenta abundent pro allegati Cycli veterum Judæorum confirmatione, nihilominus cum alia quædam apud veteres fcriptores extent, quibus Cyclum ipfum periclitari poffumus; ideo operæ pretium duxi, ipfa quoque non omittere, ne tacuiffe videar, quæ defignationi ejufdem Cycli forfan non refponderent. Flavius Jofephus præcife loquutus eft de die Pafchæ Judæorum Anni 70. Æræ vulgaris. Jofephi verba diverfi diverfe interpretati funt, pauci tamen germanum eorum verborum fenfum ediderunt, qui ex Græco textu clarior apparet. Sed cum de hoc Pafchate fermonem habere occurrerit in preallegato meo Opere -- *De Chrifto fuum ultimum Pafcha cum Judæis celebrante &c.* cenfui rem faftidio Lectoris hic non effe repetendam. Quare ibidem *cap.* 35. re mature difcuffa, & a diverfis controverfiis vindicata, conftat, prædictum Cyclum præcife cum Flavio Jofepho concordare.

OCTAVO EXPERIMENTO CYCLUM JUDAICUM PERICLITAMUR.

In præallegato meo Opere *cap.* 37. etiam fermonem habere oportuit de die, quo Romani milites juffu Titi Anno 70. Æræ vulgaris flammas Portis Templi admoverunt. Quem diem Flavius Jofephus refert fuiffe, ut ibidem patet, octavum menfis *Ab*. Rabbi autem Jofe, qui ante tempus, ac tempore Imperii Hadriani floruit, eundem diem fignat cum *die Sabbati*, quemadmodum ibidem late difcuffum eft. Inftructo itaque computo, ibidem patet, quod prædictus Cyclus diem octavum menfis *Ab* proclamat die Sabbati, ut dixit Rabbi Jofe.

RES NOTATU DIGNISSIMA.

Dum retulimus veteris Cycli Judaici confonantiam cum notis Chronologicis etiam de tempore Everfionis Jerufalem, filentio prætereundam non effe cenfui celebrem inter Chronologos controverfiam de die, quo ipfa Civitas capta fuit. Dio enim refert, captam a Romanis fuiffe Jerufalem *die Sabbati*, Flavius vero Jofephus *de Bello lib.* 7. *cap.* 18. fic ait — *Hierofolima capta eft ...... Gorpiæi menfis octavo die* --. Student Chronologi diem octavum Gorpiæi menfis affignare, ac etiam cum die Sabbati componere: Neutrum tamen affequuti funt, nifi qui Gorpiæum menfem folo nomine differre a Romano Septembre exiftimarunt. Ifto enim Anno 70. Æræ vulgaris in orbem rediit litera Dominicalis G. quæ diem octavum feptembris oftendit incidere in Sabbatum. Quare hujufmodi controverfiam aggreffus, certo comperii, plura Flavii Jofephi verba *loc. inferius cit.* allegata, non pati, ut Jofephus ipfe accipere potuerit Gorpiæum menfem fyromacedonum, pro Romano Septembre, fed illum acceperit pro Judaico menfe Elul; cujus Neomenia eo Anno contigit Augufti die 27. feria fecunda; dies vero octa-

vus

vus ejusdem mensis Elul die 3. Septembris, feria secunda. Similiter certo comperii verum esse, quod putavit Norisius, Dionem, scilicet, errasse, obsignantem, captam a Tito fuisse Jerusalem *die Sabbati*. Id enim evidentibus, ac profecto non obviis demonstrationibus, etiam ex eodem Dione exceptis, patefeci in allegato meo Opere *cap.* 16. *num.* 224. *& seq.* Cum igitur prædictus Cyclus in hoc non concordet cum Dione; id non in reprehensionem, sed in ejusdem Cycli perfectionem refundi debet.

NONO EXPERIMENTO CYCLUM JUDAICUM PERICLITAMUR.

54 Transgrediamur ad milites cœlestis Jerusalem, & ex tempore, quo isti passi sunt, quæ protulimus, confirmemus. Magna quidem est inter celebriores scriptores controversia de die, atque de Anno, in quo Sanctus Polycarpus Smyrnæ Episcopus Martyrio coronatus est. Rationem, qua diversæ ortæ sunt opiniones, earumque robur faciliter assequemur, si notas chronologicas scriptas in fine Epistolæ Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio Sancti Polycarpi referamus ex græco textu apud Cotelerium *tom.* 2. *pag.* 201. – ibi – *Martyrium autem passus est beatus Polycarpus Xanthici mensis ineuntis die secundo, ante septimum Kalendas majas, magno Sabbato, hora octava ..... Proconsule Statio Quadrato* – In vetustissima ejusdem Epistolæ versione latina apud Ruinart in Actis primorum Martyrum sinceris *pag.* 36. legitur – *Martyrium Sancti Polycarpi mense Aprili, septimo Kalendas Maji, majore Sabbato, hora octava ...... Procons Statii Quadrati*.

55 Præterita sententia Eduardi Livelerii a Valesio in notis ad Eusebium *lib.* 4. *Hist. Eccles. cap.* 15. relata, quam merito refellit Usserius *loc. inferius cit.* Valesius *loc. cit.* strenue contendit, Sanctum Polycarpum passum esse die 23. Februarii Anno Æræ vulgaris 167. Dies quidem 23. Februarii concurrit cum die secundo mensis Xantici juxta typum Anni, quem Macedonum Asianorum fuisse constat. Secundum hanc Valesii sententiam nota chronologica – *Sabbati Magni* – non concordat, neque concordare potest, multoque minus concordat alia nota – *septimo Kalendas Majas* – quæ a Valesio, sine autentico documento commutatur – *in septimum Kalendas martias* –.

56 Valesius tamen animadvertit, quod Festum Sancti Policarpi Smyrnensibus contingebat die 23. Februarii, indeque confirmat, Sanctum Martyrem igni addictum fuisse die 23. Februarii. Sed quot Festa Sanctorum Martyrum diverso die recoluntur? Exemplo sit Festum Sancti Jacobi Apostoli, qui, uti constat ex Libro Actuum Apostolorum *cap.* 12. passus est circa Festum Paschæ, & tamen Natalis ejus memoria die 25. Julii celebratur. Sic dies natalis Sancti Polycarpi translatus fuit in diem 23. Februarii, ea præcipua ratione, quia mere commemorativus est, ac propter hebdomadam Paschæ quandoque impeditus occurrisset. Nec aliter intelligenda sunt, quæ verba leguntur initio Actuum Sancti Pionis Martyris apud Smyrnam Præsbiteri Anno Æræ vulgaris 250.

57 Quod attinet ad Annum 167. a Valesio assignatum, in isto Anno in orbem rediit litera Dominicalis E. quæ patefacit diem 23. Fe-

bruarii tunc ne fuisse quidem Sabbatum, sed Dominicam.

58 Id animadvertentes Pagi *tom.* 1. *ad Annum* 167. atque Eminentiss. Noris *de Epochis Syromacedonum Dissert.* 1. *cap.* 2. §. *Postrema &c. & seqq. pag.* 28. reposuerunt Marttyrium Sancti Polycarpi in Annum 166. ut dies 23. Februarii in Sabbati diem tunc coincideret. Quid vero circa hunc Annum occurrat, videbimus infra.

59 Solum adnotabimus, Eusebium non sine errore propter diei Sabbati dissonantiam reposuisse Martyrium Sancti Polycarpi in Annum 167. ac similem irrepsisse errorem in Chronico Alexandrino, quod Martyrium istud reponit in Annum 164. præterita enim nota -- *diei secundæ Xanthici* --, neque memorata nota -- VII. *Kalendas Majas* -- absolute refert *pag.* 206. Sanctum Polycarpum passum esse -- *septimo Kalendas Aprilis* --. Dies enim 26. Martii tunc fuit Dominica, non autem Sabbatum, Anno namque 164. in orbem rediit litera Dominicalis B.A.

60 Ægidius Bucherius *in Comment. Cycl. Vict. Aquit. pag.* 417. docet, Sanctum Polycarpum passum esse die 26. Martii Anno 169. *Sabbatumque magnum* denotare diem Sabbati contingentem altero ex diebus Azymorum, ac denique illud tunc fuisse diem ipsum solemnitatis Azymorum, quæ erat luna decima quinta. Sed silentio præterit illam notam -- *Xanthici mensis ineuntis die secundo* -- atque aliam notam -- VII. *Kalendas Majas* --; inhærens notæ Chronici Alexandrini nuper allegati, quamvis, uti supra, aberrantis, atque ab eo discedens quoad Annum. Insuper Azymorum solemnitatem, sive lunam quintamdecimam eo Anno 169. ponit die 26. Martii. At quomodo hic dies, qui toto quatriduo præcedit plenilunium, concurrere potuit cum Luna quinta decima? Medium enim Plenilunium ad meridianum Romanum tunc contigit Martii die 30. hor. 3. min. 3. & sec. 43. post meridiem.

61 Usserius *cap.* 3. *de Anno Macedonum* contendit, Sanctum Polycarpum passum esse die 26. Martii Anno 169. sed ex diverso motivo. Dicit enim, quod Smyrnenses initium sui Anni accipiebant a mense Hyperberetæo; ac propterea dies secundus mensis Xanthici concurrebat cum die 26. Martii. Illam denique corrigens Epistolæ notam -- VII. *Kalendas Majas* -- commutat in VII. *Kalendas Aprilis*, juxta descriptionem Chronici Alexandrini, cujus auctor est circa septimum Christi sæculum, & in quo error; uti supra, circa Annum etiam irrepsit.

62 Negat insuper Usserius id, quod putavit Bucherius, nempe diem illum ex concursu alterius ex diebus Azymorum appellari posse *Sabbatum Magnum*, ac dicit, istud apud Christianos, Pascha die Dominico peragentes, esse Sabbatum proxime ante Dominicam Paschæ; ac propterea apud Smyrnenses, qui Paschæ Festum celebrabant die quartodecimo Lunæ, in quemcunque septimanæ diem incidente, erat Sabbatum ante Lunam quartamdecimam, quæ cum Anno 169. inciderit in diem 30. Martii, feria quarta, consequens est Smyrnensibus ipsum Sabbatum magnum fuerit dies 26. Martii Sabbato.

63 Usserii sententiam secuti sunt Toinard, & Pearson, quos refert Tillemont in *Hist. Eccles. tom.* 2. *in notis pag.* 637. & respective *pag.* 639. *& seqq.* sed ab Usserio dissident quoad Annum, dicentes, Sanctum Polycarpum passum esse Anno 147. Pearson hoc addit, possibile esse,

esse, ut passus sit Anno 158. quia eædem notæ, quas superius designat Usserius, huic etiam Anno conveniunt, contendit tamen passum esse Anno 147. Æræ vulgaris; nam attenta Sancti Polycarpi ætate bene animadvertit, credibile non esse, ut Sanctus Polycarpus, qui *cum Joanne Domini nostri Discipulo* (sunt verba Sancti Irenæi ad Sanctum Victorem Papam apud Eusebium in *Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 24.) *& cum reliquis Apostolis quibusdam familiariter vixerat* —; & qui ab ipso Sancto Joanne (ut inquit Tertullianus de *Præscrip. cap.* 32. & Sanctus Hieronymus in *Catalogo scrip. Eccles.*) ordinatus fuit Smyrnæ Episcopus, passus sit, nisi Anno 147. in quo prædictæ Usserii notæ concurrunt. Sanctus enim Joannes Apostolus mortuus est post Christi Passionem Anno 68. & consequenter Anno Æræ vulgaris 98. vel, ut inquit Petavius in Chronologia, Anno 99. Sanctus vero Polycarpus Anno ætatis suæ 86. Martyrium subiit, ut ipse dixit, ac legitur in vetustissima versione latina allegatæ Epistolæ Ecclesiæ Smyrnensis — *octogesimum jam, & sextum Annum ætatis ingredior*; in textu autem græco ejusdem Epistolæ legitur — *octoginta, & sex Annos habeo serviens ipsi* —. Fateor græca verba in latinum sermonem hoc etiam modo verti posse — *octoginta, & sex Annos servio ipsi* —. Epistolæ tamen contextus hanc postremam verborum expositionem non admittit, suadetque priorem, & confirmat vetustissimam versionem latinam ejusdem Epistolæ. Sub numero enim 5. prædictæ græcæ Epistolæ hæc verba leguntur — *Volebat* [nempe Sanctus Polycarpus] *in urbe manere. Plures tamen ei persuaserunt, ut secederet, & secessit in angulum non multum dissitum a Civitate* —; & sub *num.* 6. — *instantibus autem qui quærebant eum, migravit in aliam villam* — & sub num. 7. *poterat quidem in aliud prædium abire, sed noluit dicens, fiat voluntas Domini*. Quæ sane verba homini annos ætatis centum habenti, quotos & iis amplius Sancto Polycarpo tempore martyrii tribueremus, quoties comminiscimur, ipsum Sanctum Martyrem, ex quo discipulus Apostolorum fuit, servisse Christo octoginta & sex Annis, tribuenda non esse videntur, nisi aliunde constet in contrarium; eoque fortius tribuenda non sunt, tum quia græca verba priorem interpretationem non abhorrent, tum quia memorata versio latina facit saltem auctoritatem æque, ac vetustissimi Scriptoris. Nemo enim hujusmodi versionem ita edidisset, si suo Ævo Traditio aliter prætulisset de ætate Sancti Martyris.

64 Experiamur, an Cyclus Anno 147. 158. & 169. in quos Usserius, & respective Pearson, & Toinard reponunt martyrium Sancti Polycarpi, designet *Sabbatum* ante quartamdecimam Paschalem, quod nobis est Sabbatum ante Dominicam Palmarum, designet, inquam, die 26. Martii. Anno 169. secundum regulam superius traditam exhibet Epactam xv. quæ Neomeniam Paschalem die 17. Martii, die autem 30. quartamdecimam prodit feria quarta, in usu enim fuit litera Dominicalis B. ac propteria dies 26. Martii fuit *Sabbatum* ante Dominicam Palmarum. Anno 158. exhibet Epactam XIV. quę Neomeniam Paschalem designat Martii die 18. quartamdecimam vero die 31. feria quinta, in orbem enim rediit eadem litera Dominicalis B. quę *Sabbatum* ante Dominicam Palmarum tunc producit die 26. Martii. Anno denique 147. exhibet Epactam XII. quę Neomeniam Paschalem proclamat Martii die 20. quartamdecimam vero die secundo Aprilis Sabbato;

to; recurrebat enim eadem litera Dominicalis B. ac propterea Sabbatum ante Dominicam Palmarum fuit dies 26. Martii.

65 Verumtamen, si verum fateri debeam, quamvis Cyclus, quem experimento commisimus, omnino firmus appareat, nihilominus prędictorum clarissimorum Virorum sententię adhęrere non possum. Primo, quia notam Chronologicam VII. *Kalendas Majas* commutant in septimum Kalendas Aprilis; quę commutatio fieri nunquam debet, quando res opportune explicari potest secundum literam. *Secundo*, quia etsi *Sabbatum*, quod nuncupamur *Sanctum*, apud Catholicos dici possit – *Magnum* – utpote contingens in hebdomada, quam – *Majorem* vocamus; ac re ipsa sic appellatur in libro quinto Constitutionum Apostolicarum *cap. ult.* cujus titulus inscripta habet hæc verba – *De Magni Sabbati pervigilio, ac de die Resurrectionis Domini* –; nihilominus Sabbatum illud, quod nos dicimus ante Dominicam Palmarum, & Quartadecimanis erat proximum ante diem sui Paschæ, *Magnum* appellari nequit, neque apud Qartadecimanos, tum quia istis non erat pervigilium Paschæ, ut per se patet, tum quia Quartadecimani, quippe qui ritum Judaicum usurpabant, a Judæis non diffidebant in denominatione *Sabbati Magni*, ac propterea illud Sabbatum appellabant *Magnum*, quod intra septem Azymornm dies adveniebat, uti constat ex Evangelio Sancti Joannis *cap.* 19. *vers.* 31. *Tertio*, quia possibile non est, ut *Sabbatum* contingens die VII. *Kalendas Majas* concurrerit cum Sabbato ante Dominicam Palmarum. Primi namque mensis amplitudo evidenter ostendit, ut quartadecima Paschalis ne potuit quidem contingere, nisi pluribus diebus ante diem 25. Aprilis. Cum ergo iste dies 25. Aprilis, in quo Sanctus Polycarpus Martyrium subiit, fuerit – *Sabbatum Magnum* –, non potuit esse, nisi Sabbatum illud, quod in altero ex diebus Azymorum contingit juxta allegatum Textum Sancti Joannis.

66 Quod attinet ad notam – *Xanthici mensis ineuntis die secundo* – res explicari nequit, nisi saltem breviter agamus de Anno Macedonum Asianorum.

DE ANNO MACEDONUM ASIANORUM.

67 Typum hujus Anni primo edidit Usserius, ac deinde Eminentiss. Noris de Epochis Syromacedonum *Dissert.* 1. *cap.* 2. ubi sic jacet.

Menses

Menses		Dierum	Ineunt Anno simplici	Ineunt Anno Bissextili
Primus	Dius	30	24 Septembris	eodem modo
Secundus	Apellæus	30	24 Octobris	
Tertius	Audinæus	31	23 Novembris	
Quartus	Peritius	30	24 Decembris	
Quintus	Dystrus	30	23 Januarii	(eodem
Sextus	Xanthicus	31	22 Februarii	(modo
Septimus	Artemisius	31	25 Martii	24 Martii
Octavus	Dæsius	30	25 Aprilis	24 Aprilis
Nonus	Panemus	30	25 Maii	24 Maii
Decimus	Lous	31	24 Junii	23 Junii
Undecimus	Goripiæus	31	25 Julii	24 Julii
Duodecimus	Hyperberethæus	30	25 Augusti	24 Augusti
				Dies 23 Sept. intercalatur

68 Usserium inter, & Norisium hæc sola differentia deprehenditur, quod Usserius Æstivum Anni Cardinem, sive initium mensis Loi protrahit ad diem 25. Junii, assignatque Panemo dies 31. Norisius vero initium Loi collocat, uti supra, die 24. Junii, bene confutans Usserii fundamentum, quod expresse loquitur de Syromacedonibus, quibus alia ratio Anni erat, non autem de Macedonibus Asiaticis; atque inheret auctoritati Galeni, qui *in Comment. lib. 1. Hippocratis Epidemiorum, sive de morbis vulgaribus*, apud Norisium *loc. cit. pag.* 17. sic ait *si quis didicerit in principium mensis Dii autumnale Æquinoctium incidere, intelliget brumale quidem solstitium post tres circiter menses futurum ineunte quotannis mense Peritio (nam hoc nomine denotatur apud Macedones) vernum vero Æquinoctium Artemisio, sic & Æstivum Solstitium Loo —.*

Cum vero idem Galenus notasset Palæstinos, nempe Hebræos, Annum lunarem ex diebus 354. servare, ait — *Quare apud illos, qui menses hoc pacto numerant, non est dies constituere, quibus Æquinoctia, & Solstitia, & oriantur illustria sydera; apud eos, qui ad solis rationem ineunt, statuas id, quod a Romanis dixi, Macedonibus, Nostratibusque Asiaticis, & vero etiam ab aliis nationibus observari non paucis.*

69 Animadvertendum tamen est, quod Galenus, patria proprie Asianus ex Urbe Pergamo Misiæ majoris, dicit, esse *æstivum Solstitium ineunte quotannis mense Loo*, nec solum hæc verba protulit, sed etiam patefacit, quod dies Æquinoctiorum, Solstitiorumque in Macedonum Asianorum Anno sunt perpetuo constantes; id enim, quod Galenus dixit *a Romanis observari*, observatur etiam a *Macedonibus, nostratibusque Asiaticis*. Cur ergo Eminentiss. Noris, qui scite monet, æstivum Solstitium a Julio Cæsare locatum perpetuo fuisse die 24. Junii, illud diei 23. Junii affigit Anno Bissextili? Bene quidem probat Norisius *loc. cit.* 16. & 20. quatuor priores Anni menses, quo præcise modo superius notati sunt, contigisse, initiumque quarti mensis fuisse diem

24. De-

24. Decembris, idque non adversari dispositioni Julii Cæsaris. At certum est, æstivum Solstitium a Julio Cæsare constitutum fuisse die 24. Junii, neque de hoc dubitat Norisius *pag.* 16. Nullo igitur modo illud adscribi poterat diei 23. Junii. Quare, ut hoc Solstitium die 24. Junii occurrat — *ineunte quot Annis mense Loo* —, simulque alii Cœli Cardines non aliter, quam refert Galenus, contingant, fateri cogimur contra Usserium, & Norisium, diem intercalarem male fuisse, uti supra, protractum ad finem Anni. Quo igitur omnes Cœli Cardines propriis a Galeno relatis locis firmi quotaunis persistant, non aliud fieri posse videtur, nisi ut in fine mensis quinti intercalarem diem apponamus Annis Bissextilibus, quemadmodum ita contigisse inferius patefaciam.

70 Ideo ista intercalaris dies, prædictis minime expensis, protractus fuit in finem Anni Bissextilis, quia non aliter resultat ex quadam Homilia Paschali inserta *tom.* 5. *Operum Sancti Joannis Chrisostomi* græcæ editionis Henrici Savilii *a pag.* 948. atque a Norisio relata *loc. cit. pag.* 20. & 26. in qua indicitur Pascha Anni Æræ vulgaris 672. & trium proxime sequentium Annorum, atque traditur, lunam decimam quartam eo Anno 672. biduo ante Æquinoctium contigisse, ac proinde sequentem lunationem pro Paschali assumptam fuisse, cujus cum dies decimus quartus -- *in diem vigesimam sextam mensis septimi* -- nempe octavam decimam Aprilis, quæ erat Dominica, incidisset, hebdomade super addita, Pascha celebratum fuit — *secunda die mensis octavi* — nempe vigesima quinta Aprilis; fuit enim Annus Bissextilis. Quæ cum fusius in ipsa Homilia exponantur, in fine concluditur — *nunc quidem secunda octavi mensis dies* [nempe 25. Aprilis] *exiftit Resurrectionis: sequente vero Anno decima septima septimi mensis* [nempe decima Aprilis] *erit; atque iterum proximo nona mensis septimi* (nempe secunda Aprilis) & *rursus Anno tertio vigesima nona mensis* [nempe ejusdem septimi] *Resurrectionis dies celebrabitur* [nempe vigesima secunda Aprilis] Cum igitur a die 18. Aprilis inclusive, quæ in Homilia appellatur *vigesima sexta mensis septimi* usque ad finem Anni connumerentur soli dies 158. evidenter patet, quod in fine Anni Bissextilis repositus fuit dies intercalaris, quo completur numerus dierum 159. quoti sunt necessarii, ut initium sequentis Anni recurrat die 24. Septembris. Hoc allegatæ Homilię fundamento diem intercalarem prædicti scriptores reponunt in finem Anni Bissextilis, & ulterius mensem septimum constituunt diebus 31. Nam a Dominico die *vigesimo sexto septimi mensis* exclusive ad Dominicum Resurrectionis diem secundum octavi mensis inclusive, cum intercedant septem solidi dies; necessario sequitur, quod septimus mensis fuerit diebus 31.

71 Hæc tamen omnia corruunt, si pro die *vigesimo sexto mensis septimi*, legendum sit vigesimo quinto mensis septimi, quemadmodum ita legendum esse certo resultat ex Galeno, ut initium mensis Loi quotannis cum die 24. Junii recurrat. Constituto enim mense septimo dierum 30. Nono autem mense dierum 31. Lous perpetuo incipit die 24. Junii, ut dixit Galenus; facto denique duodecimo mense dierum 31. initium Anni perpetuo redit in diem 24. Septembris.

72 Nec solum ex Galeno resultat, quod in prædicta Homilia legendum sit *die vigesimo quinto mensis septimi*, sed etiam ex Alexandro Monacho,

nacho, qui in Encomio Sancti Barnabæ apud Surium ad diem xi. Junii *tom.* 3. & apud Norisium *loc. cit.* sic ait — *Diem vero festum, quo beati, ac generosi Martyris Barnabæ memoria celebratur, Patres agi per singulos Annos constituerunt tertio Idus Junii, ut Romani loquuntur, ut autem Cyprii Constantienses, die undecimo ejus mensis, qui ab illis dicitur Mesores, & numeratur decimus; ut autem Asiatici homines, vel Paphi numerant, decimo nono mensis, qui Phithipatus dicitur, & nonus numeratur* —. Ex hisce Alexandri Monachi verbis clare patet, ex prioribus octo mensibus Anni Asianorum sex fuisse pure tricenarios, duos vero tantum dierum triginta, & unius. Nam a die 24. Septembris, qua incipiebat Annus Asianorum, ad diem undecimam Junii, inclusis terminis, colliguntur dies 261. At in Typo Anni superius exhibito inter octo priores menses ponuntur quinque tricenarii, ac tres dierum 31. qui simul collecti summam præseferunt dierum 243. quibus si addantur dies 19. mensis noni, fit summa dierum 262. Cum ergo dies 19. mensis noni Asianorum, teste Alexandro Monacho, concurrat cum die undecima Junii in allegato Anni Asianorum typo, una dies in octo prioribus mensibus profecto abundat: quæ dies cum tolli nequeat ex mense tertio propter hyemale solstitium, & cum tolli nequeat ex sexto mense propter Æquinoctium vernum, superest, ut tolli debeat ex mense septimo; ac propterea septimus mensis constare debet non diebus 31. ut ex allegata Homilia resultat, sed diebus 30. ut dictum est, & clare ostendunt Alexandri Monachi verba, ex quibus deprehenditur initium noni mensis die 24. Maji, initium vero octavi mensis die 24. Aprilis, initium denique septimi mensis die 25. Martii.

73 Usserius, & Langius viderunt diem illum, qui ex verbis Alexandri Monachi abundat, ac dixerunt, ab illo designari Annum Bissextilem. Eos tamen egregie confutat tum Norisius *loc. cit. pag.* 25. tum verba ipsa prælaudati Alexandri, qui dixit diem Festum Sancti Barnabæ — *per singulos Annos constituerunt tertio Idus Junii; . . . . . ut autem Asiatici . . . . . numerant, decimo nono mensis, qui . . . . . nonus numeratur.*

74 Eandem diei abundantiam vidit etiam Norisius *loc. cit.* & plus æquo inhærens illis allegatæ Homiliæ verbis — *vicesimo sexto mensis septimi* — arbitratur, corrigendum esse Alexandrum Monachum, ac pro — *decimo nono mensis* — legendum esse — *decimo octavo mensis* —.

75 Et quidem utriusque verba, quippe quæ inter sese contraria sunt, conciliari non possunt; ac proinde alterutra corrigenda sunt. Propensionem tamen in alterutram partem ostenderemus, si ex arbitrio, uti fecit Norisius, ista potius, quam illa corrigerentur. Ut veritatem in hoc ambiguo assequamur, ad Scriptorem illis longe vetustiorem, omnique exceptione majorem, qualis est Galenus, pro rei decisione recurrimus. Galeni verba jam allegata *num.* 68. directe adversantur verbis Homiliæ; concordant vero cum Alexandri Monachi verbis, quæ — *per singulos Annos* — ut autem dixit Galenus — *quot Annis* — constantes præseferunt omnes Cœli Cardines, quemadmodum rem ita in civili Anno contigisse omnis etiam verisimilitudo declarat, ac paulo inferius evidenter confirmant præallegatæ notæ chronologicæ Martyrii Santi Polycarpi, quæ omnes sine ulla correctione veritati consonæ deprehenduntur. Corrigenda igitur sunt, uti nuper factum est *n.*71. verba prædictæ Homiliæ, non autem verba Alexandri Monachi.

76 Quare typum veri Anni Macedonum — Asianorum, sive clarius Asiæ minoris præ oculis ponam in sequenti Laterculo.

Laterculus, quo exhibetur typus veri Anni solaris Macedonum---Asianorum

Menses		Dierum	Ineunt Anno simplici	Anno Bissextili
Primus	Dius	30	24 Septembris	eodem modo
Secundus	Apellæus	30	24 Octobris	
Tertius	Audinæus	31	23 Novembris	
Quartus	Peritius	30	24 Decembris	
Quintus	Dystrus	30	23 Januarii	fit dierum 31
Sextus	Xanthicus	31	22 Februarii	23 Februarii
Septimus	Artemisius	30	25 Martii	(eodem
Octavus	Dæsius	30	24 Aprilis	(modo
Nonus	Panemus	31	24 Maii	eodem modo
Decimus	Lous	30	24 Junii	
Undecimus	Gorpiæus	31	24 Julii	
Duodecimus	Hyperberethæus	31	24 Augusti	

77 Ex hisce quatuor postremis Anni mensibus, tres fuisse dierum unius & triginta patet ex allegatis Alexandri Monachi verbis. A die enim 24. Maji inclusive, in quo nonus mensis incipit, ad diem 24. Septembris exclusive numerantur dies 123. Nonum autem mensem fuisse dierum unius, & triginta patet ex dictis propter æstivum solstitium. Dubium ergo erit, an unius, & triginta dierum determinari debeat decimus mensis, vel potius duodecimus. Dubii solutionem præsefert Josephus *de Bello Judaico lib.* 2. *cap.* 24. Ibi enim trigesimam Judaici mensis Tisri diem notiori mensium nomine, trigesimam Hyperberetæi appellat, post ipsam diem trigesimam ipse Josephus, ut videri potest apud ipsum *loc. cit.* ac etiam apud Norisium prope finem allegatæ Dissertationis primæ §. *Ne quid tamen &c. pag.* 63. *& seq.* enumerat alios noven dies, in quibus Cestius Urbem Hierosolymam primo aggressus est, deinde obsidium Urbis dimisit, ac postremo feralem Judæorum infestationem passus, Romanum, quem ducebat, exercitum magnis cladibus a Judæis oppressum vidit. His narratis idem Josephus ait — *Hæc quidem gesta sunt Octavo die mensis Dii*, *Anno duodecimo Imperii Neronis* — nempe Anno 66. vulgaris Æræ Christi. A die trigesima exclusive mensis Hyperberetæi ad diem octavam mensis Dii, novem dies Josephus enumerat non Bissextili Anno, sed communi. Mensis ergo Hyperberetæus perpetuo constabat diebus uno, & triginta.

78 Samuel Petitus *lib.* 4. *Eclog. Chronol. pag.* 280. & Jacobus Usserius viderunt hoc luculentissimum Josephi testimonium, sed illud diversa-

ra-

ratione in alienum sensum extorquentes, a Norisio bene confutati sunt *loc. cit. pag.64. & seq.*

79 Norisius tamen dicit *pag. 65. – Cum constet Tisri lunarem nomine Hyperberetæi a Josepho appellari, in gestorum postea Mense Dio narratione, unus ejusdem calamo dies superfluus excidit –.* Sed animadversione dignum est, quod res omnes hoc pacto faciliter componuntur. Josephus licet lunarem Tisri mensem nomine mensis Hyperberetæi designet, prosecutioni tamen narrationis ejusdem facti historici congruit, ut qui mensis Hyperberetæus inducitur ad designandum rei gestæ tempus, accipiatur non secundum naturam mensis Tisri, ibidem non nominati, sed secundùm propriam mensis Hyperberetæi naturam; eòque fortius, quia in ejusdem facti prosecutione Josephus non utitur mensium Judaicorum nominibus, sed appellat diem octavam mensis Dii, qui Hyperberetæo proximè succedit, neque concordare potest cum die octava mensis Marchesvan. Quare nullo modo admittenda est correctio, quam Norisius profert sine auctoritate.

80 Superest, ut probetur, diem intercalarem Annis Bissextilibus recte fuisse in exhibito Laterculo appositum quinto mensi. Sanctus Epiphanius in *lib. de mens. & Ponder.* narrat, Valentinianum secundum laqueo necatum – *Sabbato pridie Pentecostes &c. in ipsa autem die Pentecostes elatus est. Erat autem tunc secundùm Ægyptios Pachon XXI. juxtà Græcos Artemisii mensis XXIII. secundùm Romanos XVII. Kalendas Junias –.* Id contigit Anno Æræ vulgaris 392. Bissextili, quo Dominica Pentecostes incidit in diem 16. Maji, apud Ægyptios vero in diem 21. Pachon, currente aureo numero 13. ac litera Dominicali. D.C. Arcadio Augusto II., & Rufino Coss., quo Anno ab Idacio, & Prospero nex Imperatoris Valentiniani rectè statuitur. Si a die 24. Septembris ad diem 16. Maii Anni Bissextilis 392. inclusis terminis dies colligantur, summa est dierum 236. quoti pariter numerantur a prima Hyperberetæi ad 23. Artemisii, in qua contigit, *secundum* Græcos, prædicta Pentecostes Dominica, numerantur, inquam, si ex septem mensibus Artemisium præcedentibus, quatuor ponantur tricenarii, tres verò dierum 31. uti nuper factum est in Laterculo. Si vero quæras, cur dies intercalaris adscribatur quinto mensi, non autem quarto? Id ita factum est, tum quia id videtur magis congruere formæ Anni civilis; tum quia ex deductis per Norisium *in allegata Dissertatione prima cap.2. prope finem*, quartus mensis erat tricenarius.

REGREDIMUR UNDE DISCESSIMUS.

81 Non poterat quidquam recte statui de die martyrii Sancti Polycarpi, nisi præmissa cognitione Anni Macedonum Asianorum, quem cum scriptores hucusque haud recte acceperint, mirum non est, tot diversas exortas esse clarissimorum virorum opiniones tum de die, tum de Anno, quo ipse Sanctus igni fuit addictus. Impossibile enim erat, ut hæc nota – *Xanthici mensis ineuntis die secundo* – simul concurreret cum alia nota – *septimo Kalendas Majas* – nullus enim mensis in forma Anni Asianorum, quam primò Usserius edidit, ac deinde Norisius (licet haud recte) emendavit, inibat, uti ad conciliandas prædictas notas oportuisset, inibat, inquam, die 24. Aprilis, nisi Annis Bissextilibus; in quibus tamen prædicta conciliatio fieri non poterat, nisi cum apertissimo cælestium motuum dissidio,

aut saltem sine præteritione alterius notæ -- *magno Sabbato* --. Comperta vero, uti supra, Anni Macedonum - Asianorum forma, Laterculus, quem nuper exhibui, expositam omnino tollit impossibilitatem. Si enim Smyrnenses primum Anni mensem appellaverint non Dium, sed Gorpiæum, Laterculus ipse ostendit, mensem Xanthicum apud Smyrnenses perpetuo iniisse die 24. Aprilis, diemque secundum Xanthici concurrere cum --*septimo Kalendas Majas* --

82 Prælaudati Scriptores inter se se tum de die, tum de Anno Passionis Sancti Polycarpi, uti supra dissidentes non probant, quam mensium Anni nomenclaturam Smyrnenses usurpaverint, sed qui martyrium ejus proferunt die 23. Februarii corrigentes notam -- *septimo Kalendas Majas* -- in septimum Kalendas Martias, atque aliam -- *sabbati magni* -- notam parvipendentes, Smyrnensibus assignant mensium nomenclaturam, quæ Asiæ Proconsulari generaliter, uti supra, tribuitur, post receptam formam Anni solaris a Julio Cæsare præstitutam. Quam leve sit hoc fundamentum ex iis patet, quæ deduxit Norisius *loc. cit.* §. *Asiatici &c. post medium pag.* 114. dicens -- ibi -- *Aliæ in Asia Urbes, quamvis nomina mensium Macedonica servabant, in eorumdem tamen ordine disponendo, cum aliis neutiquam conveniebant. In vetusto Fragmento Saviliani Codicis apud Usserium cap. 4. de Anno solari Asianorum, Romanorum Januarius a Liciis Dius, ab Ephesiis vero Peritius vocatur, quem Bithynii Dionysium; Cyprii autem Julium nuncupabant. Hinc factum est, ut Asiatici ad hanc mensium, quorum erant diversa nomina confusionem evitandam, eosdem penes numerum, quo in Anno recensebantur, designarent; quod Hebræos quoque fecisse, sacra præsertim Prophetarum volumina ostendunt. Itaque in Asia mensis primus, secundus, tertius, usque ad duodecimum appellabantur* --; quemadmodum ita fuisse re vera observatum, manifestant allegata verba tum Homiliæ, tum Alexandri Monachi. Nil ergo valet argumentum a generali Asiæ observatione deductum ad probandum mensium ordinem, sive nomenclaturam, qua Smyrnenses utebantur; eoque fortius, quia hujusmodi argumento directe obstat illa nota -- *septimo Kalendas Majas* -- quam Smyrnenses in allegata Epistola affirmant coincidere cum die secundo mensis Xanthici.

83 E contra Usserius, quem Tillemont, & quoad diem 26. Martii, secuti sunt etiam Toinard, & Pearson, arbitratur, primum Anni mensem, cujus initium erat die 24. Septembris, a Smyrnensibus appellatum fuisse Hyperberetæum. Usserius hoc deduxit ex laudata Smyrnensium Epistola, quia notam illam *septimo Kalendas Majas* correxit in septimum Kalendas Aprilis; atque ideo illam sic correxit, quia diem secundum Xanthici concordare non posse credidit cum septimo Kalendas Majas, innixus videlicet typo Anni Asiatici, quem *num.* 67. *& seqq.* confutavi.

84 Jure igitur optimo nos innixi tum clarissimorum Virorum Usserii, Tillemont, Toinard, & Pearson exemplo, tum praxi nuper allegatæ Urbium Asiæ, possumus ex eadem Smyrnensis Ecclesiæ Epistola tam græca, quam latina deducere, primum Anni mensem, cujus initium erat die 24. Septembris fuisse a Smyrnensibus appellatum Gorpiæum; secundum Hyperberetæum; tertium Dium; quartum Appellæum; quintum Audinæum; sextum Peritium; septimum Dystrum; octavum, qui semper incipiebat die 24. Aprilis, *Xanticum* &c. quemadmodum *num.* 80. ex S. Epiphanio vidimus, Græcos octavum mensem non appellasse Dæsium, sed Artemisium; ac propterea Annum ab Hyperberetæo incæpisse; *num. autem* 82. ex vetusto Saviliani Codicis fra-

fragmento accepimus Licios quartum mensem nuncupasse non Peritium, sed Dium, & consequenter Annum incepisse a mense Loo; ac denique ex relatis ab Eminentiss. Noris *de Epochis Syromacedonum Dissert.* 3. *cap.* 6. §. *Evagrius &c.* habemus Antiochenos a Gorpiæo mense incœpisse Annum civilem; adeo ut inter Antiochenos, & Smyrnenses hæc sola differentia intercesserit, ut initium Anni Smyrnensibus fuerit dies 24. Septembris, Antiochenis vero dies prima ejusdem Septembris, retenta ab utrisque nomenclatura mensis Gorpiæi pro primo mense Anni civilis. Quare dies secundus Xanthici apud Smyrnenses concurrit cum septimo Kalendas Majas, ut allegata Epistola proclamat.

85 Hinc evidenter patet, nomine *Sabbati Magni*, in laudata Epistola memorati, intelligi non posse, nisi *Sabbatum*, quod in alterum ex septem Azymorum diebus incidit juxta allegatum textum Sancti Evangelistæ Joannis.

86 Illud *Sabbatum Magnum* ab Anno Æræ vulgaris 140. usque ad Annum 180. & ultra, juxta supputationes Astronomicas contingere non potuit die 25. Aprilis, nisi Anno 151. in quo in orbem rediit litera Dominicalis D. medium autem Plenilunium ad meridianum Romanum contigit Aprilis die 18. hor. 9. min. 3. & sec. 58. post meridiem, ac propterea luna quarta decima fuit die 18. Aprilis, luna denique vigesima prima, sive dies ultima Azymorum fuit die 25. ejusdem mensis. Aliis enim Annis, aut dies lunaris, aut litera Dominicalis *Sabbatum* hoc *Magnum* excludunt a die 25. Aprilis.

87 Et quidem cum hoc Anno 151. Æræ vulgaris concordat, quod in eadem Smyrnensis Ecclesiæ Epistola legitur, Sanctum nempe Polycarpum passum esse -- ibi -- *Proconsule Statio Quadrato* --. Hic enim ordinarium cum Rufino gessit Consulatum Anno Urbis 895. vulgaris autem Æræ Christi 142. cautumque erat apud Romanos, ut notat Pearson *loc. cit.* ne quisquam dignitatem Proconsulis obtinere potuerit, nisi elapso quinquennio a suo Consulatu.

88 Insuper cum prædicto Anno 151. concordant, quæ apud Eusebium narrat Historia de Sancti Polycarpi communione cum Sancto Aniceto Papa. Hic enim creatus fuit summus Pontifex Anno 142. ut tradit *Joannes Clericus in Hist. Eccles. ad Annum Christi* 142. Dodvellus *Dissert. sing. de eadem success. cap.* 13. 1. *& seqq.* ac etiam Pearson. Si vero sententiam sequimur clarissimi, insignisque Viri Reverendissimi Patris Josephi Augustini Orsii nuper merito decorati dignitate secretarii sacræ Congregationis Indicis, in egregio suo Opere de Capitalium criminum Absolutione *sect.* 1. *cap.* 4. *Dig.* 1. *num.* 5. *pag.* 51. idem Sanctus Anicetus ad summi Pontificatus apicem evectus fuit Anno 146.

89 Constat igitur, Sanctum Polycarpum passum fuisse Anno Æræ vulgaris 151. *die* 25. *Aprilis*, quæ concurrebat cum *die secunda ineuntis mensis Xanthici*, ac *die Sabbati Magni*, nempe die Sabbato, quod tunc in ultimam ex septem Azymorum incidit.

90 Nunc experiamur Cyclum, de quo est sermo, & quem Smyrnenses, ut pote Pascha more Judaico tunc agentes, adhibebant, ut probatum est in *Dissertatione post tertiam Quæstionem*. Ex regula superius tradita patet, quod Anno 151. in usu fuit Epacta XXVI. Ista Epacta

neome-

Neomeniam ultimi mensis Anni Sacri superioris designat Martii die *6.* atque inserto mense Embolimo Neomeniam Paschalem Anni 151. proclamat die 5. Aprilis, quartamdecimam Paschalem die 18. ejusdem mensis, lunam vero vigesimam primam, quæ ultima erat ex septem diebus Azymorum die 25. Aprilis *Sabbato*, quod *Magnum* appellabatur, propter concursum diei septimi Azymorum. Tunc enim in orbem rediit litera Dominicalis D. ac propterea manifestum est, quod erat probandum. Cyclus vero ipse patefacit, Martyrium Sancti Polycarpi in alium Annum referri non posse; aut enim litera Dominicalis, aut dies lunaris *Sabbatum Magnum* a die 25. Aprilis semper excludit ab Anno 140. usque ad Annum 180. & ultra.

91 Cum ergo Cyclum Judaicum, uti supra expositum, tot veritatis experimentis periclitati simus, & semper constantem deprehendissemus, nullum dubium circa ipsum Cyclum occurrit.

CUR QUÆDAM NOTÆ CHRONOLOGICÆ COMMENTITIÆ SINT.

92 Nonnulla tamen gesta, quibusdam notis chronologicis signata, leguntur apud Bucherium *loc. cit.* quæ ne dissimulasse videar, dico, quod hæc præterii, quia notæ chronologicæ, quibus prædicta gesta signantur, non sunt certæ, sed ex mera Bucherii interpretatione exaratæ. Exemplo rem explicabo. Bucherius *pag.* 409. inducit Templi profanationem relatam *lib.* 1. *Machab. cap.* 1. *vers.* 57. *&* 62. ac etiam expiationem post triennium peractam, atque expositam *eod. lib. Machab. cap.* 4. *vers.* 52. & quia *vers.* 54. subduntur hæc verba — *secundum tempus, & secundum diem* — Bucherius vult, ut illa vox — *diem* — denotet *Sabbatum*, idque non alia ratione, nisi quia emphatica illi videtur. Menochius illam vocem explicat dicens — *nimirum vigesima quinta mensis Casleu*. At dato per modum hypothesis, quod ipsa vox denotet septimanæ diem; cur Sabbatum, & non feriam primam, aut aliam septimanæ diem intelligi debeat, non apparet. Cyclum ergo Annorum 84. quem Bucherius extensum in Tabulis exhibet *loc. cit.* & cujus usum veteribus Judæis attribuit, ipsemet Bucherius inutiliter confirmat prædicta, a se efficta nota chronologica; eoque fortius inutiliter, si methodum, qua Cyclum ipsum confirmat, animadvertamus. Idem enim Bucherius Neomeniam Paschalem Anni Græcorum 148. in quo Templum a Juda instauratum fuit, reponit die 7. Martii; lunam vero quartamdecimam Paschalem die 20. ejusdem mensis, nempe quatriduo saltem ante Æquinoctium vernum, quod illo Ævo apud Judæos non contigisse, manifesto patet ex vetustissimis Hebræorum, scilicet ex Agatobulo, ex Aristobulo, ex Philone, ac etiam ex Josepho, alibi allegatis. Quare usum Cycli a Bucherio in Tabulis extensi *loc. cit.* & ab ipsomet Bucherio Judæis attributum, vere commentitium esse non dubito, tum quia notis vere chronologicis non respondet, tum quia a cœlestibus etiam Lunæ motibus quam maxime dissidet, ut evidenter ostendimus *num.* 60. quam dissonantiam admittendam non esse manifestant ea, quæ allegavimus *num.* 10. & quæ exhibiturus sum *num.* 112. *& seq.*

QUID

QUID PRÆSEFERAT CYCLUS JUDAICUS CIRCA PASCHALEM QUARTAM DECIMAM.

93 Quæ de Cyclo Judaico dicta sunt, experimentis confirmavimus; unde si quis Paschalem quartamdecimam ejusdem Cycli Judaici cum mediis lunæ motibus conferre optaret a proximo Paschate post Nativitatem Domini ad finem usque Periodi tunc labentis, sequentem Tabulam elucubratus sum, qua voti sui compotem eum faciam.

TABULA

94 Ne tædio afficiaris, summam rei proferam. Hisce omnibus quadraginta novem Annis Cyclus Judaicus Paschalem quartamdecimam recte indixit Annis triginta & uno inclusis, secundum demonstrationem exhibitam in Corollario post tertiam Quæstionem, inclusis, inquam, duobus Annis, in quibus virtus synesis apparet; nempe Annis Cycli 74. & 78. nec non inclusis septem Annis, in quibus Virtus Gnome conspicitur, nempe Annis Cycli 37. 44. 48. 49. 53. 65. & 69. Erravit autem Annis 17. Paschalem quartam decimam promulgans die Plenilunii medii a præcedente solis occasu usque ad meridiem, videlicet Annis Cycli 36. 38. 39. 40. 41. 42. 47. 51. 52. 55. 56. 63. 67. 68. 79. 83. 84. Erravit denique Anno Cycli 81. indicens quartamdecimam biduo ante medium Plenilunium.

95 Dices; Eminentiss. Noris *de Epochis Syromacedonum Disser.* 1. *cap.* 3. §. *Nam lib. &c. pag.* 47. docet quod -- *Judæi lunam decimam quartam, qua Pascha celebrabant, ad diem tantum sextamdecimam Aprilis diffundebant* -- idque probat exemplo Anni Æræ vulgaris 387. per Sanctum Ambrosium vulgato, ac denique arguit Baronium, qui *in Annal. tom.* 1. *ad Annum Christi* 72. *dicit, diem decimamquintam mensis Nisan* tunc ad vigesimam secundam diem Aprilis extendi. Quomodo ergo Paschalis quartadecima in Tabula exhibita contigere potuit ultra diem 16. Aprilis, Norisio Baronium, uti supra, arguente?

Respondeo, hanc Norisii sententiam anachronismum aperte involuere; ex iis enim, quæ Judæi non uno tantum sæculo post Christum natum in usum invexerunt, Norisius iisdem Judæis attribuit etiam primo Christi seculo perinde, ac Sanctus Epiphanius *ad Heresim* 70. non monuerit, quod -- *apud Judæos depravata sunt omnia* --. Tertio autem, & quarto Christi sæculo eundem circa Paschæ observantiam post Æquinoctium Judæis non fuisse morem, quem vetustiores Judæi observabant, clare refert Socrates in Hist. Eccles. *lib.* 5. *cap.* 21. Imo inter Quartadecimanos, & quosdam Orientales, qui licet Cyclum Judaicum cum Quartadecimanis usurparent, tamen Paschæ Festum, ut late explicavimus *in Disser. post tertiam Quæstionem* die Dominico agebant, id dissidii fuit -- *nam illi quidem* (nempe Quartadecimani) *Judæos licet exactam regulam* (sunt verba Socratis *loc. cit.*) *in hac Festivitate sequendos esse dicebant. Hi vero post Æquinoctium Pascha celebrabant, simul cum Judæis id Festum agere respuentes: Quippe affirmant, sole in Ariete constituto id Festum perpetuo celebrari oportere, mense, quem Xanthicum Antiochenses, Aprilem Romani vocant; atque in eo sequi se NON RECENTIORES Judæos, qui ubique fere hallucinantur, SED VETUSTIORES, ET JOSEPHUM, sic enim ille in tertio Judaicarum Antiquitatum Libro scriptum reliquit.* Immerito ergo Norisius Baronium arguit.

96 Et quidem tempore præcise controverso, Judæos Paschalem non fecisse quartam decimam illam, quæ Æquinoctii diem præcessisset, silentio præteritis Agatobulo, & Aristobulo, & Philone apud Eusebium *in Hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 32. apertissime refert Josephus *lib.* 3. *Antiq. Judaic. cap.* 13. *dicens* -- ibi -- *Mense vero Xanthico, qui apud nos Nisan appellatur, & est Anni principium, quartadecima Luna, SOLE CONSISTENTE IN ARIETE, quo mense liberati sumus a servitute Ægyptiorum, sacrificium quod tunc egredientes ex*

Ægypto

5.

M.
A.
M.
A.
A.

M.
A.
A.
M.
A.
A.
A.
A.
M.
A.
A.
M.

A.
A.
M.
A.
M.
A.
A.
M.

Anni Æræ Vulgaris	*Anni Cycli Judaici*	*Litera Dominicalis*	*Epacta Cycli Judaici*	*Neomenia Mensis Nisan*
21	60	E	XXIX	2 Apr.
22	61	D	X	22 Mar.
23	62	C	XXI	11 Mar.
24	63	B A	II	30 Mar.
25	64	G	XIII	19 Mar.
26	65	F	XXIV	7 Apr.
27	66	E	V	27 Mar.
28	67	D C	XVI	16 Mar.
29	68	B	XXVII	4 Apr.
30	69	A	VIII	24 Mar.
31	70	G	XIX	13 Mar.
32	71	F E	I S. L.	31 Mar.
33	72	D	XII	20 Mar.
34	73	C	XXIII	8 Apr.
35	74	B	IV	28 Mar.
36	75	A G	XV	17 Mar.
37	76	F	XXVI	5 Apr.
38	77	E	VII	25 Mar.
39	78	D	XVIII	14 Mar.
40	79	C B	XXIX	2 Apr.
41	80	A	X	22 Mar.
42	81	G	XXI	11 Mar.
43	82	F	II	30 Mar.
44	83	E D	XIII	19 Mar.
45	84	C	XXIV	7 Apr.

Ægypto fecerunt, immolare nos Annis singulis (quod Pascha dicitur) celebrareque præcepit, & UTIQUE CELEBRAMUS ILLUD per tribus nostras, nihil immolatorum in crastinum reservantes. Vernum vero Æquinoctium, tempore, de quo agitur, contingebat die 23. Martii; quod Astronomos non latet, & evidenter resultat ex Hipparchi, & Ptolomæi observationibus. Cum ergo Judæi Paschalem non fecerint quartam decimam illam, quæ diem Æquinoctii præcessisset; qnoties quarta decima luna signabat diem 22. Martii, diem scilicet [illo Ævo] ante Æquinoctium vernum, inserebant Embolismum, quem mensem Veadar, sive Adar secundo, appellabant. Quare Paschalem faciebant sequentis lunationis quartam decimam, quæ die 21. Aprilis contingebat. Mensis enim Veadar perpetuo est triginta dierum. Bene ergo quartam decimam Paschalem in exhibita Tabula ultra diem 16. Aprilis adnotavimus, & usque ad diem 21. ejusdem mensis Aprilis cum Baronio extendimus.

AN VETERES JUDÆI PRIMIS SÆCULIS ANTE, ET POST CHRISTUM PRO NEOMENIARUM INDICTIONE CYCLUM LUNAREM ADHIBUERINT, VEL NEOMENIAS STATUERINT EX VISIONE LUNÆ NOVÆ, PER DELEGATOS NUNTIOS RELATA.

97 Veterem Cyclum Judæorum exhibuimus, eumque notis omnibus chronologicis respondere ostendimus: Sed Auctores Talmud Babilonici usum cujusvis Cycli apud veteres Judæos excludere videntur, dicentes *in cap. Rosch haschana* antiquitus Neomenias ex visione primæ Phasis Lunæ indici solitas; ad eamque rem testes, & speculatores idoneos delegatos, de quarum personarum delectu longas Diatribas instituunt. Cum igitur reversi ex altioribus montibus renuntiarent, se Lunam nascentem vidisse, tum a Judicibus succlamabatur, *Sanctificata est, Sanctificata est Neomenia*. Insuper *in cit. cap. Rosch haschana* scriptum est, Judices cum de Neomenia speculatum homines delegarent, aute se *Lunae figuram* habuisse, ad quam confugerent, quoties nubila visionem Lunæ oculis inviderent. Denique *in eodem capite* legitur, ubi trigesima prima nocte Luna se videndam negaret, tunc Neomeniam definiri solitam. Hucusque summa Talmud Babilonici, cui innixi multi ex Judæis id ipsum referunt. Hisce Petavius (inter ceteros Scriptores Christianos, relatos a Ricciolo *tom.* 1. *Chron. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 2.) adeo assentitur *in Animad. in Sanctum Epiphaninm ad Heresim* 51. *Alogorum. Tit. de Anni Judaici forma, quam sub Christi tempora tenuerunt tom.* 2. *pag.* 151. *& seq.* ac etiam de Doctrina Temporum *lib.* 2. *cap.* 26. adeo inquam, assentitur ut errorem reputet, usum Cycli tempore Christi Judæis tribuere.

98 E contra vero Joseph Scaliger *de Emend. Temp. lib.* 2. *Tit. de Periodo Judæorum Alexandrea*, & Ægydius Bucherius *in Comment. in Cyclum Vict. Aquit sub Tit. de Paschali Latinorum Cyclo cap.* 5. *pag.* 369. qui Serrarium, Joannem Marianam, Bedam, Paschasinumque allegat, strenue affirmant, Judæos tunc consuevisse non ex visione Lunæ novæ, sed ex Cyclo Neomenias accipere.

Præcipuæ istorum rationes sunt *Primo*, quia in nullius mortalis potestate est Neomenias a visione Lunæ incipere; quod tempus visionis admodum inæquale est, & incertum, & insuper Nubila visionem Lunæ oculis non raro invident. *Secundo*, quia multa Judæorum millia, tantis locorum intervallis dissita, in vallibus depressis, & in locis etiam Septemtrionalibus, in quibus raro nascens Luna oculis hominum potestatem suę speci ei facit propter interventum Nubilorum, Lunam nascentem intueri, aut a Judæa Nuncium expectare non poterant. Oportet igitur eis aliquid præscripsisse, quod sequerentur in Neomenia statuenda, cum Lunam nascentem videre, aut tempestates, aut familiaria Regionum nubila impedirent. *Tertio*, quia Samaritæ, & Judæi idem nomen -- *Embolismum* -- duobus millibus, & amplius ab hinc Annis commune habent, quo eandem rem notent; quod non fieret, nisi Anni lunaris ratio vetustissima esset, & tot jam sæculis ab utraque gente scripto concepta, & in Libros redacta. *Quarto*, quia existimant per ista verba Tamuld superius relata -- Judices cum de Neomenia speculatum homines delegarent, ante se LUNÆ FIGURAM habuisse -- existimant, inquam, significari habuisse ante se lunarem Cyclum.

99 Et quidem Astronomicæ Tabulæ non sunt figura Lunæ, sed ex eis Lunæ figura instructis opportunis calculis colligitur; ac propterea ad Lunarem Cyclum, qui proprie, ac sine ulteriori negocio, Lunæ ætatem, & consequenter figuram Lunæ præsefert, confugiebant, quoties nubila visionem Lunæ oculis invidissent: Ubi vero trigesima prima nocte Luna se videndam negaret, definiebaturque tunc Neomenia id sane Cyclus lunaris indicare poterat, & de facto clarissime manifestat. Si Cyclus ergo quandoque adhibebatur, cur non semper? Id utique fuisset dissensionum, confusionumque seminarium, quod in bene ordinata Judæorum Republica admitti non debet, atque iis repugnasset, quæ scripta sunt in Libro numerorum *cap.* 15. *vers.* 15. -- ibi -- *Unum præceptum erit, atque Judicium tam vobis, quam advenis terræ*.

100 Quamvis prædicta usum Cycli probent, quosdam nihilominus audivi, qui nimiam fidem Talmudicis Auctoribus præstantes, ab istorum sententia discedere pertimescunt. Quare rem istam serius expendere aggressus sum, atque certo deprehendi, merum fuisse Talmudicorum Auctorum, istorumque sequacium commentum, quod veteres Judæi primis sæculis ante, & post Christum statuerint Neomenias ex visione Lunæ novæ. Hoc ultra ea quæ dicta sunt *num.* 98. & 99. In sequentibus planum faciam rem exponens ordine retrogrado.

Id itaque neminem ignorare existimo, Talmud Babylonicum, ex quo ista prodiit sententia, absolutum fuisse circa finem quinti sæculi Christi; ac propterea prædictam Talmudicorum Auctorum assertionem falsam esse evidenter ostendunt.

101 *Primo* Sanctus Ambrosius *in Epistola* 83. *Paulo post medium ad Episcopos per Æmiliam* constitutos, scripsit longe ante mensem Martium Anni 387. Æræ vulgaris, increpansque Judæos, refert, quod ipsimet Judæi Anno 387. suum Pascha, quod eis tunc erat, uti ad præsens est, non quarta decima, sed quinta decima luna mensis Nisan, quemadmodum apertius exposui *Quæst.* 3. *num.* 46. celebraturi erant die vigesima Martii, quæ fuit Sabbatum. Si Judæi ex visione lunæ

næ novæ Neomeniam statuissent, Sanctus Ambrosius tempore, quo allegatam scripsit Epistolam, id utique proferre, non potuisset. Imo non solum id proferre non potuisset, verum etiam Neomeniam mensis Nisan, quæ tunc contigisset die sexto Martii; Sabbato a Judæis statui ex visione lunæ novæ nullo modo poterat die sexto Martii; quia verum Novilunium, quod ex Tabulis Philippi De La Hire supputavi, contigit ad Meridianum Hierosolymitanum, duabus, & amplius horis post Meridiem ejusdem diei Sextæ Martii. Manifestum ergo est, quod Judæi Neomeniam acceperint ex Cyclo. Et de facto Cyclus Judaicus annorum 84. de quo in præcedentibus locutus sum, prædicto Anno 387. qui est Sextus Cycli Annus, prodebat, uti patet apud Norisium in Diagrammate *ante Dissertationem de Paschali Latinorum Cyclo*, prodebat, inquam, Epactam XXVI. quæ Neomeniam designabat die Sexto Martii, lunam vero decimam quintam die 20. Martii Sabbato, ut inquit Sanctus Ambrosius. In Orbem tunc rediit litera Dominicalis C.

102 Dum præ oculis est istud Sancti Ambrosii testimonium, non abs re duxi adnotare, quod ex eo evidenter resultat, Judæos quarto etiam Christi sæculo adhuc retinuisse usum Cycli Annorum 84. nondum vero adhibuisse Cyclum, quo ipsi ad præsens utuntur. Depræhendi enim quod Cyclus, a Judæis ad præsens usurpatus, Neomeniam mensis Nisan isto Christi Anno 387. non proclamabat die sexto Martii Sabbato; Sed die Septimo, ac feria prima, sive Dominica; quod breviter planum faciam.

In Orbem tunc rediisset Judaicus aureus numerus quintus, communem exhibens illum Annum; mensis vero Marchesuan, qui illud Pascha proxime præcesserat fuisset plenus, nempe diebus 30. ex eo quia civilis ille Annus Judaicus fuisset abundans. Character namque Capitis Anni, sive Neomeniæ mensis Tisri, qui illud Pascha proxime præcedebat, fuisset feria quinta, hor. 13. HelaKim, seu scrupuli 291. Character autem Neomeniæ mensis Tisri, qui eidem Paschæ proxime succedebat, fuisset feria secunda, hor. 22. HelaKim 87. sed propter transgressum horarum 18. fuisset feria tertia. Quare subtracto priore Charactere Feriæ a posteriori, cui addi debet numerus Septemnarius, ex eo quia posterior non est major priori, reliquum est 5. quod in Anno communi designat Annum abundantem. Ista omnia quisque concordare depræhendet præceptis de recentiorum Judæorum Cyclo traditis per Ricciolum in Chronologia *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 13. *& seqq.* per Aurelium a Genua Capuccinum lib. 1. lect. 45. & alios. Juxta vero allegata præcepta Neomenia mensis Tisri, qui prædictum Pascha proxime præcessit coincidisset in diem decimum Septembris, feriam quintam; Neomenia autem mensis Tisri tunc sequentis fuisset dies 31. Augusti feria tertia, concordatque Cyclus Solaris quoad ferias prædictas. Annus namque 386. Æræ vulgaris fuit tertius Cycli Solaris, exhibens literam Dominicalem D. Annus vero 387. fuit quartus ejusdem Cycli, quo labente in Orbem rediit litera Dominicalis C. Itaque sequentem Laterculum elucubratus sum, qui juxta recentiorum Judæorum Cyclum præsefert Neomenias illius civilis Anni Judaici, qui incipit Romano Anno 386. desinitque Anno 387. Vulgaris Æræ Christi.

Neomenta Mensium Anni prædicti	*Dies Neomeniæ*	*Feria Neomeniæ*	*Dies, quibus constant singuli Menses*
Tisri	10 Septembris	Quinta	30
Marchesvan	10 Octobris	Sabbato	30
Casleu	9 Novembris	Secunda	30
Tebeth	9 Decembris	Quarta	29
Sabath	7 Januarii	Quinta	30
Adar	6 Februarii	Sabbato	29
Nisan	7 Martii	Prima	30
Jar	6 Aprilis	Tertia	29
Sivvan	5 Maji	Quarta	30
Tamuz	4 Junii	Sexta	29
Ab	3 Julii	Sabbato	30
Elul	2 Augusti.	Secunda	29
Tisri sequentis	31 Augusti	Tertia	

Summa dierum totius Anni est — 355. — quoti conficiunt communem Annum abundantem.

Manifestum ergo est, quod Judæi Anno vulgaris Æræ Christi 387. in usum nondum invexerant Cyclum, quo ad præsens utuntur; quod uti supra erat probandum. Et de facto in exhibito computo clare concordat etiam distantia, quam ipse Cyclus assignat dierum 177. ac denique distantia, duorum hebdomadæ dierum, qui succedere debent a die *Festo* Paschatis Judæorum ad diem sequentis Festi Scenopegiæ, seu Tabernaculorum. Istæ namque Judæorum Festivitates, quippe quæ eis contingunt luna quinta decima, in eamdem perpetuo incidunt feriam, in qua respective advenit Neomenia Nisan, & Tisri.

103 *Secundo*, Sanctus Epiphanius olim Judæus, postea Catholicus, atque Constantiæ Cypri Episcopus, *ad Heresim* 51. *Alogorum num.* 26. expresse refert, Judæos tempore Christi Cyclum Annorum 84. per sex quatordecennitates directum adhibuisse.

104 *Tertio*, Constantinus Magnus in Epistola de Synodo Nicæna ad absentes Episcopos, quam retuli in Dissertatione post Quæstionem tertiam *num.* 19. Orientales illos, qui licet Pascha die Dominico a quinta decima in vigesimam primam peragerent, consuetudinem tamen Judeorum in dierum lunarium nomenclatura sequebantur, hortatus dicens — Ubi -- [nempe in Nicena Synodo) *cum de Sacratissimo etiam Paschæ die quæsitum fuisset, communi omnium sententia decretum est, eam Festivitatem uno eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere. Quid enim pulchrius, quid honestius nobis esse possit, quam ut hæc Festivitas, a qua Spem immortalitatis accepimus, uno eodemque ordine* [nempe Cyclo, ut inferius ostendam] *ac certa ratione ab omnibus inoffense obser-*

observetur? Ac primum quidem visa est omnibus res esse prorsus indigna, ut in Sacrosanctæ hujus solemnitatis celebratione consuetudinem Judæorum sequeremur . . . . . Quippe rejecta illorum consuetudine possumus RECTIORI ORDINE [nempe Cyclo] *quem a primo Passionis die ad hæc usque tempora servavimus ad futura etiam sæcula hujus observantiæ ritum propagare* --. Ubi animadvertas illud relativum -- *quem* -- in græco textu nullo modo pertinere ad -- *ritum* --, sed dumtaxat ad verbum -- *ordine* --; simulque animadvertas significatum istius verbi -- *ordine* --; & invenies in allegata Dissertatione *num.* 19. istud verbum -- *ordine* -- ex Sancto Leone Magno significare -- Cyclo --; id quod latissime explanavi in alio meo Opere, cujus titulus est -- De necessitate emendandi currentes Epactas &c. adversus P. Melitonem a Perpignano Capuccinum -- Quæstione secunda *num.* 124. adeo ut ibidem pateat, quod sensus verborum Epistolæ Constantini, hic est -- *Quippe rejecta Judæorum consuetudine possumus ad futura etiam sæcula ritum Paschalis observantiæ propagare rectiori Cyclo, quam sit ille Judæorum, & quem a tempore Passionis Christi ad hæc usque tempora servavimus* --. Quare ex ejusdem Constantini verbis clare resultat, Judæos consuevisse non ex visione Lunæ novæ, sed ex Cyclo Neomenias proclamare. In dubium enim revocari nequit, Cyclum decennovennalem cujus usu Nicæni Patres ritum hujus celebrationis propagarunt, ad sæcula tunc futura, & consequenter a tempore Passionis Christi Pascha celebrarunt, rectiorem esse vetere Judæorum Cyclo Annorum 84.

RES NOTATU DIGNISSIMA.

Hic monitum faciam Lectorem, ne putet, dum videt, Nicænos Patres usu Cycli decennovennalis ritum Paschalis observantiæ propagasse; & a tempore Passionis Christi illucusque Pascha celebrasse; ne putet, inquam, Cyclum decennovennalem a Nicæni Ævo usque ad Gregorium XIII. Pont. Max. in indictione Paschæ adhibitum, illum ipsum præcise fuisse, quem ipsi Nicæni Patres ab ipsa Christi Passione ad ipsum Nicænum servarunt; id quod multis insignibus viris fuit hucusque gravissimi erroris causa. Cyclus namque decennovennalis, quamvis aut aureorum numerorum filus rumpatur, aut iste filus diverso ordine directus sit, nihilominus perseverat esse Cyclus decennovennalis, qualis antea fuerat. *Quatuor* itaque variationes habuit Cyclus decennovennalis Imperatorum Romanorum tempore. *Primam* instituit Julius Cæsar; & ista servata fuit usque ad Nicænum, salva infrascripta restauratione. *Alteram* illo interim scilicet Anno 260. Æræ vulgaris, instituit Sanctus Dionysius Archiepiscopus Alexandrinus; & ista non variavit illum aureorum numerorum filum, a Julio Cæsare institutum, sed istum, utpote a Cœlesti Luminarium positu digressum, restauravit, varians dumtaxat dies, quibus aurei numeri prout fuerant a Julio Cæsare ordinati, Novilunia proclamabant, & hac ratione ipse Sanctus Dionysius suam Ogdoadem in prædicto Cyclo decennovennali edidit, ab ea longe diversam, quæ a Julio Cæsare antea ibidem fuerat inserta. Hujusmodi vero restauratio servata fuit usque ad Nicænum. *Tertiam* ediderunt Nicæni Patres, qui rupto aureorum numerorum filo, a Julio Cæsare instituto, illum aureorum numerorum filum in usum invexerunt,

vexerunt, hucusque servatum. *Quartam* elucubrati sunt veteres Computistæ, Aureos numeros præseferentem ternario minorem aureis numeris Nicænis, appellatamque a veteribus — *Cyclum Lunarem* —, quippe quæ inserviebat ad designandam pro usibus civilibus Lunæ ætatem Kalendis Januariis, & consequenter diebus etiam aliorum mensium Cyclo Nicæno conformem. Dum enim vigebat usus decennovennalis Cycli Julii Cæsaris, vulgaris erat quædam regula, qua homines etiam imperiti adsciscebant prædictam Lunæ ætatem. Computistæ vero, ut hujusmodi commoditatem Imperitis hominibus servarent, elucubrati sunt prædictum *Cyclum Lunarem*, quo ipsi Imperiti servata eadem prædicta regula adsciscerent Lunæ ætatem, decennovennali Cyclo Nicæno præcise conformem; id quod ipse Cyclus Nicænus a Calendario sejunctus, non præseferebat, ut clarius expositum est in infrascripta Dissertatione *num.*137. *& seqq. & num.* 163. *& seqq. Quartam istam variationem* adoptarunt Hæbrei, quando in usum invexerunt Cyclum, quo ad præsens utuntur, ipsamque ad præsens retinent. Aurei enim numeri Hebræorum sunt ternario minores nostris aureis numeris. Hæc omnia, quæ Dei beneficio detexi, discussa, & ab infinitis propemodum controversiis vindicata, superius comperies in allegata Dissertatione *post Quæstionem tertiam*, ubi etiam invenies quid dicendum de Decennovennali Cyclo, tum Sancti Anatholii Laodiceæ in Syria Episcopi, qui Imperante Probo floruit, tum Victorii Aquitani, qui floruit Anno 457. Æræ vulgaris. Monitum istud, quod Tibi humanissime Lector summarie exhibui, memoriæ committas; alioquin in Chronologicis speculationibus frequenter errabis.

REGREDIMUR UNDE DISCESSIMUS.

105 *Quarto*; Quartadecimani adeo pertinaciter Pascha agebant cum Judæis, ut ad relata per Socratem citatum in allegata Dissertatione *num.* 29. dicerent — *Judæos licet exactam regulam non servarent, in hac Festivitate sequendos esse* —. At nemo, quem viderim, dubitat, ac dixit Sanctus Bonifacius Martyr, Primus Archiepiscopus Moguntinus *in Epistola* 44. *apud Bibliothecam veterum Patrum tom.* 3. ac etiam ex Sancto Anatholio *relato loc. cit. num.* 25. aperte colligitur, Quartadecimanos Cyclo Annorum 84. usos fuisse. Ergo evidenter constat, Judæos non ex visione Lunæ novæ, sed ex Cyclo Neomenias accepisse,

106 *Quinto*; post perintricatarum rerum discussionem deprehendimus supra *num.* 89. Sanctum Polycarpum Smyrnæ Episcopum, Quartadecimanorumque nondum damnatorum Propugnatorem, Martyrio coronatum fuisse Anno Æræ vulgaris 151. die 25. Aprilis, quæ apud Smyrnæos concurrebat cum die secunda ineuntis Xanthici, ac die Sabbati magni, nempe die Sabbati, quod tunc in ultimam ex Septem Azymorum diebus incidit; Quare Neomenia Paschalis fuit die quinto Aprilis. Instructo autem per me Computo ex Tabulis Philippi De La Hire inveni, verum Novilunium ad Meridianum Hierosolymitanum contigisse Aprilis die 4. hor. 6. cum quadrante horæ fere post meridiem. Certo igitur constat, prædictam Neomeniam constitui non potuisse ex visione Lunæ novæ; & fortius eam nunciari potuisse Smyrnæis, Ephesiis, Ponticis aliisque Quartadecimanis, & Judæis toto Terrarum Orbe diffusis.

Sexto;

107 *Sexto*; Cladem Romanorum sub Cestio Syriæ Præside, ac eorumdem Romanorum Duce contra Judæos deprehendimus supra *num.* 53. accidisse Anno vulgaris Æræ Christi 66. die 19. mensis Tisri Sabbato; cujus mensis Neomenia contigit die 9. Septembris; Luna vero decima nona ejusdem mensis Tisri fuit die 27. Septembris, Sabbato. Instructo autem uti supra computo ex prædictis Tabulis, inveni, verum Novilunium ad meridianum Hierosolymitanum tunc contigisse Septembris die octavo tribus fere horæ quadrantibus ante meridiem. Non potuit ergo ex visione Lunæ Novæ statui Neomenia mensis Tisri die 9. Septembris.

108 *Septimo*; Deprehendimus supra *num.* 34. *& seqq.* captum a Pompejo fuisse Templum Anno ante vulgarem Christi Æram 63. Mense *Ab* die solemnitatis Jejunii, nempe die 10. ejusdem mensis, Sabbato; Neomeniam vero ejusdem mensis *Ab* tunc contigisse die 16. Julii; diem denique decimam solemnitatis Jejunii advenisse die 25. Julii, Sabbato. Instructo autem computo ex prædictis Tabulis inveni, verum Novilunium ad Meridianum Hierosolymitanum tunc contigisse Julii die 15. [notetur] hor. 9. cum dimidia fere post meridiem. Constat igitur evidenter impossibile fuisse, ut Neomenia constitui potuerit ex visione Lunæ Novæ.

109 *Octavo*; Antiochus Sydetes, soluta Hierosolymæ obsidione; pacem cum Joanne Hyrcano iniit; ac deinde cum in Parthos expeditionem faceret, atque in ista Expeditione Socium haberet Joannem Hyrcanum Indate Parthorum Duce ad Licium flumen superato, illuc per biduum substitit ad præces ejusdem Hyrcani; Nam instabat *Pentecostes post Sabbatum*. Depræhendimus supra *num.* 48. *& seq.* Expeditionem Parthicam Antiochi, & Hyrcani contigisse Anno 131. ante vulgarem Christi Æram, in quo Festum Pentecostes sive dies sexta mensis Sivan fuit die 25. Maji feria prima; ac propterea luna decima sexta mensis Nisan, a qua Judæi, uti supra probatum est *num.* 43. numerare *regulariter* incipiebant quinquaginta dies pro die Festo Pentecostès celebrando, fuit die 6. Aprilis, similiter feria prima; Neomenia vero ejusdem mensis Nisan fuit die 22. Martii, Sabbato. Instructo autem uti supra computo ex memoratis Tabulis, inveni, verum Novilunium isto Anno ante vulgarem Christi Æram 131. ad Meridianum Hierosolymitanum contigisse Martii die 21. (notetur) hor. 10. cum tribus fere horæ quadrantibus post meridiem. Neomenia ergo mensis Nisan statui ex visione Lunæ novæ non potuit.

110 Quamobrem necessario concludendum est; merum Commentum Talmudicorum Auctorum fuisse, quod veteres Judæi Neomenias statuerent ex visione Lunæ novæ; quod ipsum ostendunt ea etiam, quæ mox exhibebo.

111 *Nono*; Philo Judæus in libro de Septemnario, & Festis *pag.* 1187. Sic refert — *In Neomenia incipit sol splendore sensibili Lunam illustrare* —. Neomeniæ ergo non statuebantur ex visione Lunæ novæ, sed ex Cyclo. Manifestum enim feci in Corollario post Quæstionem tertiam, quod die Novilunii *Civilis* Luna nova *regulariter* intueri potest ad vesperam ipsius diei *desinentis*; ac propterea ipso Novilunii civilis die sol incipit splendore sensibili Lunam illustrare. E contra vero, statuta Neomenia ex visione Lunæ novæ, sol incœpisset splendore sensibili

Lunam

Lunam illustrare pridie saltem Neomeniam, scilicet, die ultimo superioris mensis non autem die Neomeniæ. Ex Philone igitur, qui floruit Anno 50. Vulgaris Æræ Christi, constat, Neomeniam non fuisse statutam ex visione Lunæ novæ.

112 Hoc ipsum ipse Philo evidentius patefacit *lib.* 3. de vita Moysis *pag.* 686. dicens -- *Ejus mensis* [nempe Nisan] *die quarta decima sub ipsum tempus, quo Luna suum Orbem solet complere lumine, celebratur migrationis publicæ Festivitas, quam Chaldaice Pascha nominant* -- In textu tamen græco Philonis non habetur -- *Sub ipsum tempus* -- Sed precise -- *paulo ante tempus* -- Itaque si Judæi ex visione Lunæ novæ Neomeniam, sive Lunam primam statuissent, migrationis publicæ Festivitatem non celebrassent *paulo-ante*, quam Luna suum Orbem solet complere lumine; quem reipsa Orbem Luna complere solet die Oppositionis Luminarium; sed celebrassent tempore, quo Luna suum Orbem solet exhibere imminutum, oriens scilicet post occasum solis. Etenim Luna nova oculis hominum potestatem suæ speciei *regulariter* non facit, nisi desinente die a Conjunctione secundo circa occasum solis, & quandoque die tertio propter ea, quæ exposui Quæstione secunda *num.* 11. Rem tamen exploremus ex *regulariter* contingentibus, nimirum, ex visione Lunæ novæ die a Conjunctione secundo desinente circa occasum solis. Luna igitur prima, sive Neomenia Judæis tunc fuisset dies a Conjunctione tertius. Quando enim Luna nova visa fuisset, dies a Conjunctione secundus jam totaliter, aut fere elapsus erat; ac Neomeniæ Festum inchoari debebat a vespera juxta Divinum præceptum in Levitico *cap.* 23. *vers.* 32. -- ibi -- *a vespera usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra* --. Quare Luna quarta decima fuisset dies a Conjunctione sextus decimus. Luna igitur ad vesperam desinentis quartæ decimæ *civilis* orta fuisset imminuta lumine post occasum solis. Vera enim Luminarium oppositio jam facta tunc fuisset labente civili quarta decima, & non raro labente civili Luna tertia decima; & fortius dum Luna est celerioris motus. Verba igitur Philonis aperte patefaciunt Talmudicorum Auctorum Commentum.

113 Id ipsum confirmatur ex aliis ejusdem Philonis verbis in libro de septemnario, & Festis *pag.* 1191. Loquens enim in terminis diei primæ Azymorum, sic ait -- *Hujus Festi decima quinta dies mensis media est, qua luna plenum orbem colligit: consulto, quod nullæ tenebræ sint per illam diem* --. Hæc manifeste ostendunt Luminarium oppositionem in civili die quinto decimo Lunæ. Luna namque in Luminarium dumtaxat oppositione *plenum Orbem* colligit; *nullæ* etiam *tenebræ* sunt per illam diem, in qua Luminarium oppositio contingit. Ista enim die quinta decima *in præcedenti* vespera, sole occidente, Luna oritur; in mane autem ejusdem quintæ decimæ, sole oriente, luna occidit mutua solis, & Lunæ successione. Quæ Philo refert de die Lunæ quinto decimo sive de die Solemnitatis Azymorum, si Neomenia ex visione Lunæ novæ proclamata fuisset, regulariter contigisset non die quinto decimo, sed (ut nuper dictum est) die Lunæ quartæ decimæ, & non raro die Lunæ decimæ tertiæ.

Denique ipsemet Philo in fine citati libri *pag.* 1196. loquens in terminis Festi Tabernaculorum, ea ipsa, quæ nuper explicavi, disertissime profert -- ibi -- *Initium hujus Festi* (nempe Tabernaculorum)

rum) *decima quinta mensis appetet propter dictam etiam in verna tempestate causam; ut non interdiu tantum, sed etiam noctu plenus sit mundus luminis pulcherrimi, solis, & Lunæ radiis ad illam diem sibi invicem ex adverso exorientibus sine notarum discrimine, quibus confinium Caligo non discernit* —. Quid clarius referre poterat Philo, ut de Talmudicorum Auctorum Commento non dubitemus?

114 *Decimo*; Quod ex Philone exhibuimus, id ipsum ex Divina scriptura colligitur. In libro enim Ecclesiastici, qui scriptus fuit secundo sæculo ante vulgarem Christi Æram, sic legitur -- *A Luna signum diei Festi* —, scilicet per Antonomasiam, diei solemnitatis Azymorum, ut probatum est *Quæst.* 3. *num.* 68. Et quidem signum, quod Luna præsefert die oppositionis cum sole, nuper expositum, ab omnibus etiam Astronomiæ prorsus ignaris vulgo cognoscitur; istudque si Neomenia a visione Lunæ novæ statuta fuisset, regulariter exclusum fuisset ab ipso die quinto decimo mensis Nisan, sive solemnitatis Azymorum, uti supra exposui. Usque adeo verum est, Neomenias non fuisse a visione Lunæ novæ proclamatas.

Quid plura? Libro primo Regum *cap.* 20. *vers.* 5. legitur quod David dixit ad Jonathan -- *Ecce Calendæ sunt crastino* -- *& vers.* 18. quod Jonathas dixit ad David -- *Cras Calendæ sunt* --. Si Neomeniæ statutæ fuissent ex visione Lunæ novę, & Luna ipsa orta fuisset ante occasum solis; David, & Jonathas ad invicem, ea verba die Neomeniam precedente utique proferre non potuissent.

115 Hinc gradum faciam ad expositionem quorumdam verborum Clementis Alexandrini, quę ad fulciendam expositam Talmudicorum Auctorum sententiam, a quibusdam scriptoribus allegantur ęque, ac si ipse Clemens dixerit *lib.* 6. *Stromatum* — *Judæi nisi Luna appareat, neque Neomeniam agunt* —. Revera Clemens Alexandrinus *loc. cit. pag.* 760. novę editionis, sic ait — *Judæi* . . . . . . *nisi Luna apparuerit, non agunt Sabbatum, quod dicitur primum, neque agunt Neomeniam, neque Azyma, neque Festum, neque magnum diem* —. Quis vero dixerit Judęos ex visione Lunę singula hęc Festa observasse? Sensus ergo verborum Clementis Alexandrini est; Judęi nisi apparuerit dies Lunaris, singulis illis Festis respective congruens non agunt Sabbatum, quod dicitur primum, neque Neomeniam, neque Azyma, neque Festum, neque Magnum diem. Istud enim Verbum — *Luna* — idem significat, ac dies Lunaris; quemadmodum & nos dies Lunares, ex Cyclo supputantes, dicimus, nisi apparuerit primi mensis Luna quinta decima, aut Luna decima sexta, aut decima septima &c. cum die Dominico concurrens, non agimus Pascha. Etenim dies civilis mensis Lunaris preciso etiam Clementis Alexandrini Ævo appellatos fuisse, exempli gratia, Lunam primam, Lunam secundam, Lunam tertiam &c. dubium non est, & manifesto constat ex Concilio Romano de Anno 198. ex Epistola Sancti Victoris primi Papę, & Martyris; ex Synodali Epistola Cęsariensis Concilii primi; atque ex Epistola Policratis Episcopi Ephesini ad Sanctum Victorem Papam apud Eusebium in Historia Ecclesiastica *lib.* 5. *cap.* 24. & ex aliis vetustissimis monumentis; Fidem insuper faciente Sancto Ambrosio prope finem allegatę Epistolę 83. — ibi — *Naturalis usus Nationum Exterarum* Lunam pro diebus appellat.

Finem Dissertationi huic ponerem, si quod est ipsius pręcipuum, summique decoris ornamentum, & Corona non occurrisset; Theses quasdam intelligo Florentię editas Anno 1738. ex Typographia Petri Cajetani Viviani, atque in Æde Sancti Marci ejusdem Civitatis a doctissimo Viro F. Thoma M. Mamachi Ord. Pręd. tunc S. Theologię studente in insigni Collegio Sancti Marci, facta cuivis disceptandi facultate, egregie, atque erudite propugnatas, Pręside clarissimo, eximioque Viro R. P. F. Thoma Vincentio Moniglia, in eodem Collegio tunc S. Theologię Primo Professore. Theses sunt de Ethnicorum Oraculis; de Cruce a Constantino Visa; & de Evangelica Chronotaxi. Quare operę pretium duxi in hanc Dissertationem referre, quę in earum liberculo ad Thesim postremam pertinent.

QUÆDAM EXHIBENTUR

Quibus nostra sententia de Anno Incarnationis, & Passionis D. N. J. C. illustratur.

IN PRÆFATIONE SIC LEGITUR.

Pervetustam de anno Christi supremo, nobis tricesimo vulgari, disputationem adgredimur, nec tamen recoctam crambem obtrudimus. In antiquissimorum scriptorum sententiam descendimus, a ceteris eorum æqualibus pro superiore XXIX. pugnantibus vix diffidemus: certe minus de illorum via deflectimus, quam recentiores quidam ejusmodi annum contendentes fuisse vulgarem XXXIII. ætatis autem Christi XXXVI. vel XXXVII. Novi quam plurima quęri posse, sed multa quoque huc minime spectant. Exemplo sint septuaginta Danielis hebdomades; nam Prophetę vaticinium exitum habuisse eo fere tempore a nobis constituto, vel Anno XXIX. vel paulo post tricesimum, in confesso est apud omnes, utut rationes diversa methodo subducant. Astronomicas Tabulas nobis suppetias ferre compertum est; idcirco de iis disceptare nolumus; satis sit Astronomos ea quidem de re minime contendere. Testem locupletem profero Virum clarissimum Jacobum Bettazium, quem in hac facultate apprime versatum novit eruditus Orbis: De eo sermo est ad calcem Thesis III. num. XXV. Ne de natali quidem Christi die verba facimus: si quis autem hunc referat in annum V. C. 749. mense Decembri, quadriennio ante Christianam Æram, ut plures prestantissimi Chronologi sciscunt, Christi mors conjecta in annum tricesimum, continget post triginta tres annos, ac tres, quatorve menses ab eo die, quo Bethlehemi in lucem prodiit; quod carpere ne malevoli quidem possint; accedet vero Annus ex Clariss. Viris Pagio, atque Schelstratio existimantibus anno superiore ortum esse Dominum V. C. 748. ob Sentium Saturninum Syrię Pręsidem apud Tertullianum. Animadvertendum tamen ex Nummo Riccardiano celeberrimis Scriptoribus memorato, anno Urbis 748. labente, non Sentium Saturninum, sed Quintilium Varum Syrię pręfuisse. Norunt id quotquot in patria minime peregrinantur; verum non abs re fuerit, maxima dignitate, doctrinaque Viri Card. Norisii verba proferre, quod conjuncta sint cum laudibus amplissimæ gentis RICCARDIÆ, quam non uno nomine suspicimus, coli-

colimusque. *Prior Vari nummus exhibet annum EK. nempe xxv. (imperantis in Syria Augusti) qui exiit per autumnum A. V. 748. — Prior nummus cum notis EK anno xxv. Imperii Augusti in Syria, servatur hic Florentiæ in scriniis Illustriss. Marchionis Francisci Riccardi, duplici legatione, Romana, ac Germanica, jussu Serenissimi Magni Ducis Etruriæ, pari splendore, ac laude peracta, ac summis in aula ministeriis, celebrati.* Noris de Epochis Syro — Macedonum, Differt. 3. col. 259. & 265. edit. Veron. an. 1729. tom. 2.

THESIS III.

Illud verisimillimum videtur, Christum Anno vulgari 28. ineunte, vel 27. cadente (ex S. Epiphanii sententia) baptismo esse perfusum, Anno 28. primum Pascha celebrasse Anno 29. secundum, Anno 30. tertium, atque supremum, eodemque Crucis supplicio affectum fuisse.

I Comperta res est Joannem Baptistam Anno xv. Imperii Tiberii Cæsaris baptismum administrare cœpisse, ut Lucas Evangel. c. 3. memoriæ prodidit, quamquam de imperio, & epocha ejusmodi variæ sunt, ac discrepantes eruditorum hominum sententiæ. Illinc quoque arcessendum esse Christi baptismum, jejunium, atque initium prodigiorum, quæ patravit, & cœlestis doctrinæ, qua homines imbuit, exploratum videtur. Veteres Patres in eundem xv. annum omnia conferunt, nec inter Joannem prodromum a Deo vocatum ad Sanctissimum munus, ac Filii Dei Baptismum solidum annum, aut eo amplius, interiici putant. Hæc in rem nostram habet Eusebius Cæsar. L. 8. Demonstr. Evang. „ Merito tempora, quibus Judæcorum principes de- „ fecissent Lucas Evangelista significans, initium Doctrinæ Christi nar- „ rat factum esse in Anno xv. Imperii Tiberii Cæsaris Procurante Pon- „ tio Pilato Judæam „ nobis religio est ab eorum sententia desciscere, cum consensione maxima id testentur, nec quicquam quod sacris literis adversetur, contra possit adferri.

II Frustra est, quod opponitur ex Luca eodem capite, *Factum est autem, cum baptizaretur omnis Populus, & Jesu baptizato &c. En to baptisthinc apanta tòn.* Ecquis enim tam est hebes, qui non reponat, Jesum aqua Jordanis perfusum, dum cæteri baptismo initiarentur, non postquam omnes abluti sunt? Nec vero pluris æstimamus quod eruunt ex cap. I. Divini ejusdem Scriptoris, *Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Heliæ, ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad pœnitentiam justorum, parare Domino plebem perfectam*, & ex eo quem *implevit cursu* Joannes. Ut enim alia missa faciamus, oportuit primum, eos, qui antiquorum Patrum vestigiis non insistunt, ostendere, verba inibi fieri de *paranda plebe* ad Baptismum Christi, implendoque ante Baptismum hujusmodi omni munere. Id si conantur, oleum, atque operam perdunt. Non igitur fas est post Joannem e desertis locis excitum, tamdiu contra Patrum scita Christi Baptismum protrahere.

III Quoto ætatis suæ anno humani Generis Reparator Baptismo perfusus

fusus sit, si res ad vivum resecetur, plane non constat ex Evangelio, ubi tricesimum quidem legimus, sed adjecta particula *fere, circiter, ot̀* qua S. Lucas non obscure innuit, numerum, ut persæpe usuvenit, se non ita religiose præstituere. Accipit quoque aporitùos eandem voculam cap. 22. Evang. v. 41. *Et ipse avulsus est ab eis otì ltiu boltn quasi jactu lapidis*, ut animadvertit Petavius de doct. temp. L. 12. cap. 5. Hinc Justinus M. altero Ecclesiæ sæculo, in Dialogo cum Tryphone, & *triginta plus minus annis manens, donec prodiit Joannis ipsius præco &c. ì ploona ì cai rlàssona*. Indidem etiam fluit, eodem anno, ac tantum non mense, consignare Justinum Joannis munus, & Christi Baptismum. Itaque anno ætatis tricesimo unum, vel alterum adiicere, vel ex eo quidpiam detrahere, cuivis fas erit, licentia sumta prudenter.

IV Quam longissime ab iis absumus, qui S. Lucam de ineunte Anno ætatis tricesimo interpretantur; quandoquidem cui bono adponere particulam *ot̀* quasi? Ecquis hanc ferat loquendi rationem; ineunte quasi anno vicesimo Romani hostibus bellum indicunt? Cæterum *tò incipiens* Evangelicæ doctrinæ primordia spectat a Christi Baptismo repetenda; ut Act. 2. *incipiens a Baptismate Joannis, usque in diem, qua assumtus est a nobis, & Act. 10. Vos scitis, quod factum est verbum per universam Judæam. Incipiens enim a Galilæa post Baptismum, quod prædicavit Joannes &c.* Utique paulo post, ut ex Joannis ministerio Christi Chiriima, & Evangelicæ doctrinæ exordium innotescat. Dignum, quod observetur, est., id namque operæ pretium fuerit identidem monere, hic pariter tempus Baptismi, immo doctrinæ Christi cum Joannis ministerio, atque Baptismo conjungi *arxàmrnos àpò baptismatos Joannu*. Statui igitur potest, peractum esse Christi Baptismum anno ætatis illius 29. vel 30. vel 31. plus, minus.

V Tria, non quatuor, post Baptismum Paschata Christum celebrasse, ex recentioribus contendunt Petavius, Pagius, Bernardus Lamius &c. emunctæ naris viri, & de re Chronologica optime meriti: quod quidem veterum monumentis magis est consentaneum. Nam horum quidam, orthodoxi quamquam Scriptores, duo tantum recensent, tria Irenæus L. 2. contra Hæres, cap. 22. edit. Massueti; & Epiphanius priorem sententiam carpens, de Hæresi Alogorum, *num.* 22., nec „ illud impudentissimi homines animadvertunt, non duo solum in Evan- „ geliis Paschata comprehendi; sed ad priora illa duo tertium acce- „ dere, in quo Salvator est passus, ut omnino tria sint toti illi prædi- „ cationis tempori tribuenda „. Quapropter illis accedimus, qui festum diem Judæorum memoratum *cap.* 5. *vers.* 1. Evangelii S. Joannis, diversum a Paschate, cum Chrysostomo, aliisque statuunt. Sane tanto temporis intervallo ab hujusmodi festo, Paschalive die ad Pascha, cujus meminit Joannes, *cap.* 6. *vers.* 4. longe plures res gestas Evangelista complecteretur.

VI Postulat instituti nostri ratio, ut de anno priore Procurationis Judaicæ Pilati paulo diligentius disseramus, quod eo munere fungeretur, dum Christi Præco a Deo est vocatus. Pilatus annos decem in Judæa versatus est, teste Josepho L. 18. Antiquit. verisimile est autem illinc discessisse Anno vulgari 37. paulo ante Pascha, quapropter si eo appulisset ante ver ann. 27. aliquanto plusquam decennium in Judæa egisset. Fac autem nonnihil addi oportere, unum, vel alterum mensem,

sem, nihilominus ineunte anno 27. illuc advenisset. Quod si plures menses accedant, haud scio cur decem potius, quam undecim anni colligantur. Nullam mensium injecit mentionem Josephus scriptor, ceteroqui admodum accuratus: verum qua ratione decennium protrahitur, imminui etiam poterit, menses aliquot decerpendo. Satius ergo fuerit decennium illibatum relinquere, & Historico diligentissimo auscultare.

VII Vitellius, qui Syriæ præerat, misso Marcello; flagitiosum hunc Procuratorem, & publicæ tranquillitatis hostem Judæa excedere, & in Urbem se conferre jubet; cui Pilatus obsistere minime ausus obtemperat, & Romam versus proficiscitur. Præses vero Hierosolymis adest, urbem ingressus, dum Hebræi, quorum gratiam aucupatur, solemni ritu Pascha celebrant (incidit Anno 37. Festus hic dies in 18. Aprilis, vel in 19.) Itaque Aprili, aut vere ineunte Pilatum ex Judæa Romam profectum non abhorret a veritate, eoque magis, quod ea tempestas transmittendo Mari, habendove itineri sit apta, Romam autem adpulerit, postquam Tiberius vita excesserat [mense Martio anno 37. vulg.] ut Josephus adnotat. Hæc quidem magnam veri speciem præseferunt, quæ si ita evenere, ut facile quivis conjecturam facere potest, actum est de hypothesi constituente Christi Baptismum anno 27. mense Januario. aut anno 26. mense Novembre, cum ante Christi Baptismum, & Joannis ministerium, Pilatus Judææ Procuratorem ageret.

VIII Quæ hactenus adnotavimus, non eo spectant, ut rata omnino esse, atque ita prorsus se habuisse arbitremur. Id unum agimus, ut ostendamus, non constare, an Pilatus autumno anni nostri communis 26. in Judæam concesserit, ac propterea satius videri Christi Baptismum ad initium anni nostri 28. aut finem anni 27. protrahere; quod propter S. Epiphanii auctoritatem, & Novembrem ab eo, Mysterio hoc consacratum, dictum volumus. Hinc patet, ut Norisius (de Cenotaph. Pisan.) observat nulla ratione probari posse eorum sententiam, qui Pilatum in Judæa egisse statunnt anno vulgaris æræ 25. in finem vergente, ut cum sententia de Christo in Crucem acto anno 29. aliam de quatuor Paschatis componant. Enim vero cum Paschata hæc celebrata sint, ut illi scíscunt, annis 26. 27. 28. 29. Christi Baptismus Pilati in Judæam adventui præit, quod sacram Evangelii Historiam funditus convellit.

IX Primum Servatoris Pascha, paucis a Baptísmo mensibus, peractum esse anno vulgari 28. egregie confirmant anni 46. elapsi a Templi constructione, quam Herodes aggressus est anno Regni 18. ab Antigoni nece, captisque Hierosolymis. Anno Urbis conditæ 735. usque ad æstatem, Pagio teste in appar: labebatur annus 18. Herodis: atque, ut maximam celeritatem cum ingenti ad tantam ædem apparatu componamus, initium operis, circa Pascha anni V. C. 735. statuimus. Porro a Paschate anni 735. ad Pascha Anni 781. qui idem est atque Dionysianus noster 28. fluunt anni 46. Dum igitur Judæi Paschatis primi temporè, ut liquet ex Joannis Evangelio, *cap.* 2. cum Christo expostulantes de nova quadam, planeque admirabili instauratione Templi excitandi *tribus diebus*, reponebant, *quadraginta, & sex annis ædificatum est Templum hoc*, annus fluebat Urbis 781. Christianus autem 28. Bernardus Lamius, initium Templi ab Herode instaurati revocat

ad

ad annum Urbis 738. quod e re sua esse intelligeret ut annus 46. incideret in Dionisyanum 31. Qui ita rationes subducunt; & illud pernegare poterunt bis duo esse quatuor; sed inserviendum erat opinioni, quam semel imbiberat. Consulatur Josephus L. 14. & 15. Antiquit.

x Hoc pariter anno 28. primum a baptismo Pascha celebratum censent veteres illi scriptores, qui annis triginta Christi vitam definiunt, mortemque in annum 29. Tiberii xv. conjiciunt. Animadvertendum quippe, si eos audimus, duo dumtaxat post baptismum Paschata labi, omneque Evangeliæ Prædicationis tempus, annum unum, nonnullosque præterea menses complecti. Origenes L. 4. *periarcon*, Christum uno anno, & aliquot mensibus docuisse tradit. Itaque Clemens Stromateus Origenis præceptor, ac Tertullianus Clementis æqualis, ne alios recensendo molesti simus, anno æræ nostræ 28. prius Pascha constituunt, anno vero, qui consequitur, vicesimo nono, alterum Pascha, ipsis postremum. Quo fit, ut hujusmodi Chronotaxis auctoritate vetustissimorum scriptorum, qua Græcorum, qua Latinorum, confirmetur, eique non parum ponderis accedat.

xi Quod ad Clementem Alexandrinum pertinet, res minime impedita videtur. Sed ipsum audire præstat Lib. 1. Stromat. edit. Oxon. an. 1715. *pag.* 407. „ Quod autem hoc verum sit, sic scriptum est in „ Evangelio secundum Lucam. Anno quintodecimo Tiberii Cæsaris „ factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, & rursus in eodem: erat Jesus veniens ad baptisma, quasi triginta annorum. Et quod annum solum *eniaiton monon* oporteret eum prædicare, hoc quoque sic scriptum est, annum acceptabilem Domini prędicatum misit me. Hoc Propheta dixit, & Evangelium. Quintodecimo ergo anno Tiberii, & quintodecimo Augusti, sic implentur triginta anni usque ad tempus, quo passus est „. Contigit igitur primum Pascha anno 28. ęrę Christianę, ex Clemente, neque anni Tiberii hic supputantur, nisi ab Augusti morte, ut ex 15. annis Augusti, & totidem Tiberii, triginta conflentur.

xii Ex Tertulliano quoque primum, de quo est sermo, Servatoris nostri Pascha pertinet ad vulgarem annum 28. ut quivis facile intelliget ejus Librum adversus Judęos consulens „. Supervixit idem Augustus, „ ex quo nascitur Christus annis 15. Post enim Augustum, qui supervixit post Nativitatem Christi anni 15. efficiuntur, cui sccedit Tiberius Cęsar, & imperium habuit annis 22. mensibus 7. diebus 20. „ Hujus quintodecimo anno imperii passus est Christus annos habens „ quasi 30. cum pateretur „. A Clemente Tertullianus ne latum quidem unguem discedit; iidem apud utrumque triginta anni orti ex 15. Augusti, & Tiberii totidem. Quod argumento est Tertullianum pariter prius illud, de quo disceptamus, Pascha, anno vulgari 28. consignasse.

xiii Neque Clemens, neque Tertullianus utuntur Epocha Imperii Proconsularis Tiberii, triennio, vel quadriennio ante Imperium ejusdem Augustæum figenda. Quamquam enim Clemens ibidem (Lib. 1. Strom. *pag.* 406.) Tiberii Imperiio cum quibusdam quadriennium adiiciat, nihilominus ab Augusti morte annorum initium semper accersit. Quidam Romanorum Imperatorum tempora sic describunt. Cajus Julius „ Cęsar annis tribus &c. Post quem regnavit Augustus annis quadraginta

„ ginta sex, mensibus quatuor, die uno. Deinde Tiberius annis vi-
„ ginti sex, mensibus sex, diebus 19. „ Huc accedit ex hujusmodi epocha Imperii Proconsularis sequi, annum xv. Tiberii incidere in xxv. communis æræ ineuntem, quo sane in confesso est apud omnes nondum Pilatum Judeæ Procuratorem egisse.

XIV Quod addunt ex Tertulliano, ut epochæ huic nutanti opem ferant, Lib. 1. adv. Marcionem, eam non admodum juvat „. Interim „ quæcunque substantia est cum suo utique Deo, apparuisse debuerat. „ At nunc quale est, ut Dominus a XII. Tiberii Cæsaris revelatus sit, „ substantia vero a xv. jam Severi Imperatoris nulla omnino compera sit „. Si triennio ante annum 29. vulgarem Imperii Augustæi xv. contigit Christi revelatio, Baptismus, primumque Pascha, anno videlicet 26. utique ineunte, & Proconsularis Imperii xv. Joannes Baptista a Deo vocatus non fuisset *procurante Pontio Pilato Judæam*, ut silentio præteream ea verba, ac notas XII. *Tiberii Cæsaris*, a verbis Evangelii dissidere, & cum ipsomet Tertulliano adversus Judæos pugnare. Itaque suspicor vel Epocham ejusmodi a Marcionitis quibusdam usurpatam fuisse, non a Tertulliano, vel locum corruptum esse, e loco II. restitui oportere v.

XV Hujusmodi imperium Proconsulare quodcunque illud fuerit, Tiberio collatum videtur anno fere ante Augusti mortem, Dionysiano 13. non undecimo, ut Pagius censet, ac suadere conatur; nisi enim ita res habeat, labescit Chronotaxis illius, & pessum ruit. Suetonius in Tiberio, post illius reditum e Germania, ac triumphum, quem in annum communem 12. conferunt, latam fuisse legem de Imperio memorat „ A Germania in Urbem post biennium regressus, triumphum, „ quem distulerat, egit „ Ac non multo post lege per Coss. lata, ut „ provincias cum Augusto communiter administraret, simulque cen- „ sum ageret, condito lustro, in Illyricum profectus est „ Triumphus spectat ad annum Chr. 12. lustrum, & Illyrica expeditio ad annum 14. quo Augustus obiit. Paucis res triennio gestas complectitur Suetonius, ac facile crediderim sequenti anno 13. eam legem latam esse. Certe non ante cadentem annum 12. triumphavit Tiberius, cum ab anno Christi 4. labente ad hunc in Urbem reditum *anni novem* continui numerentur a Vellejo, & Pagio (An Chr. 12. num. 2.) Anno vero Christi 4. post adoptionem Tiberii, quæ V. Cal. Julias contigit, novennium hujusmodi inchoetur. Ex Velleji novennio triumphus reiiciendus esset potius in annum 13. Utut hæc se habeant nonnisi anno fere ante Augusti mortem, Lex in Oriente innotescere, vulgari, & in usum revocari potuit. Hinc Norisius non anno vulg. XI. constitutam putat, sed XII. longe vero melius *Pighius tom. 3. Annal. apud Norisium eumdem dissert. 2. de Cenotaph. Pisan.* anno 13.

XVI Vellejus hæc paulo aliter narrat *lib. 2. cap.* 121.„ Cum Senatus, „ Populusque Romanus, postulante patre ejus, ut æquum ei jus in „ omnibns provinciis, exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto „ complexus esset — In Urbem reversus jam pridem debitum, sed con- „ tinuatione bellorum dilatum ex Pannoniis, Dalmatisque egit trim- „ phum„ Videntur quidem pugnare Vellejus, atque Suetonius, quod alter ante triumphum, alter post ipsum legem conditam velit. Sed componi hæc possunt, animadvertendo, antea legem, decretumve condi,

& post

& post reditum in Urbem vulgari, Tiberio ipso fortasse reluctante, quemadmodum contigit, Vellejo teste, ante adoptionem ob tribunitiam potestatem &c. *Eoque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus – multum quidem eo cum domi, tum in Senatu recusante &c.* Et post Augustum quoque, cum ab Imperio se abhorrere palam profiteretur, vel aliis de causis nobis minime perspectis. Profecto noverat Suetonius cladis Varianæ tempore, ante Germanicam expeditionem, triumphum decretum Tiberio, quem multo post agere coactus fuit, *quas ob res triumphus ei decretus est, multique, & magni honores*. Potuit itaque non absimili modo decretum edi de Imperio Proconsulari in eumdem conferendo, quo tamen postea auctus fuerit. Pagius de hac scriptorum, ut ipse, ac Norisius arbitrantur, pugna hæc adnotavit „ „ Uter erravit incertum, eoque magis, quod Clemens Alexandrinus „ ab utroque discrepet, ut mox vidimus „. Sed Romanorum Historicorum dissidium lucro apponit Vir doctissimus, ne Suetonii testimonio ejus Chronologia evertatur. Pugnare autem Suetonium cum Vellejo tam est verum, quam Clementem ab utroque dissidere ob Imperii Proconsularis Epocham prius constitutam.

XVII Annus xv. Tiberii apud Lucam c. 3. est annus æræ Christianæ partim 27. partim 28. Auspicatur illum Syrus Evangelista ab autumno anni 27. undecim fere mensibus ante initium quintidecimi anni Imperii Augustæi Tiberii [inchoati labente mense Augusto anni 28.] idque tum more Syrorum, tum ob collatam Tiberio potestatem in Provincias, uno circiter anno ante supremum Augusti Imp. diem, Imperiumve Proconsulare, quo Tiberium eundem auctum noverat ab Augusto, Populo, Senatu, Consulibus. Proconsulare Imperium antea vix notum, vel in usum revocatum esse potuit in Syria. Hujusmodi annus est xv. Tiberii, non ob unum Pronconsulare, sed propter utrumque. Satis quidem foret mos Orientalium: ut enim post Petitum observat Vossius (qui Lucam censet numerare annos more Judæorum, vel Anthiochenorum, non Romanorum, de annis Christi differens] ex Judaico canone *dies unus in fine anni pro anno computatur*. Satis quoque foret Proconsularis Epocha, sed dum simul conspirant, annus xv. in præclaro lumine collocatur.

XVIII Veteres, qui anno Christi 28. primum a Baptismo Pascha peractum sentiunt, ita S. Lucæ verba interpretari coguntur. Sed aberrarunt, qui anno 29. Dei Filium Crucifixum arbitrati sunt, unius fere anni spatio tot res gestas complexi, ut non nullis tum Catholicis, tum Hæreticis, dispari tamen ratione, usuvenit; aberravitque J. G. Vossius eorum premens vestigia. Annum priori adiicere oportuit, & supremum Pascha conferre in sequentem annum Dionysianum xxx. Imperii Augustæi Tiberii, Romano more xvi. Patet idcirco illos sibi constare, qui annum xv. Tiberii coniiciunt primum, atque supremum Christi Pascha, cum duplex annus, diversa utique ratione diceretur quintus decimus, tum qui est nobis 28. tum qui est 29. Ne cui vero mira hæc videantur. adnotare lubet, doctissimum Petavium ab hac methodo minime abhorrere *lib. 12. de Doct. Temp. c. 5.* ubi Scaligerum exagitat conatum ex anno xv. Tiberii apud S. Lucam annum Christi natalem „ constituere. Denique quis ariolari possit, utrum Lucas annorum Ti„ berii primordium ab ipso Juliano mense, quo Imperium iniit, an ab

„ antece-

„ antecedenti Nisan, vel autumno, ut Antiochenis mos erat, inchoavit? Rursum L. *eodem* 12. *e. pariter* 12. hæc in rem nostram habet, differens de Anno Passionis ex Eusebii, & Epiphanii sententia „ sed in horum explicanda sententia minus attente plerosque versari video, qui Imperatoris illius [Tiberii] annos, more Romano, ab eo die, quo imperium iniit, computandos existimant: quod non ita est. Etenim a populari civitatum suarum exordio Patres illi annos inchoabant, nimirum ab autumno antecedente æstatem illam, qua Augustus excessit.

XIX Clemens Stromateus ea profert *lib.* 1. *Strom.* quæ nobis, annoque huic vulgari 30. Christi postremo, aperte favent. Principio mortem Reparatoris nostri consignat anno Tiberii xv. tum vero nonnulla habet de die natali, ac de sententia Basilidis sectatorum circa Baptismi tempus: tandem de anno Christi supremo iterum agens animadvertit arbitrari quosdam, quos magis acutos, accuratosque vocat, passum esse Dominum anno xvi. Tiberii, qui utique est communis 30. ut „ annus xv. illi erat, Pagio fatente 29. „ Et de ejus Passione subtilius „ differentes aliqui sextodecimo anno Tiberii Cæsaris 25. Phamenoth, alii vero 25. Pharmuti, alii autem Pharmuthiig. dicnnt passum esse Dominum. *Toy aeritoloioymenoi phèroysin oi men tines to eccaidecàto, èter Tiberioy caibaros C. T. L.* Ut ut sit de variis mensibus, atque diebus, in quibus designandis facile error, mendumve subrepere potest, comperta res est secundo Ecclesiæ sæculo existimasse subacto ingenio viros annum mortis Chisti fuisse xvi. Tiberii: neque enim quis adeo desipiat, ut Proconsulare quorumdam imperium hic ingratiis obtrudat, & omnia turbet, & Passionem ineptissime revocet ad annum vulgarem 27. quod neque acutiores, neque verbo hebetiores Chronographi unquam cogitarunt.

Adnotat Bettazius, quod juxta præceptum quintum Reinholdi in Tabulis Prutenicis, ab Anno 28. Æræ vulgaris usque ad annum 31. inclusive, dies 25. Phamenoth concurrit cum die 8. Martii, dies 25. Pharmuti in diem 7. Aprilis incidit; dies denique 19. Pharmuti respondet Kalendis Aprilis. Quare manifestum est, Passionem Christi non potuisse contingere die 25. Phamenoth; id ipsum evidens est de die 19. Pharmuthi. Isto enim die Passio Christi tunc contingere non potuit, nisi in orbem redierit litera Dominicalis B. quæ feriam sextam designat Kalendis Aprilis. Constat autem ex Tabula, quam *num.* 93. exhibuit diem primam Aprilis, currente litera Dominicali B. longissime distare a Plenilunio. Dies vero 25. Pharmuthi cum iis præcise concordat, quæ protulit in Dissertatione. Iste namque dies Anno 30. Æræ vulgaris fuit feria sexta, ac luna quintadecima.

XX Annum eundem Dionysiannm 30. Tiberii 16. Christi postremum fuisse arbitratus est ineunte sæculo III. insignis ille temporum metator Julius Africanus, qui in re Chronologica palmam cæteris ejus æqualibus præripuisse videtur. Ejus testimonium apud Eusebium lib. 8. Demonst. & in fragmento Syncelliano extat satis perspicuum. Existimat anno 2. Olympiadis 202. Tiberii 16. contigisse tum Christi mor-

tem, tum eclipsin a Thallo, & Phlegonte memoratam „ a Nehemia „ &c. -- Artaxerxis 20. & ab Olympiadis 83. anno 4. ad hoc usque „ tempus, & Olympiadis 202. annum 2. Tiberii vero Cæsaris annum „ 16. alii anni 475. putantur, qui Hebræorum annis 490. -- coæquantur. *Olimpiados sbètos beyteron tiberioy decai saros ime morlas ètos is*. Quapropter Africanus scriptor in doctrina temporum apprime versatus ea tempestate, hac quidem in re sensit idem, quod antea calculo suo probaverant viri ex Clemente longe acutissimi.

XXI Cum Olympiadis 202. annus primus laberetur anno æræ Christianæ 30. & Tiberii 16. verna tempestate, qua Christus Cruci suffixus fuit; mirari quis possit, non priorem, sed alterum hujus Olympiadis annum ab Africano cum 16. Tiberii necti. At nodum scite Petavius dissolvit adnotando alios quoque Orientales scriptores Olympiades proleptice auspicari, vel a verno æquinoctio, vel ab autumnali quod præcessit: quo fit, ut vernis mensibus secundus annus a primo non discrepet. Pagio fatente (qui nobis Africanum eripere nititur, ut teste tam locuplete suam firmet Chronotaxin, Christique mortem in superiorem annum 29. reiiciat) Olympias Eusebiana in Chronico usurpata tum ab Eusebio, tum a S. Hieronymo in continuat: exordium ducit ab autumno antecedentè proleptice cum anno populari. Itaque non absimili methodo usus Africanus conjungit secundum Olympiadis 202. annum cum sextodecimo Tiberii. Conf. *Pagius Diss. de Periodo Græco Romana num.* 8[illegible]3.

XXII *Si quis autem qua jure, qua injuria*, Africanum licet invitum ad se trahere conatus, mendum irrepsisse clamet, textumque castigandum, expunctoque, anno 2. Olympiadis 202. legendum suo periculo statuat anno quarto Olympiadis 201. vel alia quavis ratione, edicatque, ut critici quidam solent, dictatoris quodammodo auctoritate, ne quis secundum legat, aut propugnet; ne is vehementer erraverit. Africanus, ut quivis facile intelligit ejus verba diligenter attendens, vel in Evangelica Eusebii Demonstratione, vel in Georgii Syncelli Chronographia, agens de LXX. Danielis hebdomadis, bene subductis rationibus, ab Olympiadis 83. anno 4. ad Olympiadis 202. annum 2. & Tiberii 16. colligit solares annos 475. quot re ipsa fluunt, si uterque annus, primus, atque postremus in summam conferantur: quæ labefactantur omnia, atque corruunt, si aliter rationes inire oporteat. Cætera a Pagio in medium allata non tanti ponderis sunt, ut Africanus, velit, nolit, Christi mortem conferre cogatur, in annum vulgarem 29.

XXIII Quoniam vero clarissimi Viri Dionysii Petavii S. J. jure magna est apud omnes existimatio, præsertim in re Chronologica, doctrinave temporum, non abs re erit Africani mentem, ejus verbis L. 8. Auctarii; *cap.* 2. ob oculos ponere „ mea aut in ancipiti, ac perplexa „ quæstione, conjectura est, Christum ex Africani opinione incarna„ tum esse anno periodi Julianæ 4712. biennio ante communem æram, „ mundi 5501. Baptizatum porro, duobus Geminis Coss. an. Tiberii „ xv. mundi 5530. exeunte, quem 5531. Aprili circiter excepit pas„ sum denique mundi desinente 5531. sequente 5532. Paschate, vel „ Aprili anni Christi communis xxx. Tiberii xvi. & Olympiadis 202. „ anno secundo nondum ab æstivis mensibus inchoato, sed *Cataprolipsin*

„ a Ja-

„ a Januario, aut alio quopiam initio popularis anni, quo usus est „ Africanus „ Hæc Vir doctissimus, tametsi ab Africano in Evangelica Chronologia dissidet, pugnans pro anno communi 31. sed Pagius nervum omnem inteudit, ut veterum Chronographorum principem in suas trabat partes.

XXIV Nulla superesset de anno Christi postremo disceptatio, si constaret quibus Consulibus actus in Crucem fuerit. Veteres complures *utrumque Geminum* eo anno Consulem tradunt; verum S. Epiphanius *Vinicium*, atque *Longinum* de Hæresi Alogorum agens. Quocirca post eos „ Consules &c. Quibus successere Coss. Vinicius, ac Longinus Cassius, „ sub quibus Salvator passus est A. D. XIII• Cal. April. „ Quanquam magna est in Epiphanianis fastis depravatio id tamen conceptis verbis profitetur, unde eam hauserit sententiam. Utrumque par Consulum locum sibi vindicare potest in anno Christiano 30. Judæorum, Syrorumve more inchoato ab autumno superioris anni 29. cum ab autumno ad Januarium, annive Juliani initium, Geminorum nomina inscriberentur, Calendis vero Januariis anni 30. & consequutis mensibus, Longini, atque Vinicii. Poterunt igitur omnes ad eundem annum pertinere. Ex Consulum ergo nominibus ab antiquioribus monumentis petitis passus est Dei Filius anno vulgari 30. quo Calendis Januar. ut communi omnium suffragio constat, *Consules* post *Geminos* processerunt L. Cassius Longinus, & M. Vinicius. Epiphanius, teste Petavio, Christi mortem anno sequenti 31. consignat, sed antecedenti autumno, initio anni popularis Orientalium, Coss. dicebantur Longinus, & Vinicius, quod fortasse Epiphanio fucum fecit: sed habenda quoque est ratio *Geminorum*.

XXV Huc accedit, quod causæ nostræ magno est adjumento, Cœlestes motus cum scriptorum veterum monumentis conspirare pro anno hoc 30. Nemo euim inficiatur hoc anno, quem propugnamus, lunam quartamdecimam primi mensis incidere in feriam quintam, & quintamdecimam, sive Azymorum festum diem, in feriam sextam. Eruit id ex Tabulis Astronomicis, & ex Cyclo Hebraico Vir clarissimus, complures annos in hisce literis summa cum laude versatus. Annum hunc 30. Christi emortualem esse vehementer probat Vir doctissimus. Nos quidem minime præterit, spectatis Cœlestium corporum motibus, Christi mortem coniici quoque posse in vulg. annum 33. Sed Redemptorem nostrum eo anno passum 30. vel 31. Baptismo perfusum, anno autem ætatis ejus 33. vel 34. Mysterium hoc consignandum, mortemque anno ætatis 36. vel 37. omnibus priorum sæculorum Scriptoribus adversatur, qui propius aberant a Christi, & Apostolorum temporibus. De Anno Dionysiano 31. ne verbum quidem facimus, tametsi suos habet propugnatores, quod neque cum antiquioribus monumentis, neque cum astronomica ratione componi possit. Annos ceteros, si qui supersunt, de quibus addubitare fas sit, iisdem fere de causis reiicimus.

QUÆSTIO SEXTA

ANONYMUS.

„ NUne, ut aliquid tandem in noſtrorum temporum uſum decer-
„ natur, illud ſexto loco quærendum occurrit: An ſi Grego-
„ riana ratio emendanda videatur, legitimæ Paſchæ celebrationi ſa-
„ tis ſit proſpectum ad annum ſaltem Chriſtianæ Æræ 5000. ubi pro
„ conſuetis epactis Lilianæ, aut pro utriſque aliæ, ex radice alia in-
„ termedia, veluti ex anno 400. cum litera tabulæ expanſæ P. dedu-
„ ctæ uſurpentur, intacto alioquin Gregoriano Kalendario, eademque
„ in æquandis epactis ratione ſervata, qua in præſens utimur.

SOLUTIO.

1 Poſtquam Anonymus diſcutiendas propoſuit Paſchales regulas, quæ in Cyclorum ordinatione, aut examine adhiberi debent, ad ea ſapienter procedit, quæ in noſtrorum temporum uſum decerni oportet. Diximus in præcedenti Quæſtione *num.* 55. *& ſeq.* æqualitatem in æſtimandis Cyclorum erroribus ſervandam eſſe, eaſque Leges, quibus, quaſi Cyclorum criteriis Epactæ currentes expenduntur, adhibendas quoque eſſe in examine Epactarum cujuſvis methodi, quæ pro noſtrorum temporum uſu proponuntur; ac denique Laterculum, Quæſtione ſeptima exhibitum, evidenter oſtendere, Paſcha rectius quacumque alia methodo indici per Cyclum aureæ columnæ Annorum triginta octo, deinde vero per Epactas juxta Lilii, mathematicorumque Gregorianorum methodum æquatas, poſita nempe radice Æquationis Anno Domini 500. ut dixi etiam in Epitome *pag.* 145. §. *Dicet. &c.*

2 At licet ſolo prædicti Laterculi intuitu rectum de Cyclis in eo commemoratis proferri poſſit judicium ab Anno Domini 1700. incluſive uſque ad Annum 4800. excluſive, quouſque extenditur idem Annorum numerus in Epactarum Tabula, quam pro hujuſmodi examine Anonymus exhibet Quæſtione nona; illud tamen magis perſpectum, & exploratum erit, ſi quæ de menſe errata collective in eodem Laterculo notata ſunt, expendi præciſe velint. In numero enim collectivo peccatorum de menſe non ſolum illa includuntur errata, per quæ [uſurpata Ogdoade pro Hendecade, vel è contra] plura ſæcula deturpantur; verum etiam illa de menſe errata, quæ Cyclo imputari non debent; ex eo quia Cyclus ipſe Ogdoadem, & Hendecadem ſuis in locis locatam illo labente ſæculo manifeſtat, Exempli gratia in reliquis ejuſdem ſæculi Annis, eodem aureo numero inſignitis bene quoad menſem procedit. Quare breviter dicam quota, & quæ ſint præciſe ſæcula illo ter mille, & amplius Annorum intervallo, quæ a ſingulis Cyclis, ſervato prædicti Laterculi ordine, deturpata ſunt, inverſa Ogdoade in Hendecadem, & e contra; & ſic rectum de Cyclis proferri poterit judicium.

3 Epactæ currentes quinque ſæcula deturpant, tria ſcilicet, in quibus indicunt Paſcha ultimo menſe Anni ſuperioris; & ſunt poſt Annum 1700. currente aureo numero 14. poſt annum 2300. currente aureo numero 17. & poſt annum 4200. currente aureo numero 15.

Duo

Duo autem sæcula, in quibus indicunt Pascha secundo mense labentis Anni, & sunt post Annum 3300. currente aureo numero primo; & post Annum 3900. currente aureo numero quarto.

4 Epactæ Lilianæ tredecim sæcula deturpant indicentes Pascha secundo mense labentis Anni, & sunt post annum 1800. currente aureo numero 14. post Annum 2200. currente aureo numero 6. post Annum 2500. currente aureo numero 17. post Annum 2900. currente aureo numero 9. post annum 3300. currente aureo numero 1. post annum 3400. currente eodem aureo numero 1. post annum 3500. currente aureo numero 12. post annum 3700. currente eodem aureo numero 12. post annum 3900. currente aureo numero 4. post Annum 4100. currente eodem aureo numero 4. post Annum 4300. currente aureo numero 15. post Annum 4400. currente eodem aureo numero 15. & post Annum 4700. currente aureo numero 7.

5 Epactæ ex radice Anno 400. affixa, novem sæcula deturpant, indicenes Pascha secundo mense labentis Anni, & sunt post Annos 2200. 2500. 2900. 3300. 3500. 3900. 4100. 4400. & 4700. iisdem respective, currentibus aureis numeris, ac dictum est de Epactis Lilianis.

6 Epactæ, quas edidi in Epitome *pag.* 143. ex radice Anno 500. posita, duo tantum sæcula deturpant, indicentes Pascha secundo mense labentis Anni, & sunt post Annum 3300. & post Annum 3900. currentibus iisdem aureis respective numeris, ac dictum est tum de Epactis currentibus, tum de aliis Epactis.

7 Epactæ Joannis Dominici Cassini quatuordecim sæcula deturpant, indicentes Pascha secundo mense labentis Anni, & sunt post Annos 1800. 2200. 2500. 2900. 3300. 3400. 3500. 3700. 3900. 4100. 4300. 4700. currentibus semper iisdem respective aureis numeris, ac dictum est de Epactis Lilianis, & insuper post Annum 2600. currente aureo numero 17. & post annum 3000. currente aureo numero 9.

8 Epactæ, quas edidi, atque in prædicto Laterculo appellatæ ex Periodo Bettazzii Annorum 247600. Gregorianorum, quatuor tantum sæcula deturpant; indicentes Pascha secundo mense labentis Anni, & sunt post Annos 2900. 3300. 3400. & 4100. currentibus respective prædictis aureis nnmeris.

9 Epactæ, quas edidi, atque in prædicto Laterculo appellantur ex Cyclo aureæ Columnæ Annorum triginta octo, nullum sæculum deturpant; quæ enim de mense errata in prædicto Laterculo adnotantur, quippe quæ semel, aut bis quibusdam inter sese distantibus sæculis contingunt, recte procedentibus ceteris Annis ejusdem sæculi, eodemque aureo numero insignitis, tolerari debent in Cyclo, ex dictis Quæstione quinta *num.* 26. *& seq.* & Quæstione septima *num.* 2. *&* 5.

10 Hoc perdifficili examine, quod quisque comprobare potest etiam ex magna Tabula Festorum mobilium apud Clavium *in Explic. Calend. cap.* 22. licet hæc Tabula, uti notabitur Quæst. septima *num.* 2. & Quæst. nona, aliquando mendosa sit: Hoc, inquam, perdifficili examine tria constant evidenter; *Primum* est, quod nullus Cyclus, nisi ille ad præsens usitatus, tam enormiter deturpat plura sæcula peccatis ultimi mensis; idque nulla facta mentione eorum, quæ contra Epactas currentes dicta sunt Quæst. prima *num.* 56. *Alterum est*, quod retenta æquandi Epactas methodo a Lilio tradita, solæ Epactæ quas in Epitome *pag.* 143.

143. edidi ex radice Anno 500. posita, & quas postea detexi a Gregorio XIII. præstitutas, minora numero sæcula deturpant quoad mensem; atque ea ipsa sæcula a currentibus, aliisque Epactis deturpata sunt. *Tertium* est, quod solus Cyclus Aureæ Columnæ nullum sæculum deturpat, quoad mensem. Itaque.

11 Ad sextam Quæstionem respondetur, quod — *Etsi ad præsens usitata Epactarum ratio emendanda sit, nihilominus legitimæ Paschæ indictioni satis non est prospectum ad Annum saltem Christianæ Æræ* 5000. *ubi pro consuetis Epactis Lilianæ, aut pro utrisque illæ ex radice Anni* 400. *cum litera Tabulæ expansæ P. deductæ usurpentur, quamvis intactum relinquatur Gregorianum Calendarium, & Martyrologium, nec non eadem servetur ratio in æquandis Epactis, a Lilio tradita.*

QUÆSTIO SEPTIMA

ANONYMUS.

„ Bettazzius sane, quamquam a radicum mutatione aliquid compendii fieri existimet, ac propterea epactarum ex anno 500. „ procedentium tabulam proponat [quæ ipsæ expendi poterunt] ejusmodi tamen correctiones minime omnibus numeris absolutas esse „ profitetur. Primum enim epactas inde elicitas, si consueta æquationum „ ratio retineatur, paulo minus Gregorianis adversus Cyclorum leges „ [a se ipso videlicet latas, quas Catholicæ Ecclesiæ sensui maxime „ consentaneas judicat, ac infringi nefas putat] peccare deprehendit, „ id quod ipsa erratorum enumeratione declarat; ubi & illam epactarum inveniendarum rationem exagitat, quam Cassinus in Astronomiæ Indicæ regulis insinuaverat. Deinde in errorum causam inquirens æquationum scilicet methodum occulto quodam vitio laborare „ monet, quod vitium Clavio quidem animadversum, sed neque e germanis causis deductum, neque remediis ab ipso excogitatis rite curatum, longissimi demum temporis lapsu se prodat.

„ Propterea majus aliquid spectans, & in remotissima quoque „ tempora prospiciens æquationes illas antiquandas, & novam aliquam „ epactarum dispensationem adornandam putat, eique usui plures „ Cyclos a sese excogitatos profert quorum singulorum rationes „ ex ipsa auctoris Epitome petendæ sunt, cum paucis explicari non „ possint.

„ Præsertim vero in ea methodo conquiescit, quam Cyclum aureæ columnæ annorum 38. appellat; hanc enim maxime omnium „ Lunæ conversionibus quadrare, & legitima Paschæ tempora servare „ comperit. Methodus autem in hoc est posita: Ut cujuslibet sane „ anni epacta ex ea, quæ præcedenti anno competit perpetuo, quemadmodum consuevit, dierum undecim additamento confletur, triginta rejectis, quoties summa ad triginta excreverit, eoque excepto loco, quem saltum Lunæ appellant, ubi pro undecim duodecim addendi sunt; verum hic ipse saltus minime certam in decennovennali periodo sedem obtineat, neque adeo [quod nunc usu receptum est] post Aureum numerum 19. perpetuo fiat, sed aliis Christianæ Æræ sæculis in alios Aureos numeros, eodem tamen sæ-

„ culo

„ culo semper in eundem incidat. Ipsis vero centesimis annis, & epa„ ctarum illa series abrumpatur, & Lunaris saltus sedes mutetur. Ad „ novam autem epactam, quæ proximo inde sæculo usui futura sit in„ veniendam, nec non ad locum Lunaris saltus per id temporis præ„ finiendum certam regulam constitui posse nullam arbitratur, sed „ tentandum existimat, quæ epactæ quo cum Lunæ saltu compositæ eo „ vertente sæculo quam minime in Paschali celebritate indicenda Ec„ clesiæ institutis adversentur, in primis vero duodecimum mensem, „ ac quartamdecimam Lunam effugiant, atque eas demum eligendas „ statuit.

„ Itaque hæc methodus in eo Cycli naturam servat, quod, una „ quadam epacta semel initio sæculi constituta, ac Lunaris saltus sede „ præscripta, aliæ deinceps ex aliis perpetuo quodam ordine nectan„ tur; in eo autem a Cycli elegantia deficit, quod ipsis centesimis „ annis nulla certa proposita regula consulit. Neque tamen idcirco „ minus hanc rationem probandam arbitratur, quandoquidem indo„ ctorum vulgus, ad cujus præsertim ingenium paschales regulas con„ formari decet, centennales illas epactas nihil moratur, sed Kalen„ darii Curatoribus, cum opus fuerit, investigandas relinquit.

„ Hisce jactis fundamentis sæculares epactas, ac saltuum Lunæ „ sedes ad annum 5000. in tabula profert, has enim denique, per „ innumera tentamina ad ea, quæ ipse sequitur Cyclorum criteria „ exactas, quam minimis vitiis obnoxias comperit. Hæc quidem „ ejus methodi est summa, quæ vero ad ipsam methodum perficien„ dam adorsus est, ut perpetua evaderet [nempe ut post certum „ temporis intervallum eædem sæculares epactæ, saltusque Lunæ iidem „ in orbem recurrerent] non prosequimur, cum ipse sibi in his mini„ me satisfecerit.

„ Septimo igitur quærendum. An consultius sit ad Paschæ indi„ ctionem, consuetis epactarum æquationibus abrogatis, unum ali„ quem e Cyclis a Bettazzio excogitatis sectari, eum præsertim, cui „ titulum fecit aureæ columnæ annorum 38. quicumque vero ex iis „ probetur, an illæ ipsę epactæ accipiendæ sint, quas auctor in Ope„ ris paschalis Epitome in tabulas retulit.

S O L U T I O.

1 Epactæ, quas producit Radix Anno 500. posita, spatio ter mille Annorum ab hinc futurorum, licet ab Epactis currentibus diversæ non sint, nisi sex tantum sæculis, nihilominus triæ illa sæcula mirabiliter corrigunt, in quibus currentes Epactæ Pascha indicunt ultimo superioris Anni mense, quod maxime considerabile est, silentio etiam præteritis illis uno, & sexaginta peccatis in quarta hebdomada Lunæ, quæ corriguntur, uti constat ex dictis in Epitome *pag.* 144. *& seq.* ac notavi Quæstione quinta *num.* 36. *& seq.* nec non Quæstione sexta in fine.

2 Cyclus vero Aureç Columnæ Annorum triginta octo, de quo sermo habitus est in Epitome a *pag.* 147. usque ad *pag.* 162. ubi opportunæ Tabulæ exhibentur, nec non *pag.* 225. *& seq.* ac etiam in Actis Eruditorum Lipsiæ elegantissime editis Anno 1734. mense Se-

ptembre;

ptembre; Cyclus, inquam; Aureæ Columnæ Annorum triginta octo longe rectius quacunque alia methodo Pascha indicit, non solum hoc labente sæculo, in quo nunquam peccat, sed etiam futuris perpetuo sæculis. Id summarie manifestat infrascriptus Laterculus, in quo errata singularum methodorum, quas Anonymus expendendas proponit in Tabula post nonam Quæstionem, adnotavi, juxta proprias species distincta, licet nonnullæ distinctiones claritatis gratia appositæ sint, ab Anno Domini 1700. inclusive usque ad Annum 4800. exclusive, adhibitis æqualiter in expendenda qualibet methodo iisdem octo regulis, quasi Cyclorum criteriis, relatis Quæstione quinta *num.* 14. Censui in eodem Laterculo inserere etiam quid emergat in Epactis Cassinianis, ne elegantissima hujus insignis Viri methodus per me neglecta videatur. Errata cujusvis methodi collective in eo adnotavi, ne tam grandis, & tædiosa fieret illorum descriptio, quam tamen quisque veritati consonam deprehendet, rem conferens, si grave nolit subire onus supputandi eadem Plenilunia, rem, inquam, conferens cum magna Tabula Festorum mobilium apud Clavium *cap.* 22. licet hæc aliquando mendosa sit. In ipsa enim, licet astronomici mediorum Pleniluniorum calculi quotannis recenseantur, nonnulli tamen pauci errores, Typographorum incuria, irrepserunt; & insuper cum minuta prima aliquando inserviant ad arguendum erroris, vel ad excusandum ab eo Cyclum, hæc minuta prima ipse Vir præclarissimus brevitatis gratia omisit, opportuna tamen præmissa adnotatione. At cum magna sit inter prædictos Epactarum Cyclos differentia, sufficit, ut pro hujusmodi collatione accipiatur prædicta Tabula apud Clavium, ubi tamen Plenilunia, quæ Annis centesimis non Bissextilibus competunt, omnia solido die tardiora sunt, ac propterea emendanda.

LATER-

NDICTIONE PASCHÆ, AB ANNO DOMINI
LEM DESCRIPTIONEM ERRANT
IN EADEM REGIONE.

ndo men- llo ex- Pleni medio Mart. termi- aſchales	*Die ante medium Pleni- lunium*	*In quarta Lunæ hebdomada, quando medium Plenilunium contigit die Sabbati, & Paſcha nihilominus differtur in diem Dominicum tunc non proximum*	*In quarta hebdomada Lunæ, quando medium Plenilunium contigit die Dominico a præcedente solis occaſu uſque ad merid. & Paſcha nihilominus differtur in ſequentem diem Dominicum*
5	12	10	135
0	164	0	10
7	80	0	33
4	30	1	82
7	163	3	40
1	39	5	100
	4	0	62

nice
ne-
pec-
ccu-
de-
luæ-
uar-

3 En summa, quam maximi laboris, ac studii, ex qua poterit quisque certo scire, quæ nam ex hisce methodis quam accuratissime Pascha indicat usque ad Annum Æræ vulgaris 4800. exclusive, si errata cujuscumque methodi in unum collecta [præteritis semper, uti oportet, peccatis in quinta Columna notatis, quæ, uti patet Quæstione quarta dici nequeunt Cycli peccata] comparare dignetur cum peccatis in unum similiter collectis, alterius methodi. Hoc peracto facili computo, unicuique manifestum erit, quod *indictione Paschæ* longe rectius quibuslibet aliis methodis procedunt Epactæ Cycli Aureæ Columnæ Annorum triginta octo, deinde Epactæ Cycli, quas producit Radix Anno Domini 500. posita a me editas in Epitome Operis Paschalis *pag.* 143. & quas postea, ut dictum est Quæst. quinta, detexi fuisse a Gregorio XIII. præstitutas. Id ipsum manifestum erit, si res etiam, uti oportet, diligentius expendatur, scilicet secundum peccatorum gravitatem, quæ recto ordine digesta est illis octo regulis supra memoratis, ac relatis Quæstione quinta.

4 Id itaque præcipuum est in hoc Aureæ Columnæ Cyclo, ut non solum labente hoc, & quibusdam aliis sæculis nunquam peccet indictione diei Paschæ, verum etiam in quolibet futuro sæculo graviora semper declinet peccata; & ea demum, quæ cæteris leviora sunt, notata in ultima Laterculi Columna cum frontali titulo — *In quarta hebdomada Lunæ* — sæpe nihilominus vitet. Imo ipsomet Aureæ Columnæ Cyclo recte æquato possibile non est, ut singulis futuris sæculis Ogdoas, & Hendecas suis locis affixæ non sint, & consequenter Pascha indicatur alio mense, quam primo, etiamsi mundus per modum hypothesis foret in perpetuum duraturus, & quæ rectitudo illo ter mille annorum spatio cernitur, eadem deinde semper non deprehendatur, quamvis futuris perpetuo temporibus varianda etiam foret Anni Solaris Æquatio, & ulterius, quamvis Posteri aliam inveniant Synodici mensis magnitudinem; ex recta enim ejusdem Cycli æquatione errata multa declinantur, ac propterea ipse Cyclus Aureæ Columnæ merito dici potest perpetuus, quoniam Dei Ecclesia quacunque circa Anni Tropici, Synodicique mensis magnitudinem emergente variatione, nunquam indigebit, ut Periti opportunam tunc exquirant methodum, qua Pascha, quam rectissime fieri potest, per Calendarium Gregorianum indicatur. Solum namque sufficit, ut elapsis ter mille Annis ab hinc futuris, si tamdiu tardaverit dies universalis Judicii, Summus Romanus Pontifex alicui Astronomo committat æquare Epactas, juxta Canonem Cycli Aureæ Columnæ Annorum triginta octo, adhibendas, exempli gratia, ad bis mille Annos, ab Anno 5000. quousque illas æquavi tunc futuros, & ita usque in extremum mundi Diem. Quæ prædicta omnia per nullum alium civilem, ac regularem Cyclum obtineri possunt.

5 Hoc tantum in prædicto Aureæ Columnæ Cyclo contingere potest [sicut revera contingit] circa mensem Paschalem, ut quamvis Ogdoas, & Hendecas suis locis affixa sint, nihilominus Epactæ ejusdem Cycli quibusdam paucis Annis aliquorum sæculorum, licet rarissime, interdum peccent; sed hoc advenit necessario, ne cæteris Annis ejusdem sæculi, atque eodem aureo numero insignitis, Pascha dislocetur e propria sede primi mensis, quemadmodum exemplum notavi in Epitome *pag.* 75. *& seq.* Id vero nihili pendere debemus ex iis, quæ superius exhi-

bui Quæstione quinta *num.* 26. *& seq.* imo æque ac per accidens, & præter Ecclesiæ intentionem contingere reputandum est ex dictis Quæstione quarta *num.* 5. *&* 8. *& seq.* ac de facto non curavit Sanctus Dionysius Archiepiscopus Alexandrinus in emendatione Cycli Julii Cæsaris, de qua egimus in Dissertatione post tertiam Quæstionem *num.* 61. *& seqq.* neque curavit sanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinus Patriarcha in centenario cursu, quem memorat Sanctus Leo Magnus in Epistola 64. ad Martianum Augustum, ac denique non curavit Sanctus Cyrillus similiter Patriarcha Alexandrinus in suo Cyclo Annorum 95. qui initium habet Anno juxta vulgarem Christi Æram 437. præseferebatque quinque revolutiones Cycli decennovennalis Nicæni; quos Cyclos observatos respective fuisse in Ecclesia Romana, & Alexandrina late probatum est in Dissertatione post Quæstionem tertiam. Sanctus enim Dionysius Alexandrinus, cujus Ævo sedes Æquinoctii erat die 22. Martii, Paschalem quartamdecimam affixit diei 22. ejusdem mensis cum aureo Julii Cæsaris numero tertio, ac propterea ne Cyclus Paschalis peccaret translatione Paschæ in secundum mensem, peccaret, inquam, Anno 262. atque 319. in quibus in orbem rediit aureus Julii Cæsaris numerus tertius, mediumque Plenilunium contigit in civili die 23. Martii, ipse Sanctus Dionysius toleravit, ut Cyclus recurrente eodem aureo Cæsaris numero tertio erraret Anno 281. eo scilicet modo, quo diversis sæculis tolerarentur in Cyclo Aureę Columnę illa tredecim peccata descripta in tertia Laterculi columna, ac etiam erraret Anno 300. eodem nempe modo, quo diversis sæculis tolerarentur in prędicto Cyclo Aureę Columnę illa septem peccata, quę notata sunt in secunda Laterculi columna. Anno enim 281. medium Plenilunium ad meridianum Romanum contigit Martii die 22. hor. 0. min. 57. & sec. 3. Anno autem 300. medium Plenilunium fuit Martii die 21. hor. 17. min. 29. & sec. 30. semper post meridiem.

Theophilus vero Patriarcha Alexandrinus, & Sanctus Cyrillus Anno 452. currente aureo Nicęno numero 16. tolerarunt, ut Cyclus Pascha indiceret die Dominico immediate post diem 21. Martii, quamvis medium Plenilunium contigerit Martii die 21. hor. 5. min. 49. & sec. 4. post meridiem; eodem scilicet modo, quo diversis sęculis tolerarentur in Cyclo Aureę Columnę illa tredecim peccata, quę notata sunt in tertia Laterculi Columna. Anno autem 528. eodem recurrente aureo numero 16. tolerarunt similem Paschę indictionem, licet medium Plenilunium contigerit Martii die 20. hor. 23. min. 58. & sec. 50. post meridiem, eodem videlicet modo, quo diversis sęculis tolerarentur in prędicto Cyclo Aureę Columnę illa septem peccata, quę notata sunt in secunda Laterculi Columna, tolerarunt, inquam, ne intra prędictam Periodum Annorum 95. Pascha e propria sede primi mensis dislocaretur aliis Annis ejusdem Periodi, atque eodem aureo numero 16. insignitis, nempe Annis 471. 490. & 509. Quanti habenda sit prelaudatorum Alexandrinorum auctoritas, ex eo cognoscitur, quod Alexandrinis Patriarchis Nicęni Patres delegarunt, ut quotannis diem Paschę summo Romano Pontifici annuntiarent, ut hic universo Orbi Pascha indiceret; ita Sanctus Leo Magnus in Epistola 64. ad Martianum Augustum, & Sanctus Cyrillus in Prologo apud Petavium *de Doct. Temp. tom. 2. in Append.*

Cum

6 Cum hoc igitur Aureæ Columnæ Cyclo sumus in terminis Cycli quam accuratissime ordinati, eoque fortius, quia post responsum ad primam partem hujus septimæ Quæstionis demonstrabitur, quæ graviora peccata committerentur, si Cyclus ipse alium etiam quam levissimum errorem emendaret. Quare si ipse quandoque, sed raro, peccet, tales defectus nihili pendendi sunt ex iis, quæ exhibui Quæstione quinta *num.* 26. *& seqq.*

7 Si quis vero optaret ex certa regula præcognoscere Epactam secularem, & in quem locum saltus Lunę singulis seculis affigi debeat, quę tamen regula necessaria non est, ut probatum est in Epitome *pag.* 148. *& seq.* atque declarat Illustriss. Manfredi apud Epitomen *pag.* 229. sciat, quod quęcunque regula statueretur, hęc duo Cyclus involveret. *Primum* est, quod posset tunc contingere, ut aliquibus seculis intra spatium ejusdem circuli decennovenualis per Calendarium Gregorianum duo Novilunia cyclaria indicantur, quod esset contra Astronomię Leges, & praxim Nicęnam, uti notatum est in Epitome *pag.* 150. *Alterum* est, quod Cyclus ipse aliquando deturparetur; profecto enim fieret, ut ipse aliquibus sæculis rationem Embolismorum non retineat, usurpata scilicet Ogdoade pro Hendecade, vel è contra; & consequenter Pascha indicat alio mense, quam primo, ac etiam fieret, ut sæpius peccet indictione Paschæ ante Plenilunium, quemadmodum expertus sum, & ratio suadet; quoniam media Plenilunia Paschalia in correspectivis Annis cujuslibet dati sequentis sæculi (hosce correspectivos Annos appello exempli gratia Annum 1705. & 1805.) non solum diversam habent horarum distantiam a meridie; sed etiam inæqualem habent solidorum dierum civilium distantiam inter sese, atque a terminis Paschalibus, ac denique a die Dominico: quod breviter manifestum faciam. Progressus enim Lunæ illis Annis, cum minor sit numero dierum septenario, quo constat hebdomada, prædictam inæqualitatem producit a die Dominico, ex quo fit, ut multos Cycli defectus, quoad hebdomadam, quos producit etiam diversa Pleniluniorum distantia a meridie, frustra conamur certis regulis evitare. Illam vero inæqualitatem a terminis Paschalibus ipsemet Lunæ progressus profert; ex quo evenit; ut Cyclus certis regulis directus aliqua sæcula necessario deturpet, indicens Pascha alio mense, quam primo. Prædictam denique inæqualitatem, quam media Plenilunia inter sese illis Annis habent qui ista serio animadvertunt, faciliter agnoscunt, & uno, aut altero exemplo patefaciam. Anno 1627. medium Plenilunium contigit Martii — — — Die 31. hor. 8. 10′ 37″ p.m.
Anno autem 1727. advenit Aprilis — Die 5. 16. 24. 7.
Progressus ergo Lunæ est legitimus, nempe Diebus 5. 8. 13. 30.

Sed dies civiles, qui inter hæc Plenilunia interponuntur, exclusis terminis, sunt quatuor, nempe dies secunda, tertia, quarta, & quinta Aprilis.
Anno 1630. medium Plenilunium contigit Mar. Die 27. hor. 23. 20. 34″ p.m.
Anno autem 1730. advenit Aprilis Die 2. 7. 34. 4.
Quamobrem Lunæ progressus est idem, nempe Diebus 5. 8. 13. 30.

Sed dies civiles, inter hæc Plenilunia interpositi, exclusis similiter terminis, sunt quinque, scilicet, dies vigesima nona, trigesima, & trigesima prima Martii, nec non dies prima, & secunda Aprilis. Quamvis ergo idem sit Lunæ progressus, variatur tamen quantitas solidorum dierum civilium inter utraque Plenilunia. Qua propter id regulare invenio, quod contingente medio Plenilunio inter spatium horarum 8. min. 13. & sec. 29. ante occasum solis, medium Plenilunium correspectivi Anni cujuslibet dati sequentis sæculi distantiam perpetuo amplectitur civilium solidorum dierum quinque exclusis terminis, in quibuslibet vero aliis casibus, distantia solidorum dierum perpetuo est quatuor civilibus diebus, exclusis similiter terminis; hæc solidorum dierum variatio frequens est. Hine fit, ut quam plurimi defectus Cycli certis regulis declinari nequeant.

8 Diversa ergo distantia, quam, propter horas in progressu Lunæ abundantes ultra solidos dies, media Plenilunia in prædictis correspectivis Annis habent a meridie, atque inæqualis solidorum civilium dierum distantia, quam ipsa Plenilunia tunc habent, tum inter sese, tum a terminis Paschalibus, tum denique a die Dominico ab intrinseco ostendit, quod nulla certa regula tradi potest, non solum pro æquandis Annorum centesimorum Epactis; verum etiam pro definiendo singulis sæculis loco saltus Lunæ, nisi Cyclum enormibus apertissime exponamus erroribus tum quoad mensem, tum quoad hebdomadam; ac propterea non curemus utilitatem variationis sedis saltus Lunæ, quam variationem prælandatus Eustachius Manfredi apud Epitomen *pag.* 226. *& seqq.* valde commendat, atque capacitati vulgi æque accomodatam esse existimat, cum revera difficilius non sit meminisse, saltum Lunæ faciendum esse, ut in præsens observatur, post aureum numerum 19. quam meminisse faciendum esse post aureum numerum tertium, ut præscribit hoc sæculo Cyclus Aureæ Columnæ prædictus.

9 Verumtamen etsi locis *num.* 7. citatis constet, necessariam non esse certam regulam præcognoscendi Epactas sæculares, & in quem locum saltus Lunæ singulis sæculis affigi debeat, quemadmodum hujusmodi regulam exigendam non esse ostendunt inæquales distantiæ jam demonstratæ *num.* 7. nihilominus nota dignum censetur, quod in hoc sequimur Nicænos Patres. Isti enim, ut Æquinoctii verni sedem ex die 22. Martii antea servatam transferrent in diem 21. ejusdem mensis, ac successive aureos numeros ad regularem, rectamque (quantum fieri poterat) Paschalis quartædecimæ designationem disponerent, simulque quos Annos Æræ vulgaris ex Sancti Dionysii Archiepiscopi Alexandrini emendatione, antea (nempe Anno 260.) edita, recte emergebant embolismales, tales conservarent, prout ostendimus in Dissertatione post tertiam Quæstionem *num.* 164. *& seq.* ruperunt filum aureorum numerorum Julii Cæsaris, illucusque in Ecclesia pro celebratione Paschæ servatum, ut abundanter probavimus in allegata Dissert. *num.* 61. *& seqq.* Cum ergo certo constet, utrumque Luminare æquatione indigere; & cum in hujusmodi æquatione necessario variandæ sint Epactæ quoties ista æquatio occurrit, constituiturque sine prædicta regula, efficimus, quod Nicæni Patres fecerunt. Ex nulla enim præcedenti regula prodibant Niceni aurei numeri, nisi ex illa, quam ipsi sapientissimi Patres sibi præfixerunt, regularis nempe, & quam rectissime indi-

ctionis

ctionis Paschę: & quidquid produxit ruptio fili aureorum numerorum Julii Cęsaris, pręfefert ruptio, quę fit singulis sęculis de filo Epactarum, Annis tantum centesimis adhibendarum, ac de loco saltus Lunę; idque tamen longe majori utilitate, quia unico Calendario Gregoriano res omnis conficitur. Usque adeo verum est, pręd ictam regulam non esse exigendam, ut sine hujusmodi regula statuentes Epactas sęculares, & locum saltus Lunę singulis sęculis adhibendum, sequamur etiam, quod Nicęni Patres fecerunt.

Superest itaque, ut individualiter manifesta fiant, quę currentium Epactarum errata corrigantur ab ipso Aureę Columnę Cyclo, & sunt ea omnia, quę obsignata sunt cum Cruceola in Tabula exhibita Quęst. prima *num.* 53. Anni namque in eadem Tabula descripti sine Cruceola incorrigibiles sunt ex iis quę inferius exhibebuntur *num.* 17. *& seqq.* Si vero quęras, an pro correctionibus uti supra factis alia ex eodem Aureę Columnę Cyclo scateant errata in aliis annis; Respondeo, quod nulla alia errata emergunt, nisi tria dumtaxat, in quarta Lunę hebdomada, nempe Annis 3953. 4636. & 4694. & insuper unum de ultimo mense, nullo tamen extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, nempe Anno 3344. ac denique alia duo similia, sed contingente medio Plenilunio post meridiem diei 21. Martii ante solis occasum, scilicet Anno 3936. & 3993. Quę singula omnia errata comprehensa sunt in summa apud Laterculum sub *num.* 2. neque curari debent ex dictis *n.* 5. *& seqq.* Quęstione quinta *num.* 26. *& seqq.* Si denique quęras, cur ista scateant errata, atque incorrigibilia remaneant, id assequeris ex demonstratione inferius posita, vel extensa *num.* 17. *& seqq.* Quare concluditur istum Aureę Columnę Cyclum vere, & realiter corrigere, quę omnia errata corrigibilia sunt Epactarum currentium; & sunt ab Anno 1700. ad Annum 4800. sunt, inquam, Paschata centum & tredecim, detractis nempe detrahendis, ut evidenter patet in prędicto Laterculo sub *num.* 2.

10 Quamvis non sine difficillima rei discussione patefecerim in Epitome a *pag.* 118. usque ad *pag.* 184. hunc dumtaxat Aureę Columnę Cyclum Annorum triginta octo [inter quosque possibiles, ibidem etiam expensos] esse rectissimum, huncque solum existimem (inspecta dumtaxat rectissima Paschę Indictione) esse aptissimum pro emendatione Calendarii; nihilominus in hypothesi tantum, quod posthabito ipso Aureę Columnę Cyclo, retinenda esse censeatur methodus ęquandi Epactas omnino regularis; *Calendarii emendatio tunc confici debet solo summi Romani Pontificis Decreto, quo statuatur, ut retenta Liliana methodo, Radix æquationis Epactarum locetur, prout istam locavit Gregorius XIII. Anno Domini 500. earumque æquationes fiant prout Mathematici Gregoriani declarant in Libello, quem Gregorio XIII. exhibuerunt propria ipsorum manu subscriptum, & cujus Libelli verba retuli Quęstione quinta num.* 39. Radix enim Anno 500. posita, excepto prędicto Aureę Columnę Cyclo, Epactas producit, Pascha rectius indicentes, ut dictum est, quacumque alia methodo saltem ad ter mille annos ab hinc futuros. An vero in prędicta hypothesi post Annum 4700. novas Epactarum Radices figi oporteat, assentior Anonymo, qui Quęstione quinta prope finem monet, id ex Posterorum observationibus esse dijudicandum.

Prę-

11 Prętereundum tamen non est, quod cum Epactas ex hac radice eductas expenderim quoad mensem Paschalem usque ad Annum Domini 13200. deprehendi, quod hæ Epactæ nullum sæculum vitiant in ditione Paschæ in ultimo mense, sed octo, & viginti sæcula deturpant, indicentes in eis Pascha secundo mense, usurpata scilicet Ogdoade pro Hendecade, vel e contra. Si vero Epactæ sæculares, ex eadem radice eductæ ab Anno 1600. inclusive usque ad Annum Domini 9200. exclusive, revolvantur in orbem per Periodum Annorum Gregorianum 7600. quo casu in qualibet hujus Periodi revolutione iidem aurei numeri in orbem sua natura recurrerent, & ipsæ Epactæ sęculares deprimendæ essent tribus tantum unitatibus, nempe Epacta xv. Anni 1600. produceret Epactam xii. Anno 9200. & sic de cæteris, longe rectius procederent. Tunc enim illo temporis intervallo ab Anno 1600. ad Annum 13200. nullum sæculum similiter vitiant ultimo mense, sed unum, & viginti tantum sæcula, uti supra, deturpant, annuntiantes Pascha secundo mense, quota scilicet numero sæcula Epactæ currentes per Clavium in *explic. Calend. cap.* 12. restauratę, ipso temporis intervallo deturpant, indicentes Pascha ultimo mense, ut notatum est Quęstione prima *num.* 56. ultra ea sex sęcula, in quibus eędem Epactę currentes Festum Paschę proclamant secundo mense, usurpata scilicet Ogdoade pro Hendecade, & e contra. Quamobrem, licet Posteris id curę relinquatur, ut ex observationibus judicent, an post annum 4700. novas Epactarum radices figi oporteret, nihilominus cum expediat, ut Cyclus Paschalis expurgetur [loquor semper in hypothesi, quod posthabito Aureę Columnę Cyclo, retinenda esse uti supra censeatur methodus Liliana] expurgetur, inquam, ab illo intolerabili absurdo, Quęstione prima *num.* 59. & 55. exposito, quod ab intrinseco involvit Liliana methodus, designandi scilicet tractu temporis novilunium, in qua die cœleste Plenilunium contingit, Epactę sęculares, ex prędicta radice productę ab anno 1600. inclusive usque ad Annum 9200. exclusive per prędictam Periodum, quam inveni Annorum Gregorianorum 7600. revolvi debent in orbem, tribus unitatibus deprimendę, & quando hujusmodi depressio fieri nequit, addatur triginta, & ex summa prędictę tres unitates subtrahantur, idque fiat quousque absolvatur Periodus Ludovisiana Annorum Gregorianorum 11600. qua elapsa omnes Epactę sęculares in orbem revocandæ sunt eædem, salvo usu Epactæ xxv. latino charactere inscriptæ, quæ usurpatur, quando concurrit cum aureo numero non majori 11. & Epactæ 25. arabico charactere inscriptæ, quæ adhibetur, quando concurrit cum aureo numero majori 11. Periodus enim Ludovisiana eosdem aureos numeros in orbem non reponit.

12 Notatur, quod si prædicta Periodus Annorum 7600. vel etiam integra Periodus Ludovisiana conflaretur per minores Periodos, exempli gratia, per Periodum Annorum Gregorianorum 4000. vel quamlibet aliam Periodum, minora quidem numero sæcula non deturparentur, inter quæ etiam nonnulla essent, in quibus Pascha tunc indiceretur ultimo mense. Neque id inconsulto, sed re serio expensa protuli; & ratio est, quia Epactæ, quas prædicta Radix producit, eędem non sunt, ac illę, quibus in Epitome *pag.* 129. usus sum ad conflandam primam periodum Cycli Annorum 247600. Insuper notatur, quod ne dimidiari

midiari quidem poteſt Ludoviſiana Periodus, iiſdem ſcilicet in orbem reaſſumptis Epactis Anno 7400. ut facilius ipſa Ludoviſiana Periodus coacervetur. Longe enim turpius Epactę procederent indictione Paſchæ quoad menſem; quod ipſum emergeret, ſi alias Periodos adhiberemus. Imo, ſi Periodus, quam inveni Annorum Gregorianorum 3120.hac lege uſurparetur, ut Epacta, exempli gratia Anni 1680.foret Epacta Anni 4800. & ſic de cæteris, primo intuitu videtur hęc Periodus aſſumenda, tum quia Plenilunia cœleſtia in orbem recurrunt cum ſola differentia min. 39. & ſec. 24. tum quia corrigeretur ſęculum poſt Annum 4800. & poſt Annum 6500. ac denique poſt Annum 7300. At non aſſumitur, quia in ejuſdem Periodi revolutione quatuor ſęcula deturparentur indictione Paſchę in ultimo menſe, ſcilicet poſt Annum 5700. & poſt Annum 6100. & poſt Annum 6700. ac etiam poſt Annum 7600.

12 Supereſt igitur, ut probetur, quod per Periodum Annorum Gregorianorum 7600. Epactę deprimendę ſint tribus unitatibus, quod breviter planum faciam. Media enim Novilunia, Pleniluniaque verſus finem menſis in qualibet revolutione hujus Periodi poſticipant diebus 3. hor. 3. min. 33. & ſec. 35. Anni namque 7600. Gregoriani, Periodos centum Calippicas, dieſque 2775843. amplectuntur, intra quorum dierum numerum Syzygię 93999. contingunt, deficientibus ad harum Syzygiarum complementum diebus 3. hor. 3. min. 33. ſec. 35. ter. 42. quart. 42. Itaque operę pretium eſſe cenſui, ſęculares Epactas totius Ludoviſianę Periodi deſcribere in ſequenti Tabula, ubi ſignum hoc ☾ denotat Lunę ęquationem tunc faciendam, ſive potius adhibitam, cruceola vero deſignat ſęcula, in quibus Paſcha, uti ſupra, indicitur ſecundo menſe, cui cruceolę adjacet aureus numerus, quo currente Paſcha indicitur ſecundo menſe. Literę demum, quę cuilibet centeſimo prefixę ſunt, illam Epactarum lineam in Tabula Epactarum expanſa denuntiant, quę tunc aſſumenda eſt, atque ſęculares Epactas producit, cuilibet centeſimo, facilioris commoditatis gratia, affixas. Centeſimi ex Gregoriana Correctione Biſſextiles cum adeſt -- Biſſ. -- communes vero, cum abeſt, indicantur.

TABU-

14 Si Posteri constantem ex observationibus deprehenderint Gregorianam Syzygię magnitudinem, quam semper adhibui, etiam ab Illustriss. Eustachio Manfredi probatam, tunc evidenter manifestum erit, quod Ludovisiana Periodus, septies revoluta, una solida die discrepabit mediis Lunę motibus; quoniam Ludovisiana Periodus magnitudinem Syzygię producit, sive amplectitur ea aliquanto minorem, quam communiter tradunt Astronomi, ac etiam Mathematici Gregoriani, ut exposui in Epitome *pag.* 123. Ipsa igitur Ludovisiana Periodus tunc adhiberi posset, quousque conficiatur Periodus, quam inveni, Annorum Gregorianorum 41192. jam expensa in Epitome *pag.* 134. *& seq.* per quam Periodum iidem aurei numeri in orbem recurrunt, mediaque Novilunia, & Plenilunia idem temporis momentum agnoscunt cum sola differentia minutorum 5. sec. 27. ter. 14. & quar. 8. non curanda. Quare Epacta Anni octavi cujusvis sęculi esset Epacta Anni centesimi in revolutione hujus Periodi Annorum 41192. Exemplum rem faciet clariorem Anno 1708. Epacta est VIII. Hęc esset etiam Epacta Anni centesimi 42900. & sic de cęteris, ut clarius explicatum est in Epitome *pag.* 135.

15 Quanquam Cyclus Annorum 247600. rectius Epactis currentibus procedat etiam indictione Paschę uti constat ex Laterculo superius exhibito, atque ex deductis in Epitome *pag.* 130. *& seq.* tamen cum Epactę quas producit Radix, Anno 500. posita, Pascha ad plura ab hinc futura Annorum millia indicant longe rectius prædicto Cyclo Annorum 247600. ut dictum est in Epitome *pag.* 146. de hoc Cyclo Annorum 247600. ulteriorem non faciam sermonem. His ita discussis.

16 Ad primam partem septimę Quęstionis respondetur; quod *consultius est ad Paschæ indictionem, consuetis Epactarum æquationibus abrogatis, Cyclum Aureæ Columnæ Annorum triginta octo sectari, qui (inspecta dumtaxat rectissima Paschæ Indictione) est omnium Cyclorum perfectissimus, & quo præscribitur, ut Epacta præteriti Anni centesimi* 1700. *elevetur unitate, translato saltu Lunæ post Aureum numerum tertium; sive clarius; ut Epacta futuri Anni* 1742. *elevetur unitate, ac deinceps hoc toto labente sæculo ex Anno in Annum, uti consuetum est progrediamur cum solito Epactarum additamento undecim unitatibus; saltus vero Lunæ, qui fit cum Epactarum additamento duodecim unitatibus, & hucusque fieri consuevit post aureum numurum* 19. *deinceps hoc toto labente sæculo solum fiat post aureum numerum tertium. In aliis autem futuris sæculis præscribitur, ut Epacta sæcularis, & locus saltus Lunæ adhibeatur, prout in Tabulis expositum est in Epitome pag.* 157. *& pag.*158. *atque Anonymus retulit in ultima Columna Tabulæ sub Quæstione nona. Si vero hic Cyclus actuali indictione Paschæ non aptus habeatur, ac propterea non probetur, sed retinenda esse censeatur methodus æquandi Epactas omnino regularis, quod non inficior, in hac tantum hypothesi consultius est sectari Epactas, quas juxta methodum Lilianam producit Radix posita Anno Christianæ Æræ* 500. *cum litera Tabula expansæ P. factis earumdem Æquationibus prout declarant Mathematici Gregoriani in Libello, quem ipsi Gregorio XIII. Sum. Pont. exhibuerunt, omnium subscriptione firmatum die* 14. *Septembris Anno* 1580. *& cujus Libelli verba retuli Quæst. quinta num.* 39. *Iste enim Cyclus posthabito illo Aureæ Columnæ, est omnium Cyclorum perfectissimus; & licet in Epitome operis*

Pascha-

A *Tom. I. Pag.* 368.

In qua ... æ Æquationis Epactarum posita Anno ... usque ad Annum 9200. exclusive,

... Epactarum elevationem deturparentur quoad mensem, & pluries ante Plenilunium Pascha celebraretur, nempe Annis 1835. 1855. Anni tamen 1876. & 1896. corrigi possent posito saltu Lunę post aureum numerum 14. sed ideo non corriguntur, quia Pascha indiceretur cum Quartadecimanis Hęreticis ante Plenilunium Anno 1899. & insuper

earumdem Æquationibus prout declarant Mathematici Gregoriani in Libello, quem isti Gregorio XIII. Sum. Pont. exhibuerunt, omnium subscriptione firmatum die 14. Septembris Anno 1580. & cujus Libelli verba retuli Quæst. quinta num. 39. Iste enim Cyclus posthabito illo Aureæ Columnæ, est omnium Cyclorum perfectissimus; & licet in Epitome operis

Pascha-

Paschalis pag. 143. *hunc ipsum Cyclum ediderim tanquam a me elucubratum, tamen post prædictæ Epitomes editionem detexi, illum ipsum esse, quem Gregorius XIII. præstituit, & ad nos pervenit deturpatum, atque corruptum ut dictum est Quæst.* 5. *num.* 41. *& seqq. Quo autem hæc Liliana methodus ab absurdo expurgetur, designandi tractu temporis Novilunium, in qua die Plenilunium cœleste contingit, notare sufficiat, quod Epactæ sæculares ex predicta radice eductæ ab Anno Æræ vulgaris* 1600. *inclusive usque ad Annum* 9200. *exclusive per Periodum Annorum Gregorianorum* 7600. *revolvantur in orbem, tribus tantum unitatibus deprimendæ; & quando hujusmodi depressio fieri nequit, addatur triginta, & ex summa tres prædictæ unitates subtrahantur, ut ostendit Tabula num.* 13. *exhibita; idque fiat quousque absolvatur Periodus Ludovisiana Annorum Gregorianorum* 11600. *qua elapsa eædem omnes Epactæ sæculares in orbem revocandæ sunt, retento tamen usu Epactæ* xxv. *latino charactere, & Epactæ* 25. *arabico charactere inscribendæ, ubi res exigit.*

17 Quo vero ad alteram partem ejusdem septimę Quęstionis illud expendendum superest, an rectius ęquari possint Epactę Cycli Aureę Columnę Annorum triginta octo. Cum enim hic Cyclus non omnia corrigat Cycli Currentium Epactarum errata, sed ea solum, quę obsignata sunt cum Cruceola in Tabula exhibita Quęstione prima *num.* 53. uti clarius notatum est *num.* 9. dubitari merito potest, an quę errata ipse Aureę Columnę Cyclus adhuc involvit in indictione diei Paschę, nisi omnia, saltem aliqua corrigibilia sint. Dico igitur, quod Epactę ejusdem Cycli rectius ęquari nequeunt; idque per singula sęcula juxta Gregorianam Solaris Anni ęquationem expensa demonstrabitur, adnotatis gravioribus peccatis, quę committerentur in reali Paschę celebratione, si unum aliquod erratum corrigere conaremur, & ita evidenter erit manifestum, quod supra dictum est, scilicet, quod cum hoc Aureę Columnę Cyclo sumus in terminis Cycli quam accuratissime ordinati, cujus defectus nihili pendendi sunt ex iis, quę exhibui Quæstione quinta *num.* 26. *& seqq.*

18 In sęculo post Annum 1700. prędictus Cyclus Aureę Columnę omnia Cycli vulgo Gregoriani corrigit errata, & nunquam peccat. In sęculo post Annum 1800. errat, pro ut ipse Cyclus non solum Anno 1856. indicens Pascha in ultimo mense, nullo tamen extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, sed etiam Annis 1832. 1852. 1876. & 1896. annuntians Pascha in quarta hebdomada Lunę. Non corrigit Annum 1856. ne è propria sede primi mensis dislocentur cęteri Anni, eodem aureo numero 14. insigniti, quemadmodum supra *num.* 5. probatum est, id perinde reputandum esse, ac si per accidens contingat, atque id ipsum factum fuisse a Sancto Dionysio Archiepiscopo Alexandrino, atque a Theophilo, nec non a Sancto Cyrillo Patriarchis Alexandrinis. Hi Anni efficiunt, ne corrigi possint Anni 1832. & 1852. ad quorum correctionem cum necesse sit, ut Epactę eleventur unitate, omnes Anni, quos signat aureus numerus 14. propter hujusmodi Epactarum elevationem deturparentur quoad mensem, & pluries ante Plenilunium Pascha celebraretur, nempe Annis 1835. 1855. Anni tamen 1876. & 1896. corrigi possent posito saltu Lunę post aureum numerum 14. sed ideo non corriguntur, quia Pascha indiceretur cum Quartadecimanis Hęreticis ante Plenilunium Anno 1899. & insuper

rejecta Gnome, Synesim adhiberemus Annis 1801. 1859. & 1879. In sęculo post Annum 1900. omnia Cycli prędicti corrigit errata, & nunquam peccat. In sæculo post Annum 2000. omnia corrigit ejusdem Cycli errata, exceptis hisce tribus in quarta hebdomada, nempe Anni 2052. 2072. & 2092. quæ corrigi possent, posito saltu Lunæ post aureum numerum 19. sed Pascha celebraretur ante Plenilunium Annis 2055. & 2075.

19 In sæculo post Annum 2100. eodem, quo Cyclus Currentium Epactarum, procedit modo. Peccat indicens Pascha ante Plenilunium Anno 2133. & in quarta hebdomada Anno 2177. Non corrigit Annum 2133. quia Pascha ipso Anno celebraretur in ultimo mense, quod ipsum contingeret etiam cæteris Annis, eodem aureo numero 6. insignitis. Annus vero 2177. corrigi posset, posito saltu Lunæ post aureum numerum 11. Sed Pascha ante Plenilunium celebraretur saltem Annis 2102. & 2122. In sæculo post Annum 2200. omnia ejusdem Cycli errata corrigit, excepto 2228. in quo Pascha indicit ultimo mense, nullo extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, sed tunc contingente post meridiem diei 21. Martii paulo ante occasum solis; ac similiter exceptis Annis 2248. 2268. 2272. & 2292. in quibus Pascha indicitur quarta hebdomada Lunæ. Non corrigit Annum 2228. ne Pascha e propria sede primi mensis dislocetur aliis Annis, eodem aureo numero 6. insignitis. Non corrigit illa quatuor errata in quarta hebdomada posito saltu Lunæ post aureum numerum 6. quoniam totidem saltem committerentur ante Plenilunium, scilicet Annis 2231. 2251. 2258. & 2271. Dices. corrigi posse Annos 2272. & 2292. si saltus Lunæ ponatur post aureum numerum 11. Respondeo, id verum esse, sed peccaretur ante Plenilunium Anno 2258. & insuper rejecta Gnome Synesim adhiberemus Annis 2217. 2275. & 2295. ac demum duo Novilunia Cyclaria contingerent eodem labente circulo decennovennali, nempe currentibus aureis numeris 9. & 17. In sæculo post Annum 2300. omnia Cycli prædicti corrigit errata, excepto solum illud Anni 2397. in quarta hebdomada Lunæ, quod ideo non corrigit, quia Pascha ante Plenilunium celebraretur Annis 2302. 2322. & 2342. In sæculo post Annum 2400. corrigit peccatum ante Pleniluninm, quod Cyclus ipse committit Anno 2491. Non corrigit Annos 2424. 2444. 2468. & 2488. in quarta hebdoma; cum enim ad horum Annorum correctionem necessaria sit Epactarum elevatio, fieret, ut non solum persisteret illud jam correctum Anno 2491. verum etiam multo alia ante Plenilunium peccata committerentur, & signanter Annis 2400. 2403. 2420. 2427. 2447. 2454. cæteris omissis.

20 In sæculo post Annum 2500. eodem die, quo Cyclus vulgo Gregorianus, Pascha indicit non corrigit Annos 2524. & 2581. habentes Pascha in ultimo mense, nullo extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, nec etiam Annos 2505. & 2562. similiter procedentes, sed contingente in eis medio Plenilunio post meridiem diei 21. Martii ante solis occasum; quia e propria sede primi mensis dislocaretur Pascha Anno 2543. Non enim sunt facienda bona, ut eveniant mala. Hinc sequitur, quod corrigi nequeant Anni 2522. 2573. & 2593. in quarta hebdomada: exigerent enim Epactarum elevationem, quæ prædictum Annum 2543. deturparet, & insuper Pascha ante Plenilu-

nium

nium celebraretur Anno 2518. ac relicta Gnome, adhiberemus Synesim Anno 2542. In sæculo post Annum 2600. omnia Cycli prædicti errata corrigit, excepto Anno 2676. in quo Pascha indicitur ultimo mense, nullo extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, sed contingente paulo ante occasum solis desinentis diei 21. Martii; quoniam e propria sede primi mensis dislocarentur alii Anni, quos signat idem aureus numerus 17. ac etiam exceptis Annis 2644. 2664. & 2684. in quarta hebdomada Lunæ. Hi namque Anni non corriguntur, quia Pascha celebraretur ante Plenilunium Annis 2647. & 2667. In sæculo post Annum 2700. eodem die, quo Cyclus ipse, Pascha indicit. Non corrigit Annum 2725. ante Plenilunium, ne ipso Anno, ac cæteris Annis eodem aureo numero 9. insignitis, reponat Pascha in ultimum mensem. Non corrigit vero Annum 2769. in quarta hebdomada, ne Pascha ante Plenilunium celebretur Anno 2714. ac etiam ne relicta Gnome, Synesis adhibeatur Anno 2789. In sæculo post Annum 2800. omnia ejusdem Cycli corrigit errata, excepto Anno 2840. & 2860. in quarta hebdomada, ne Pascha celebretur ante Plenilunium Annis 2823. 2843. & 2863.

21 In sæculo post Annum 2900. omnia corrigit Cycli Currentium Epactarum errata, excepto Anno 2972. in quo Pascha indicitur ultimo mense, nullo extante Plenilunio intra terminos Paschales; atque excepto Anno 2953. in quo Pascha eodem modo indicitur, sed medium Plenilunium contingit post meridiem diei 21. Martii ante solis occasum; ac denique excepto Anno 2989. in quarta hebdomada Lunæ. Non corrigit Annos 2953. & 2972. ne e propria sede primi mensis dislocentur alii Anni, eodem aureo numero 9. insigniti. Hinc oritur, ut ne Annus quidem 2989. corrigi possit. Imo hoc correcto, non solum quoad mensem deturparentur prædicti Anni, aureo numero 9. insigniti, verum etiam Pascha celebraretur ante Plenilunium Anno 2914. In sæculo post Annum 3000. peccat, prout Cyclus ipse, indicens Pascha in quarta hebdomada Lunæ Annis 3016. & 3036. Hi Anni corrigi possent posito saltu Lunæ post aureum numerum 14. sed Pascha ante Plenilunium celebraretur Annis 3019. & 3039. ac etiam relicta Gnome Synesim adhiberemus Anuo 3056. In sæculo post Annum 3100. corrigit solum Annum 3114. in quarta hebdomada Lunæ. Non corrigit Annum 3135. in quo Pascha indicitur secundo mense, quoniam correcto hoc Anno, Pascha in ultimo mense celebraretur Anno 3192. quamvis medium Plenilunium tunc futurum sit intra terminos Paschales; fieri enim nequit, ut Cyclus utrumque Annum recte designet. Non corrigit vero Annum 3185. in quarta hebdomada; ne Pascha ante Plenilunium celebretur Anno 3110. In sæculo post Annum 3200. omnia ejusdem Cycli errata corrigit, exceptis Annis 3236. 3256. & 3276. in quarta hebdomada Lunæ, quia Pascha ante Plenilunium celebraretur Annis 3239. & 3259. ac etiam relicta Gnome, Synesim adhiberemus Annis 3212. 3232. & 3290.

22 In sæculo post Annum 3300. omnia corrigit Cycli vulgo Gregoriani errata. Peccat Anno 3344. indicens Pascha ultimo mense, nullo tamen extante Plenilunio intra terminos Paschales; idque ex eo provenit, ne Pascha e propria sede primi mensis dislocetur cæteris Annis, eodem aureo numero 1. insignitis. Peccat vero, prout Cyclus

 prædictus

prædictus, Anno 3317. ante Plenilunium, & Anno 3361. in quarta hebdomada. Corrigi nequit hic Annus 3361. nisi deturpentur prædicti Anni, aureo numero 1. insigniti, ac etiam nisi Pascha ante Plenilunium indicatur Annis 3317. 3337. 3344. & 3357. Verumtamen corrigi posset Annus 3317. posito saltu Lunæ post aureum numerum 12. sed tria peccata committerentur in quarta hebdomada Lunæ, scilicet Annis 3334. 3354. & 3385. in quibus Annis medium Plenilunium contingit ante ortum solis diei Dominici, excepto Anno 3354. in quo ipsum Plenilunium contingit una fere hora post ortum solis diei Dominici. In sæculo post Annum 3400. omnia corrigit ejusdem Cycli errata, exceptis Annis 3432. & 3452. Hi Anni corrigi possent, saltu Lunæ posito post aureum numerum 12. sed Pascha ante Plenilunium celebraretur Annis 3415. 3435. & 3455. In sæculo post Annum 3500. omnia corrigit prædicti Cycli errata, excepto Anno 3564. in quo Pascha indicitur ultimo mense, nullo tamen extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, ac etiam excepto Anno 3545. in quo Pascha eodem modo indicitur, licet medium Plenilunium tunc futurum sit post meridiem diei 21. Martii ante solis occasum; ac denique excepto Anno 3581. in quarta hebdomada Lunæ. Non corrigit Annos 3545. & 3564. ne Pascha e propria sede primi mensis dislocetur cæteris Annis, eodem aureo numero 12. insignitis. Hinc fit, ut corrigi nequeat Annus 3581. deturparentur enim prædicti Anni, quos signat aureus numerus 12. & insuper Pascha ante Plenilunium celebraretur Anno 3506. In sæculo post Annum 3600. omnia ejusdem Cycli errata corriguntur, exceptis Annis 3608. & 3628. in quarta hebdomada, ne Pascha celebretur ante Plenilunium Annis 3611. & 3631. jam correctis.

23 In sæculo post Annum 3700. eodem die, quo Cyclus vulgo Gregorianus, Pascha indicit. Non corrigit Annum 3792. in quo contingente Plenilunio medio post meridiem diei 21. Martii ante solis occasum, Pascha indicit ultimo mense, ne e propria sede primi mensis dislocentur alii Anni eodem aureo numero 12. insigniti. Non corriguntur Anni 3757. 3777. & 3797. in quarta hebdomada, ne Pascha celebretur ante Plenilunium Anno 3702. Hisce tribus Annis medium Plenilunium futurum est post ortum solis, & ante meridiem diei Dominici; ac propterea hujusmodi errata cæteris omnibus leviora sunt; Imo adeo leviora sunt, ut ex meridianorum differentiis alicubi Terrarum corrigantur, uti patet ex demonstratione exhibita Quæst. prima *num.* 23. *& seqq.* & hic est unicus casus, in quo ad declinandum unicum peccatum ante Plenilunium, tria potius peccata in quarta hebdomada tolerantur ex iis, quæ dicta sunt Quæstione quinta *num.* 12. *& seqq.* In sæculo post Annum 3800. omnia prædicti Cycli errata corrigit, exceptis Annis 3828. 3848. & 3868. qui Pascha habentes in quarta hebdomada Lunæ, corrigi possent, posito saltu Lunæ post aureum numerum 9. sed Pascha ante Plenilunium celebraretur Annis 3831. & 3851. In sæculo post Annum 3900. omnia corrigit ejusdem Cycli errata; sed peccat Annis 3936. & 3993. indicentes Pascha ultimo mense, nullo tamen extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, sed tunc contingente post meridiem diei 21. Martii ante occasum solis; idque ne e propria sede primi mensis Pascha dislocetur aliis Annis,

nis, eodem aureo numero 4. insignitis. Hinc fit, ut peccet etiam Anno 3953. in quarta hebdomada, non enim corrigi potest, nisi e propria sede primi mensis Pascha, uti supra, dislocetur. Denique peccat, pro ut Cyclus prædictus Anno 3909. ante Plenilunium, ne peccet in quarta hebdomada Lunæ Annis 3926. 3946. 3977. & 3997. In sæculo post Annum 4000. corrigit solum Annum 4047. ante Plenilunium. Non corrigit Annum 4031. secundi mensis extante Plenilunio intra terminos Paschales, ne ultimo mense Pascha indicat Anno 4088. extante similiter Plenilunio intra terminos Paschales, adeo ut Cyclus alterutrum declinare nequeat. Non corrigit denique Annum 4024. & 4044. in quarta hebdomada Lunæ, ne Pascha celebretur ante Plenilunium Annis 4007. 4027. & prædicto etiam Anno 4047. jam correcto.

24 In sæculo post Annum 4100. omnia corrigit Cycli vulgo Gregoriani errata, exceptis Annis 4173. & 4193. in qnarta hebdomada, ne Pascha celebretur ante Plenilunium Anno 4156. ac etiam ne duo Cyclaria Novilunia in eodem circulo decennovennali contingant, currente scilicet, anreo numero 7. & 15. In sæculo post Annum 4200. omnia corrigit ejusdem Cycli errata, exceptis Annis 4200. 4220. & 4298. in quarta hebdomada, qui non corriguntur, ne Pascha ante Plenilunium indicatur Annis 4203. & 4223. ac etiam ne relicta Gnome, Synesim adhibeamus Anno 4240. In sæculo post Annum 4300. omnia corrigit Cycli vulgo Gregoriani errata, excepto Anno 4384. in quo Pascha indicitur ultimo mense, nullo extante Plenilnnio medio intra terminos Paschales, sed contingente post meridiem diei 21. Martii ante solis occasum. Hic annus corrigi neqnit, nisi e propria sede primi mensis Pascha dislocetur cæteris Annis eodem aureo numero 15. insignitis. In sæculo post Annum 4400. omnia corrigit ejusdem Cycli errata, excepto Anno 4460. in quo Pascha indicitur ultimo mense, nullo extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, ac similiter exceptis Annis 4441. & 4498. eodem modo procedentibus, sed contingente in eis Plenilunio medio post meridiem diei 21. Martii ante solis occasnm; ac denique exceptis Annis 4420. & 4440. in quarta hebdomada Lunæ. Non corrigit prædictos Annos 4441. 4460. & 4498. ne Pascha e propria sede primi mensis dislocetur Annis 4403. 4422. & 4479. eodem anreo nnmero 15. insignitis. Non corrigit etiam prædictos Annos 4420. & 4440. ne Pascha ante Plenilunium celebretur Annis 4423. & 4443. ac etiam ne e propria sede primi mensis dislocetur memoratis Annis anreo numero 15. insignitis; ac denique ne duo Novilunia Cyclaria in eodem circulo decennovennali contingant, currente, scilicet, aureo nnmero 7. & 15.

25 In sæculo post Annnm 4500. omnia corrigit Cycli vulgo Gregoriani errata, excepto solum Anno 4596. in qnarta hebdomada Lunæ. Hic enim Annus corrrigi nequit, nisi Pascha ante Plenilunium celebretur Annis saltem 4541. & 4599. In sæculo post Annum 4600. corrigit duo ejusdem Cycli errata ante Plenilnnium Annis 4619. & 4639. Non corrigit Annnm 4623. secnndi mensis extante Plenilunio medio intra terminos Paschales, ne Pascha ultimo mense celebretur Anno 4680, extante similiter Plenilunio intra terminos Paschales. Cyclus enim utrumque Annum recte designare nequit. Ne corrigit quidem Annum

Annum 4616. in quarta hebdomada Lunæ, ne Pascha ante Plenilunium celebretur prædictis duobus Annis jam correctis, quam ob caussam peccat similiter in quarta hebdomada etiam Annis 4636. & 4694. In sæculo denique post Annum 4700. eodem die, quo ipse Cyclus, Pascha indicit. Non corrigit Annos 4765. & 4785. in quarta hebdomada, quoniam ante Plenilunium Pascha celebraretur Anno 4748. ac duo cyclaria Novilunia in eodem circulo decennovennali contingerent, currentibus nempe aureis numeris 10. & 18. Non corrigit Annum 4792. quo casu corrigerentur etiam prædicti Anni 4765. & 4785. absque eo, quod ipsa duo Novilunia cyclaria contingerent; non corrigit, inquam, Annum 4792. ne Pascha ante Plenilunium celebretur non solum prædicto Anno 4748. verum etiam Anno saltem 4717. ac demum ne e propria sede primi mensis Pascha dimoveatur Annis, quos signat aureus numerus 7.

26 Cum itaque hæc omnia conferri sufficienter possint, uti supra dictum est, *num.* 2. etiam ex magna Tabula Festorum mobilium apud Clavium *cap.* 22. nescio quid ultra desiderari possit, ut rectum feratur judicium, illas ipsas Epactas prædicti Cycli Aureæ Columnæ accipiendas esse, quas Anonymus Quæstione nona exhibet, atque in Epitome in Tabulas retuli. Quare.

27 Ad secundam Partem septimæ Quæstionis respondetur, quod — *licet ea, quæ dicta sunt, evidenter ostendant, eas ipsas Epactas esse accepiendas, quas exposui nihilominus cum Lege cautum sit, ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat, idcirco quicunque ex Cyclis, expositis in prima parte responsi ad hanc septimam Quæstionem probetur, Peritis relinquo provinciam declarandi, an illæ ipsæ Epactæ, quas ipsi Cycli, uti supra, exhibent, accipiendæ sint quamvis mihi certo constet, eas ipsas prædictorum Cyclorum Epactas esse accipiendas.*

QUÆSTIO OCTAVA

ANONYMUS.

„ QUod si ne hæc quidem ratio arrideat, octavo illud saltem quæritur: Quæ demum cyclica methodus, sive nova, sive ab aliquo ante hac edita, paschali huic negotio explicando opportunissima videatur.

SOLUTIO.

1 SI ne expositæ quidem in Responso ad Quæstionem septimam rationes emendandi Epactas currentes arrideant, illud summopere animadverti debet, quod omnes Scriptores ingenue fatentur, probatumque est *Quæst.* 3. *num.* 60. *& quatuor seqq.* atque in Epitome Operis Paschalis *pag.* 63. nec non confirmat Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit — *Quæcumque* — videlicet, omnes Cyclos alicui vitio esse obnoxios; Et insuper qnod præcipuis rationibus probatum est *Quæst.* 5. *num.* 26. 27. *&* 28. nempe, errores Cycli, quam accuratissime ordinati, nihili pendendos esse; ac denique quod notavi in prædicta Epitome *pag.* 118. ac successive usque ad *pag.* 184. ac etiam ibidem refert doctissi-

doctissimus Eustachius Manfredi a *pag.* 223. usque ad *pag.* 235. scilicet, me non acquievisse dumtaxat in elucubratione Cycli Epactis currentibus perfectioris, sed, ut Fidelium paci, Exterarumque Nationum, a nobis in indictione Paschæ dissidentium, unioni consulerem, Cyclum inter quosque a Clar. Viris huc usque editos, ac etiam inter quosque possibiles perfectissimum exquisivisse, quocunque dato possibili diligenter expenso, per quod regularitas in indicendo Paschate servaretur. In isto autem quam maxime difficili, ac laborioso examine inter quosque Cyclos, ut constat *loc. cit.* perfectissimum deprehendi Cyclum Aureæ Columnæ Annorum triginta octo, scilicet, non solum inter eos omnes, in quibus præcedenti regula statui possunt Epactæ sæculares retenta sede saltus Lunæ (prout ad presens fit) post aureum numerum 19. verum etiam inter eos omnes, in quibus variata, singulis sæculis sede saltus Lunæ, ipsa tamen sedes, Epactæque sæculares ex præcedenti regula statui possunt, ut dictum est *Quæstione* 7. *num.* 7. *&* 8. ac etiam in Corollario post hanc Octavam Quæstionem *num.* 2. *&* 8. ac denique inter eos omnes, in quibus, variata singulis sæculis sede saltus Lunæ, tum ipsa sedes saltus Lunæ tum Epactæ sæculares ex nulla præcedenti regula statuantur; idque non solum in qualibet data Annorum Periodo, sed etiam in quolibet Annorum numero, qui rationem Periodi non servaret.

2 Si autem quæratur quid ex illo examine emergat, circa omnes dumtaxat Cyclos, in quibus saltus Lunæ conservatur prout ad præsens fit post aureum numerum 19. atque Epactæ sæculares ex præcedenti regula statui possunt, perfectissimum inter omnes hujus generis Cyclos depreheudo Cyclum illum, quem secundo loco exhibui in primo responso ad septimam Quæstionem *num.* 16.

3 Dixi -- *Quocumque dato possibili diligenter expenso, per quod regularitas in indicendo Paschate servaretur* -- quoniam methodos omnes sine regulari atque uniformi Epactarum, seu quarumlibet aliarum notarum incremento procedentes, aptas non esse indictioni Paschæ patefeci in Epitome *pag.* 169. *& seqq.* ubi etiam Clar. Virorum Cyclos ita directos, qui rursus a gravissimis erroribus ibidem allegatis immunes non sunt; nec non Cyclos mere Astronomicos, quorum figura ibidem notata est, & qui [ut ibidem dictum est] non omnia vitarent incommoda, confutavi; & insuper contra hujusmodi methodos faciunt etiam quæ dicturus sum *Quæstione Nona*.

4 Et quidem non nego, quod si illis solum Annis, in quibus Cyclus per me uti supra exhibitus erat, Epactæ irregulari unitatis additamento, aut respective decremento corrigerentur prout circa currentium Epactarum errata tantum de mense opinabatur tempore Clementis XI. Pont. Max. gl. mem. doctissimus Vitalis Giordani, *loc. nuper cit.* allegatus; non nego, inquam, quod omnia Cycli errata in reali Dominici diei Paschæ indictione tollerentur, si tamen ab Anno 1700. ad Annum Domini 5000. excipias Annos 2133. 2505. 2725. 2972. 3344. & 3936. quibus septem Annis cum medium Plenilunium, sive clarius media Luminarium oppositio præter Ecclesiæ intentionem ut evidenti, nec obvia demonstratione probatum est *Quæst.* 4. *num.* 8. *&* 9. futura sit post occasum solis diei 19. Aprilis, simulque in orbem redeat litera Dominicalis. D. declinari non posset Indictio Paschæ die ante Plenilunium,

nium, servato nimirum [uti oportet ex dictis *in cit. Quæst.* 4. *num.* 7. *& seq.*] ultimo termino, quartædecimæ Paschali a Nicænis Patribus sapientissime affixo diei 18. Aprilis.

5 Quod si per modum hypothesis non curato hoc ultimo quartædecimæ Paschalis termino, vitari vellent hujusmodi Paschæ Indictiones ante Plenilunium; quartadecima Paschalis signaretur die 19. Aprilis; sed inde tria necessario consequerentur absurda.

Primum, scilicet quod Calendarium Gregorianum, cœlesti quidem artificio confectum, atque merito, sapienterque a Gregorio XIII. & Clemente VIII. Sum. Pont. gl. mem. appellatum — *Perpetuum* — statim corrumperetur.

Alterum est, quod dies Paschæ Dominicus contra Praxim Nicænam, hucusque illibate servatam, prolaberetur in diem 26. Aprilis.

Tertium est, quod Luna decima septima, in qua Christus resurrexit a Mortuis, tunc non contingeret, ut oportet ex dictis *Quæst.* 4. *num.* 7. intra primum mensem juxta solis cursum, sed die 22. Aprilis, nempe prima die secundi mensis juxta solis cursum.

6 Per prædicta igitur irregularia Epactarum incrementa quamvis, ut plurimum corrigerentur Anni in quibus Cyclus errat, tamen non omnia incommoda vitari possent.

Id autem serio animadvertendum est, quod quæ errata per ipsa irregularia Epactarum incrementa corrigerentur, non corrigerentur alicujus Cycli usu, sed usu dumtaxat Calculorum Astronomicorum contra ea, quæ discussa sunt *Quæstione Nona*, ac etiam contra ea, quæ (notetur) in præcisis terminis ab insigni Academia Lovaniensi tempore Leonis X. Sum. Pont. sapienter reprobatâ fuerunt, ut probatum est *ipsa Quæstione Nona num.* 9.

7 Quantum porro intersit usum Cycli, quamvis aliquando motibus cœlestibus non consentientis, omnino servare ex eo breviter cognosci potest, quod quævis Paschæ Indictio sine usu Cycli civilis directe adversaretur Decreto Concilii Calcedonensis, quarti Oecumenici, atque Decreto Sancti Leonis Magni, nec non Decreto Concilii Antiocheni quarti; quæ Decreta retuli in Epitome Operis Paschalis *pag.* 80. ac etiam verbis Libri Constitutionum Apostolicarum, relatis in Dissertatione post Quæstionem tertiam *num.* 37. insuper adeo offenderet praxim Ecclesiæ non solum post Nicænum Concilium ad hæc usque tempora, sed ante ipsum etiam Nicænum Concilium, usque ab Apostolorum Ævo illibate servatam, & ab ipsismet Apostolis, qui ex Cyclo quamvis interdum a recto (uti constat ex dictis in *Dissert. post Quæst.* 3. *num.* 78.) aberrante Pascha agebant, edoctam; adeo, inquam, offenderet, ut contra hujusmodi praxim ne ulli quidem ex Novatianis, qui in Sangariensi Conciliabulo apud Socratem *in Hist. Eccl. lib.* 5. *cap.* 20. & Sozomenum *lib.* 7. *cap.* 18. Suis licitum fecerunt — *Eam consuetudinem in hoc Festo celebrando pro arbitratu sequi, quam sequi animo instituissent* — ausi fuerint pro celebrando Paschate aliquem calculum astronomicum adhibere: ac denique Dominum nostrum Jesum Christum manifesto argueret.

8 Cum enim evidenter constet ex præcipuo Tractatu, quem exhibui in *Dissert. post Quæst.* 5. *num.* 97. *& seqq.* falsam omnino esse quorumdam sententiam, qui ex Talmud Babylonico affirmant, veteres Judæos non

non ex Cyclo, sed ex actuali visione Lunæ novæ consuevisse prioribus sæculis ante, & post Christum Neomenias proclamare, & cum ea sit omnis natura Cycli, ut alicui vitio sit obnoxius; quemadmodum de facto Cyclus, quo veteres Judæi tunc utebantur, non semel errabat in Indictione Paschæ, & signanter erravit Anno primo ante Æram vulgarem, atque (uti constat in præallegata Dissertatione *post Quæst. 5. num. 93.*) Anno 28. ipsius Æræ, qui, ut patet in eadem Dissertatione *num. 6. & 20.* fuit primus post Christi Baptismum; ac denique cum ipse Dominus noster consueverit in Jerusalem cum Judæis Pascha peragere, & signanter prædicto Anno primo post Baptismum, ut narrat Sanctus Joannes *cap. 2. ver. 13.* quælibet Paschæ Christianorum Indictio sine Cycli usu argueret eundem Dominum nostrum Jesum Christum, quasi legem Divinam in Exodo *cap. 12.* & in Levitico *cap. 23.* & Libro numerorum *cap. 28.* per Moysen Hebræis vulgatam, non adimpleverit, celebrans Pascha secundum Indictionem Cycli a recto tunc declinantis; non adimpleverit, inquam, contra ea, quæ ipsemet Dominus dixit apud S. Matthæum *cap. 5. ver. 17. — Nolite putare quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.*

9 Usque adeo verum est, rectitudinem in Indictione Paschæ majorem ea, quam respective præseferunt Cycli, a me uti supra expressi in responso ad Quæstionem septimam, sperandam non esse, ac propterea neque exigendam, ut si quis eam ultra usum Cycli exigeret, Sacros Canones, quos omnis ætas venerata est, parvipenderet; Praxim Ecclesiæ, etiam ab Apostolorum temporibus deductam, & ab ipsismet Apostolis edoctam non curaret; & ipsum Dominum nostrum Jesum Christum argueret Prædictis tamen non obstantibus.

Ad Octavam Quæstionem respondetur, quod — *qui computi scientiam callent, non dedignentur, quæ Paschali huic negotio explicando opportunissima videatur, cyclicam methodum proferre.* Efflagitatur enim pro Dei Gloria, Fidelium Pace, exterarumque Nationum, in recolendo primo humanæ Redemptionis mysterio dissidentium, unione, & concordia; efflagitatur, inquam, rectitudo, quantum fieri potest, indictionis Paschæ, non autem, ut elucubrationes meæ prævaleant.

COROLLARIUM.

1 Vir Clarissimus Frater Hugo de Saint-Bruno Aquisextiensis, & Liraci in Avenionensi Diæcesi solitarius humanissime mihi communicavit, novum, elegantemque Epactarum Cyclum, ad normam Cycli decennovennalis aureorum numerorum directum, quem ipse Avenione impressum edidit Anno 1737.

2 Hic Cyclus mundi Creationem, Annum Nativitatis Christi, respondentem Anno primo ante Æram vulgarem, aliaque præterita tempora, ut putat eruditissimus Cycli Auctor, ostendit, simulque diem Paschæ Dominicum designat ad multa Annorum millia ab hinc futura: saltum Lunæ bene tradit reponi posse post quosque aureos numeros, illumque statuit hac lege, ut ipse saltus Lunæ in unaquaque linea undevigiuti Epactarum perpetuo fiat post Epactam XVIII. & XIX. cum non utraque Epacta, sed alterutra tantum possit contingere in qualibet data linea Epactarum undeviginti. Præclara quidem elucubratio est;

ſi res expectationi reſpondeat; ea tamen mihi proficua non fuit.

3 Quod attinet ad præterita tempora, nihil proferam; tenuiſſimas enim, rudeſque meas obſervationes eidem Auctori tranſmiſi. Circa tempora vero futura, cum Cyclus iſte directioni Eccleſiæ proſpiciat quoad Paſchæ indictionem, ſerio expendendus eſt.

4 Qua propter animadvertitur, quod hic Cyclus (prout patefacit etiam Tabula Feſtorum Mobilium a prælaudato Cycli Auctore ſimul edita) variat quoad ſubſtantiam Calendarium Gregorianum, ac etiam terminos quartædecimæ Paſchali a Nicæno præſtitutos. Excludit enim uſum Epactæ 25. arabico charactere inſcriptæ, quæ in Calendario Gregoriano affixa eſt diei quarto Aprilis una cum Epacta XXVI. Epactam vero XXIV. quæ in prædicto Calendario affixa eſt diei quinto Aprilis una cum Epacta XXV. latino charactere inſcripta, reponit die ſexta Aprilis. Etſi enim Cyclarium Noviluniorum diem Auctor Cycli non ediderit; edidit tamen diem, in quo ſingulæ Epactæ Paſchalem quartamdecimam deſignant. Cum igitur in hoc Cyclo Epacta XXIV. ipſam quartamdecimam deſignet die 19. Aprilis, eadem Epacta XXIV. neceſſe eſt, ut habeat Cyclare Novilunium die ſexta Aprilis, id, quod ſubſtantialiter variat Calendarium Gregorianum; quam variationem nullo modo fieri poſſe ſapientiſſime declarat Bulla Gregorii XIII. quæ incipit -- *Inter graviſſimas* -- Et Bulla Clementis VIII. quæ incipit -- *Quæcunque* -- Hinc clarum eſt variatos eſſe etiam terminos, quartædecimæ Paſchali a Nicæno præfixos, qui nunquam tranſgrediuntur diem 18. Aprilis, nec ſine ſapientiſſimo conſilio ita præſtituti ſunt, ut probavi *Quæſtione quarta ſub initium*.

5 Dixi, quod res eſt, nunc quod ex ea emergit. Ideo Cyclus ipſe excludit uſum Epactæ 25. arabico charactere inſcriptæ, quia ipſe neceſſario, nec ſemel includeret duo Novilunia cyclaria in eodem decennovennali Epactarum circulo, quemadmodum evidens eſt in multis ſæculis ejuſdem Cycli, & ſignanter in ſæculo poſt Annum 2100. & 2200. Hiſce enim ſæculis currente aureo numero 9. Cyclus ipſe exhibet Epactam XXVI. quæ Novilunium Cyclare habet die quarta Aprilis; currente autem aureo numero 17. proclamat Epactam vigeſimam quintam, quæ cum concurrat cum prædicto aureo numero majore undecim unitatibus, accipienda eſſet arabico charactere inſcripta, ac propterea deſignaret Cyclare Novilunium in eadem prædicta die quarta Aprilis; quod Nicænæ Praxi, legibuſque aſtronomicis repugnaret.

6 Rurſus idem Cyclus, currente Epacta XXIV. tranſgrediens terminos, quartæ decimæ Paſchali a Nicæno præfixos, deſignans, ſcilicet, quartamdecimam Paſchalem die 19. Aprilis, alterutrum declinare nequit, ſi tunc concurrat litera Dominicalis D. vel celebrationem Paſchæ die 26. Aprilis contra praxim Nicænam, huc uſque ſervatam, & contra ea, quæ exhibui *Quæſtione quarta num* 7. vel celebrationem Paſchæ ipſa die quartæ decimæ Cyclaris 19. Aprilis. Doctiſſimus Cycli Auctor, limitans in hoc caſu regulam, quam præfigit in deſiuiendo Dominico Paſchatis die, declinat quidem celebrationem Paſchæ die 26. Aprilis, quia expreſſe declarat Paſcha tunc non eſſe transferendum in diem 26. Aprilis, ergo celebrandum eſſet die 19. Aprilis, die nimirum quartæ decimæ cyclaris, fieretque, quod tradebant Hæretici Quartadecimani, & expreſſe prohibent documentum Apoſtoli Pauli, expoſi-

expositum Quæstione tertia *num.* 66. & *seq.* atque Sacri Canones per me relati in Dissertatione post ipsam Quæstionem *num.* 3. & *seqq.*

7 Quamvis prædicta sufficiant, ne ad praxim hic Cyclus demandari possit, nihilominus breviter expendamus, an rectius Epactis currentibus ipse Pascha indicat. Epactæ sæculares hujus Cycli perpetuo producunt sequentium Annorum expansorum Epactas cum additamento undecim unitatum, excepto solum, quando fieri debet saltus Lunæ, quo casu Epactæ Anni præcedentis addi debent duodecim unitates, ut Epactam assequamur Anni, in quo fit saltus Lunæ, uti supra, occurrens in hoc Cyclo post Epactam XVIII. aut XIX. Itaque in sequenti Laterculo referam sæculares Epactas ab Anno 1700. ad Annum Domini 5000. prout ab ipsomet Cycli Auctore exhibitæ sunt in folio seorsum edito *pag.* 4. In altera vero Columna ejusdem Laterculi notabo aureum numerum, quem in correspectivo sæculo deprehendo consociatum ab Epacta XVIII. aut XIX. ut illico innotescat, saltum Lunæ in hoc Cyclo recurrere post talem aureum numerum.

Anni Domini	*Epactæ seculares ab Auctore Cycli editæ*	*Aureus numerus, quem consociat Epacta* XVIII. *aut* XIX. *& consequenter post ipsum in hoc Cyclo fieri debet saltus Lunæ*
1700	IX	19
1800	IV	19
1900	XXIX	11
2000	XXIV	11
2100	XVIII	11
2200	XIV	11
2300	VIII	3
2400	IV	3
2500	XXVII	14
2600	XXII	14
2700	XVII	14
2800	XII	14
2900	VII	6
3000	II	6
3100	XXVI	17
3200	XXI	17
3300	XV	17
3400	XI	17
3500	V	9
3600	I	9
3700	† XXV	9
3800	XX	9
3900	XV	1
4000	X	1
4100	IV	12
4200	XXIX	12
4300	XXIII	12
4400	XVIII	12
4500	XIII	4
4600	VIII	4
4700	II	15
4800	XXVII	15
4900	XXII	15

8 Ex hisce triginta tribus sæculis deprehendo, quod hic Cyclus nullum seculum vitiat indictione Paschæ secundo mense, sed deturpat sæcula viginti, & unum, indicens in eis Pascha ultimo mense Anni superioris, adhibita, scilicet, Ogdoade pro Hendecade, ut pluries dictum est: Quæ sæcula sunt post Annum 1700. currente aureo numero 14. post Annum 2100. currente aureo numero 6. post Annum 2700. & 2800. currente aureo numero 9. post Annum 3100. & 3200. currente aureo numero 1. post Annum 3300. & 3400. & 3600. currente aureo numero 12. post Annum 3700. & 3800. & 4000. currente aureo numero 4. post Annum 4100. & 4200. currente aureo numero 15. post Annum 4300. & 4400. & 4500. & 4600. currente aureo numero 7. post Annum 4700. & 4800. currente aureo numero 18. post Annum denique 4900. currente aureo numero 10. & insuper currente aureo numero 18.

9 Hæc vero eadem sæcula discernuntur deturpata expenso hoc Cyclo non solum pro ut editus est ab ipsius Auctore, verum etiam in hypothesi', quod Epacta xxiv. Paschalem quartamdecimam signaret die 18. Aprilis ad instar Calendarii Gregoriani. Qua propter si errata currentium Epactarum quoad mensem inter sese comparentur cum similibus hujus Cycli erratis, patet ex dictis Quæstione sexta *num.* 3. quam deterius hic Cyclus procedat. Opus itaque non est, ut commemorem quæ, & quanta numero errata circa hebdomadam hic Cyclus committat; adeo enim crebra sunt, ut longissime superent erratorum numerorum, quibus in Laterculo exhibito *Quæstione septima num.* 2. patet currentes Epactas laborare; & hoc labente sæculo eadem præcise errata involvit, quorum ipsas currentes Epactas arguimus *Quæstione prima*.

10 Denique silentio prætercam rationem, qua prælaudatus Cycli Auctor utitur ad denotandos dies quartædecimæ Cyclaris, adhibens titulum *Jours de la P. lu. Astron.* nempe dies plenæ Lunæ Astronomicæ, pro titulo dies quartædecimæ Cyclaris, si enim dies, qui sub prædicto titulo descripti sunt, ac proprie sunt quartæ decimæ Cyclaris, accipiendi essent pro diebus Lunæ plenæ astronomicæ sive clarius, pro diebus oppositionis Luminarium utique ipse Cycli Auctor sæpissime erraffet in supputationibus astronomicis. Nec etiam commemoro Synodici mensis magnitudinem, quam ipse profert in citato Folio *pag.* 3. diebus 29. hor. 12. min. 43. & sec. 10. a communi Astronomorum sententia longe dissidentem, & a nemine traditam. Dicam solum, quod hic Cyclus paulatim a Cœlo longissime dissidet, ut manifestat sequens Laterculus.

Anni

Anni Domini	*Aureus numerus Anni sæcularis*	*Epacta sæcularis ab Auctore Cycli edita*	*Aureus numerus, quem consociat Epacta* XVIII. *aut* XIX. *& consequenter post ipsum in hoc Cyclo fieri debet saltus Lunæ*	*Medium Plenilunium Paschale Anni sæcularis ad merid. Rom.* *Die Hor. Min. Sec.*	*Quarta decima Paschalis per Epactam sæcularem designata*
4200	2	XXIX	12	12. 21. 51. 46. A.	14 A.
4300	7	XXIII	12	18. 6. 5. 17. A.	21 M.
4400	12	XVIII	12	24. 1. 34. 44. M.	26 M.
4500	17	XIII	4	29. 9. 48. 14. M.	1 M.
4600	3	VIII	4	3. 18. 1. 44. A.	5 Ap.
4700	8	II	15	9. 2. 15. 14. A.	11 Ap.
4800	13	XXVII	15	13. 10. 28. 44. A.	16 Ap.
4900	18	XXII	15	18. 18. 42. 14. A.	22 Mar.
7300	5	XVI	8	24. 8. 26. 2. M.	28 Mar.
7400	10	XII	8	29. 16. 39. 32. M.	1 Ap.
7500	15	VI	8	4. 0. 53. 2. A.	7 Ap.
7600	1	I	8	8. 9. 6. 32. A.	12 Ap.

Quanta numero errata hic Cyclus interim involvat in indictione Paschę, Deus scit. Quare merito concluditur, hunc Cyclum aptum non esse pro indictione Paschę.

QUÆ-

QUÆSTIO NONA

ANONYMUS.

„ IN his porro, quæ hactenus positæ fuerunt, quæstionibus illud sumpsimus, vetustissimam paschalium Cyclorum in Ecclesia consuetudinem servari oportere. Sed sunt nonnulli, qui secus existiment, ac quando Cyclorum usus tot incommodis, ac difficultatibus scatet, neque vero post maximas correctionum ambages ab omni errorum labe purgari hactenus potuit, astronomicas ipsas supputationes quotannis ineundas, & ex his de Paschæ die decernendum arbitrentur; id quod longe accuratius in hac tanta astronomiæ luce assequi liceat, quam in illa cœlestis disciplinæ infantia, qua Christianæ religionis primordia laborarunt. Cui sane sententiæ multa obiici possunt, atque adeo objecta sunt, quoties de Ecclesiastico Kalendario rite constituendo est disputatum.

„ Primum enim, qui ita statuunt, difficultates illas minime effugiunt, quæ de dierum initiis, de astronomica quartadecima, præsertim vero de paschali mense Astronomico superius sunt positæ. Sive enim hæc dijudicanda sint, ut Cyclus aliquis præeligatur, sive ut Pascha ipsum nullo interveniente Cyclo, quotannis ex astronomicis rationibus enuncietur, omnino de his constitui oportet. Quinimo si rem accuratius inspiciamus, quibusdam annis incommoda esse potest calculorum subtilitas, quum scilicet in ancipiti relinquit, utrum civilem diem quartadecima occupet, quod nempe ad binos æque referri possit, id quod in Cyclis expendendis nihil turbat; illo etenim anno omisso, ex reliquis judicium fertur. Neque dispar est ratio de paschali mense, qui interdum vel nullus, vel duplex videri potest, nisi omnia ex integro instaurare, & vetustissimos paschales fines conturbare velimus.

„ Deinde exquisita illa temporis præfinitio, quam hi sectantur, ad paucos sane terrarum orbis incolas pertinet, ad eos videlicet, qui sub uno quodam meridiano, veluti sub Romano constituti eadem tempora numerant, quibus dum consulitur, sæpe fiet, ut aliis haud æque prospiciatur; ac propterea non magno operæ pretio res hæc tam morose tractetur; nisi potius ob hoc ipsum de Paschæ die, interdum, & de mense, aliorum ab aliis dissidia extitura sint, contra atque a Patribus, ac Nicæna præsertim Synodo sancitum accepimus. Quæ longe aliter in Cyclorum usu evenire manifestum est, etsi enim initio ad Cyclos perpendendos, atque eorum radices figendas certum aliquem meridianum eligi necesse fuit, iis tamen ab Ecclesia semel promulgatis, dies Dominicus, quartædecimæ a Cyclo notatæ succedens, nulla Lunæ ratione habita ubique terrarum a Christianis coli consuevit, ac sæpe etiam Cycli errores ab ipsa meridianorum differentia corrigi, proptereaque nunc his, nunc illis nationibus accuratius quam Romæ Lunæ tempora servare contingit.

„ Ad hæc minime consentaneum est eum, qui de Lunæ motibus anxie adeo inquirat, de Solis positu nihil laborare, cum tamen non minus ab Æquinoctio, quam a quartadecima Luna Paschæ indictio

„ pendeat.

„ pendeat. Vel ergo fatendum est utrumque hunc terminum populari „ quadam, ac civili ratione accipi, ut quemadmodum Ecclesiasticum „ quoddam attenditur Æquinoctium, diei 21. Martii adscriptum, ita „ Ecclesiastica aliqua; sive cyclica, sit quartadecima, quam unam spe- „ ctari oporteat; vel certe dicendum Æquinoctii quoque verni tem- „ pus juxta ac quartædecimæ diem quotannis astronomica supputatione „ indagandum esse, quod si dicatur majoribus perplexitatibus res im- „ peditur. Nam & astronomicæ neotericorum tabulæ, quæ omnium „ exquisitissimę habentur, haud parum de Æquinoctiorum tempore in- „ ter se dissident, & omnes tamen eo conspirant, ut persępe Æquino- „ ctium alio quam 21. Martii Gregoriani die committatur, quod sane „ & Paschalem quartamdecimam in dubio statueret, dum de aliarum „ tabularum prę aliis fide ambigitur, & paschales denuo fines inter- „ dum retrahi, interdum proferri postularet, omniumque Ecclesię Fe- „ storum, quę mobilia dicuntur, rationem everteret.

„ Denique si studiose adeo Lunę articuli servandi sint, nihil agi- „ tur, nisi quotannis verum ipsum novilunium, aut verum plenilunium „ pro medio calculis investigetur, quandoquidem veri Lunę positus „ soli in hominum oculos incurrunt, cum medii illi fictitii sint, neque „ ullo sensu distingui, sed tantum mente percipi possint. Quod si fa- „ ciendum concedatur, denuo in astronomicis tabulis eligendis hærere „ necesse erit, cum illis inter sese longe minus de veris motibus con- „ veniat, quam de æqualibus [de quibus tamen ipsis ne adamussim „ quidem convenit] ac præterea quartarumdecimarum limites ite- „ rum turbandi, Lunaresque menses, quos Ecclesia hactenus ex vete- „ ris fœderis institutis religione quadam retinuit, longe inęqualibus „ spatiis finiendi erunt.

„ His certe de causis, dum res hæc alias agitaretur, Cyclorum „ usum omnino servari placuit, cui usui haud parum etiam commen- „ dationis a facilitate accedit, cum vulgus ipsum Astronomiæ prorsus „ ignarum ex anni cujusvis epacta multorum consequentium annorum „ epactas memoriter invenire, atque ex epactis quartamdecimam, „ ipsumque Paschæ diem nullo negotio prænoscere valeat. Cum ta- „ men ætate nostra viris quibusdam doctis aliter visum sit, ut horum „ quoque sententia momentis suis ponderetur, postremo quærendum „ restat: An Lunarium Cyclorum usus in Ecclesia antiquandus, & Pa- „ scha ex astronomicis calculis indicendum sit; tum vero qua potissi- „ mum ratione præstari id possit.

„ Quo facilius epactę illæ, de quibus in prima, sexta, ac septima „ quæstione agitur ad trutinam revocari queant, tabulam subjecimus „ epactarum sæcularium in singulis illis methodis ad annum Chri- „ sti 5000.

ANNO-

ANNORUM SÆCULARIUM EPACTÆ JUSTA

METHODOS EX ANNO CHRISTI 1

	Anni sæculares Gregoriani	*Aureus numerus*	*Epacta Gregoriana nempe vulgo Gregoriana*	*Epacta Liliana*	*Epacta ex Radice Anno 400. affixa*	*Epacta ex Radice Anno 500. posita*	*vshana Annorum 1600*
	1700	10	IX	X	X	X	X
	1800	15	IV	V	IV	IV	V
	1900	1	XXIX	*	*	XXIX	*
B	2000	6	XXIV	XXV	XXV	XXV	XX
	2100	11	XIX	XX	XIX	XIX	X
	2200	16	XIII	XIV	XIV	XIII	X
	2300	2	VIII	IX	IX	IX	IX
B	2400	7	IV	IV	IV	IV	IV
	2500	12	XXVIII	XXIX	XXIX	XXVIII	XX
	2600	17	XXII	XXIII	XXIII	XXIII	XX
	2700	3	XVIII	XVIII	XVIII	XVIII	XI
B	2800	8	XIII	XIV	XIII	XIII	XI
	2900	13	VII	VIII	VIII	VII	VI
	3000	18	II	II	II	II	II
	3100	4	XXVII	XXVIII	XXVII	XXVII	XXV
B	3200	9	XXII	XXIII	XXIII	XXII	XX
	3300	14	XVII	XVII	XVII	XVII	XV
	3400	19	XI	XII	XI	XI	XI
	3500	5	VI	VII	VII	VI	VI
B	3600	10	II	II	II	II	II
	3700	15	XXVI	XXVII	XXVI	XXVI	XX
	3800	1	XXI	XXII	XXII	XXI	XX
	3900	6	XVI	XVI	XVI	XVI	XV
B	4000	11	XI	XII	XI	XI	XI
	4100	16	V	VI	VI	V	V
	4200	2	*	I	I	I	I
	4300	7	XXV	XXVI	XXV	XXV	X
B	4400	12	XX	XXI	XXI	XX	X
	4500	17	XIV	XV	XV	XV	X
	4600	3	X	XI	X	X	X
	4700	8	IV	V	V	IV	V
B	4800	13	XXIX	*	*		X
	4900	18	XXIV	XXIV	XXIV		X

In hac Anonymi Tabula Bettazzius inserere censuit
Cassini, ne hujus clarissimi Viri pereruditæ Elucubratio
tim cum expensæ sint etiam Quæstione sexta, & septima
primæ Columnæ Epactarum adjecit — *nempe vulgo Grego*
accipiat pro Epactis vere Gregorianis. Epactæ enim, q
vere Gregorianas, sunt illæ descriptæ in quarta Col
hunc Titulum — *Epacta ex Radice Anno* 500. *posita* —
ctis elucubratis in Epitome operis Paschalis *pag.* 142. &

„ Prima tabulæ columna annos habet fæculares Gregorianos, qui„ bus epactæ respondent; secunda Aureum cujuscunque anni numerum; „ tertia epactam Gregorianam; quarta Lilianam; quinta eam, quæ „ prodit, si radix æquationum figatur anno 400. sexta, si ea statuatur „ anno 500. septima epactam Bettazzianam in periodo quadam, quam „ insinuat annorum 247600. octava ejusdem auctoris epactam in Cy„ clo aureæ columnæ annorum 38. quem cęteris anteponit, atque „ hęc eadem columna Aureum eum numerum adscriptum habet, cui „ numero saltus Lunæ succedit.

„ Ex sæculari epacta aliorum annorum, ad proximum centesi„ mum, epactæ omnes in una qualibet methodo facile eruentur, ad„ jectis perpetuo ad eam diebus 11. rejectisque 30. quoties ad 30. „ excreverint, nisi ubi saltus ille interveniat, qui 12. pro 11. addi „ postulat. Hic vero saltus in methodo Cycli aureæ columnæ fiet post „ eum Aureum numerum, qui sæculari epactæ est adnotatus; in reli„ quis methodis omnibus perpetuo post numerum 19. Ipsi porro Au„ rei numeri quotannis quomodo reperiantur vulgo est notissimum.

„ Inventa cujuscunque anni epacta, si ea quæratur in Kalenda„ rio Gregoriano intra dies 8. Martii, & 5. Aprilis (utroque hoc „ termino incluso) ac diei invento 13. addantur, habebitur dies quar„ tædecimæ Cyclicæ paschalis in ea methodo, ex qua epacta deducta „ fuerit.

„ Ut hæc quartadecima Cyclica cum cœlesti conferri possit, adea„ tur magna tabula Festorum mobilium, quæ apud Clavium extat in „ expositione Romani Kalendarii, in hac enim paschalium plenilunio„ rum astronomici calculi quotannis recensentur ad annum 5000. ubi „ tamen plenilunia, quę annis centesimis non bisextilibus competunt, „ omnia solido die tardiora sunt, ac propterea emendanda. Pro eo „ igitur ac quisque de astronomicæ quartędecimę recta acceptione, „ ac de paschali mense astronomico statuendum putaverit [quod in „ secunda, tertia, ac quarta quæstione discutiendum posuimus] epa„ ctalis illius Cycli cum Luna consensum, aut ab ea dissidium singulis „ annis perspiciet.

„ Deinde cum in eadem Paschali tabula litera dominicalis cui„ que anno adscripta sit, Gregoriano iterum Kalendario ob oculos „ posito, statim apparebit, qui dies Dominicus post epactalem illam „ quartamdecimam primus occurrat, ac in Pascha sit recipiendus. „ Quoties ergo ex cœlesti quartadecima in alium ab eo diem, vel for„ te mensem Pascha inciderit, perspicuum fiet quot & quam gravia „ errata Cyclus ille epactalis in indictione Paschæ admittat, si modo „ de iis antea decernatur, de quibus quinta proposita est quæstio.

SOLUTIO.

1 Sapienter in fine animadvertit Anonymus, vetustissimam Paschalium Cyclorum in Ecclesia consuetudinem sectari oportere, refellens illorum opinionem, qui secus existimantes astronomicas supputationes quotannis ineundas esse pro indictione Paschæ arbitrantur. Contra hanc opinionem quædam protuli in Epitome *pag.* 169. *& seqq.* Nonnulla tamen alia, quidem non obvia, ultra ea etiam, quæ Anonymus ob oculos

 ponit,

ponit, adiiciam, ab iis ex gratia ferio animadvertenda, qui prædictam opinionem fequuntur; & funt.

Primo, Nicæni Patres, fi non omnes, nonnulli faltem erant in Aftronomiæ fcientia peritiffimi, ac propterea non ignorabant majorem illam rectitudinem, quam indictione Pafchæ aliquando affequeremur, fi, pofthabitis Cyclis, adhiberentur calculi Aftronomici; vigebat enim Nicæni Ævo doctrina Ptolomæi Aftronomi celeberrimi, per quam id clare cognofcitur. His tamen non obftantibus iidem Patres Cyclorum ufum retinuerunt; ac retinuerunt non inconfulte, quoniam -- *cuncta competenti examini* [funt verba Epiftolæ Conftantini Magni de fynodo Nicæna ad abfentes Epifcopos, per extenfum relatæ *in Differt. poft tertiam Quæftionem num.* 19.] *eo ufque difcuffa funt, donec infpectori omnium Deo accepta fententia ad unitatis concentum proferretur in lucem* --: fed retinuerunt -- fequentes illud [funt verba Sancti Ambrofii in Epiftola 83.] *quod non debeamus vana quadam opinione fuper celebratione hujufmodi fluctuare, fed vera ratione comperta ita omnium concurrat affectio, ut una nocte ubique facrificium pro Refurrectione Domini deferatur* --. Adhibitis vero fupputationibus Aftronomicis, nonne vana quadam opinione fluctuaremus? Ex dictis in Differtatione poft quartam Quæftionem *num.* 12. *& feqq. & num.* 19. *& feqq.* evidenter conftat, quod vana quadam opinione aliquando fluctuaremus quoad definiendum præcife civilem diem veri Æquinoctii; & magis fluctuaremus, ut probatum eft *loc. cit.* quoad definiendum diem, in quo accipi debeat finis temporis hyemalis, fimulque initium verni temporis. Aliquando infuper fluctuaremus circa præcifum diem Plenilunii Pafchalis, contingentis nempe circa folis occafum; hic enim dies nunquam ex obfervationibus præcognofci poteft, quoniam Pafcha die Plenilunii celebrandum eft, fi dies Dominica concurrat; fed deduci deberet ex Tabulis Aftronomicis, quæ inter fefe diffident, ac de quarum futura rectitudine nemo fidus eft fponfor. Hujufmodi fluctuatio extat, etiamfi nulla ratio habeatur ad meridianorum differentiam, quę rurfus ne nobis quidem certa omnino eft; quid ergo dicendum propter hanc Meridianorum differentiam? Meridianorum enim differentiæ, ut demonftratum eft Quæftione prima *num.* 24. *&* 25. diverfitatem producunt in civilium dierum nomenclatura; ac propterea aliquando fluctuaremus in electione menfis Pafchalis; fæpius vero in determinanda Pafchæ Dominica. *Quid ergo pulchrius* (funt verba prædictæ Epiftolæ Conftantini) *quid honeftius effe poffit, quam ut hæc Feftivitas, a quam fpem immortalitatis accepimus, uno, eodemque ordine* [nempe Cyclo, ut alibi explicavimus ex Epiftola 64. Sancti Leonis Magni, ubi Cyclus appellatur *ordo*], *& certa ratione ab omnibus inoffenfe obfervetur*? Profecto neque *certa ratione*, quia, uti fupra, aliquando fluctuaremus; neque *inoffenfe* Feftivitas Pafchæ ab omnibus propter prædicta obfervaretur. Quot enim jurgia per univerfum Orbem? Quot contentiones? Quot in celebratione Pafchæ diffidia? Nomen Chriftianum plura Pafchata inter Fideles eodem Anno abhorret, ut probatum eft Quæftione tertia *num.* 76. & in Nicæna Synodo, ut fidem facit prælaudatus Conftantinus in allegata Epiftola -- ibi -- *communi omnium fententia decretum eft, eam Feftivitatem uno, eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere* --. Sapientiffime ergo Nicæni Patres,

Patres, quippe qui non quibusdam dumtaxat, sed omnibus Christi Fidelibus toto terrarum Orbe diffusis, consulere debebant, dum — *cuncta competenti examine discussa sunt* — usum Cyclorum retinuerunt; eoque fortius, quia dissidiis, quæ propter prædicta oriri possent, alia dissidiorum pericula accedunt ex Pleniluniis post meridiem ad solis usque occasum non raro contingentibus, ista namque Plenilunia propter usum virtutis Synesis, aut Gnome, rem faciunt non sine proximo periculo, quin Fideles inter sese dissideant in ejusdem Festi celebratione.

3 *Secundo*, Non inficior, expressum pro celebratione Paschæ non extare Nicænæ Synodi præceptum de Cyclorum usu; sed negari quoque non potest, tale Nicænæ Synodi præceptum extare tacitum, sive implicitum. Quoniam ultra Cycli usum a Nicæni Ævo ad nostra usque tempora servatum, Nicæni Patres expresse præceperunt, ut nonulli Orientales, qui, uti vidimus in Dissertatione post tertiam Quæstionem, licet Paschę Festum peragerent non in quocunque septimanę die cum Quartadecimanis, sed die Dominico post quartamdecimam, nihilominus ab Occidentalibus ex eo dissidebant, quia Cyclo Judaico utebantur, Romanos, & Alexandrinos — *sint consentientibus animis* (sunt verba Epistolę Synodi Nicęnę, quam retuli *loc. cit. num.* 15.) *in eodem celebrando deinceps sedulo secuturi* —. Sed nemo dubitat, ac de facto clare constat ex dictis in pręallegata Dissertatione, Romanos, & Alexandrinos semper Cycli usum habuisse pro celebratione Paschę; ergo Nicęni Patres tacite, sive implicite usum Cycli pręceperunt pro ejusdem Festi celebratione. Cum igitur de tali saltem implicito Nicęnę Synodi pręcepto dubitari nequeat, ab eo digredi non possumus, nisi nos ipsos subiiciamus sententię Patrum Concilii Antiocheni, dicentium, ut retuli *loc. cit. num.* 12. — *Omnes, qui audent dissolvere regulam Sancti, & Magni Concilii, quod celebratum est in præsentia Dei amantissimi Constantini Imperatoris de sancta, & salutari Festivitate Paschali Salvatoris nostri, excomunicatos, & ejectos ab Ecclesia esse debere* —; ac nisi parvipendamus mandatum Patrum Concilii Calcedonensis, qui, ut retuli *loc. cit. num.* 241. sic dixerunt —. *Regulas a Sanctis Patribus in unaquaque Synodo usque nunc prolatas teneri mandamus* —. Ac denique nisi contemnamus Decretum Sancti Leonis Magni, relatum Quęstione tertia *num.* 83. qui sic locutus est — *Contra statuta Canonum Paternorum, quæ ante longissimæ ætatis Annos in Urbe Nicæa spiritualibus sunt fundata Decretis, nihil cuiquam audere concedītur; ita ut si quis diversum quid velit decernere, se potius minuat, quam illa corrumpat* —. Et iterum; *In omnibus*, inquit, *Ecclesiasticis causis his legibus obsequimur, quas ob pacificam observantiam omnium Sacerdotum per* 318. *Antistites Spiritus Sanctus instituit; ita ut etiamsi multi plures aliud, quam illi statuere decernant, in nulla reverentia sit habendum quid quid fuerit a prædictorum constitutione diversum* —. Concludam igitur verbis pręcitatę Epistolę Constantini — *æquissimum esse, quod stricta ratio exigere videtur* — ut nemo, scilicet, digrediatur a Cyclorum usu; idque fortius, quia usus iste non solum conformis est pręcepto, quo Deus in Exodo *cap.* 12. primo instituit Pascha, civili namque methodo (propter pronomen *iste* — *hujus* — ibidem notatum) Paschale tempus ordinatum est; verum etiam conformis est documento, quo

Apoſtolus Paulus prçcepit nobis Paſchę celebrationem in Epiſtola prima ad Corinth. *cap.* 5. *verſ.* 8. Cum enim ibidem pateat Paſcha a nobis celebrandum eſſe *tempore Azymorum* ut latiſſime expoſui *Quæſt.* 3. *num.* 66. *& ſeqq.* & cum ipſum Azymorum tempus, tum ex allegato Exodi prçcepto, tum ex actuali praxi veterum Judçorum, ac etiam D. N. J. C. indictum fuerit per Cyclum civilem, ut late pateſeci in Diſſertatione poſt *Quæſt.* 5. *num.* 97. utique digredi non debemus a Cyclorum uſu.

4 *Tertio*; in allegata Diſſertatione *num.* 37. expendentes iſta verba libri Conſtitutionum Apoſtolicarum -- *Vos temporum rationes ne ſubducite, ſed eo tempore celebrate, quo fratres veſtri, qui ex Circumciſione prodierunt. Cum iis itaque Paſcha peragite; & quamvis aberrent ipſi, nihil id vos commoveat* --; expendentes, inquam, iſta verba ex cauſa, propter quam quis ſeſe ad rationes temporum ſubducendas commiſiſſet, ac reſpective ex fine emanatæ prohibitionis ibidem explicato, genuinum hunc prædictorum verborum ſenſum aſſecuti ſumus, videlicet -- *Ne rationes temporum ſubducerentur ex calculis aſtronomicis* -- quorum uſu diſſidium in celebratione Paſchæ illico exortum fuiſſet. Et quidem Patres Arelatenſis primi Concilii, in Synodali Epiſtola ad Sanctum Sylveſtrum Papam *tom.* 1. *Conciliorum ad regiam editionem exaratorum pag.* 1425. ita locuti ſunt -- *Id primo loco de vita noſtra, atque utilitate tractandum fuit, ut quia unus pro multis mortuus eſt, & reſurrexit, ab omnibus tempus ipſum ita religioſa mente obſervetur, ne diviſiones, vel diſſenſiones in tanto obſequio devotionis poſſint exurgere. Cenſemus ergo Paſcha Domini per Orbem totum una die obſervari.* -- Si ergo ab omnibus Chriſti Fidelibus toto terrarum Orbe diffuſis tempus ipſum mortis, & Reſurrectionis Chriſti obſervari debet *ita religioſa mente, ne diviſiones, vel diſſenſiones in tanto obſequio devotionis poſſint exurgere* -- utique dies Paſchæ Dominicus calculis aſtronomicis ſubduci non debet, quibus, uti conſtat ex dictis, & diviſiones, & diſſenſiones poſſent exurgere.

5 *Quarto*; falluntur quidem, qui cenſent, calculis aſtronomicis omnia poſſe vitari incommoda: Fieri enim non poteſt, quin alterutrum ex hiſce duobus committant. Currente litera Dominicali D. ac nullo extante Plenilunio intra terminos Lunæ quintædecimæ Paſchali a Nicæno præfixos a die, ſcilicet 22. Martii ad diem 19. Aprilis incluſis terminis; Paſcha tunc neceſſario indictum erit vel die 19. Aprilis, die ſcilicet, ante Plenilunium, vel die 26. ejuſdem menſis Aprilis, quod a Nicçni Ævo ad noſtra uſque tempora nunquam factum eſt, nec fieri poteſt, uti probatum eſt Quæſtione quarta *num.* 7. quia luna decima ſeptima, in qua Dominus a mortuis reſurrexit, tunc aptiſſime contingeret ſecundo menſe juxta civilem, ſive Eccleſiaſticum ſolis curſum, nempe die 22. Aprilis. Hæc procedunt in hypotheſi, quod obſervaretur finis hyberni temporis, initiumque vernæ immutationis die 21. Martii. At ſi per modum hypotheſis contra ea, quæ diſcuſſa ſunt in Diſſertatione poſt quartam Quæſtionem, aliter ſtatuatur finis hyberni temporis, initiumque vernæ immutationis, veluti ex Æquinoctio vero, nunquid utrumque incommodum poterit declinari? Non, me Hercule; idque deprehendetur aſſignatis primo menſi ſolari diebus, vel juxta Eccleſiaſticam diſpoſitionem, vel rigoroſe juxta ſolis moram in ſigno

Arietis

Arietis. Exemplum rem faciet clariorem. Anno 1742. usurpatis Calculis astronomicis, Pascha vel annuntiabitur die 25. Martii, & consequenter ultimo superioris Anni mense, quemadmodum plenissime probatum est in Corollario post responsum ad quartam Quæstionem *num.* 19. *& seqq.* vel die 22. Aprilis Luna decima septima; quæ Luna decima septima non foret in primo, sed in secundo mense solari, accepto solari mense, vel juxta Ecclesiasticam dispositionem, vel juxta solis cursum in Zodiaco. Quod si per modum hypothesis pro litera Dominicali G. tunc recurreret litera Dominicalis D. Pascha tunc necessario indiceretur, ut dictum est, vel die Dominico 19. Aprilis ante Plenilunium, vel die 26. ejusdem mensis. Paschale enim Plenilunium Anno 1742. futurum est in civili die vigesima Aprilis. Re ita sese habente manifestum est, calculis astronomicis omnia non posse incommoda vitari. Si ergo istis calculis omnia vitari nequeunt incommoda, quid pulchrius, quid honestius esse possit, quam ut Paschæ Festivitas uno, eodemque Cyclo, quam accuratissime ordinato, observetur? Et quidem primum Pascha in Exodo *cap.* 12. ad normam Cycli institutum est, & D. N. J. C. ad normam Cycli Judæorum Pascha celebravit.

6 *Quinto*; — *Etsi quæ dixi, minime suppeterent,* [sunt verba prælaudatæ Epistolæ Constantini] *vestræ tamen solertiæ est id curare omnibus modis, atque optare, ne sanctitas animarum vestrarum in ullius rei similitudine cum nequissimorum hominum* (nempe Judæorum) *moribus sociari, & commisceri videatur* — A Nicænorum ergo Patrum sententia digrederemur, si usum Cyclorum antiquantes, astronomicas supputationes sequeremur pro indictione Paschæ. Nos etenim non solum a relato ipsorum tacito mandato, & praxi, sed etiam aliquam gerere similitudinem videremur cum Judæorum moribus, qui tum ad Thecuphas, tum ad novilunia Paschalia singulis annis determinanda, supputationibus astronomicis per Astronomicum Rabbi Addę Cyclum designatis utuntur; quamvis iidem Judæi non raro errent. Ptolemaicam enim justo majorem Anni Tropici magnitudinem Rabbi Adda in suo Astronomico Cyclo adhibuit; & hinc fit, ut vernalis Thecupha quinque diebus tardior, stylo novo, Judæis adveniens, Festivitatem eorum in secundum mensem aperte detrudat, quotiescunque hoc labente sæculo in orbem recurrit Judaicus aureus numerus 8. & 19. respondens nostro aureo numero 3. & 11. Et insuper Judæi ipsi, cum in usum invexerint, a Neomenia mensis Nisan, & consequenter a suo, si fas est dicere, Paschate reicere perpetuo ferias secundam, quartam, & sextam, non raro errant etiam quoad diem. Cum ergo aliquam, astronomicarum supputationum usu pro indictione Paschæ similitudinem gerere videremur cum Judæorum moribus — *præstat eam sequi sententiam* (sunt verba ejusdem Epistolæ Constantini) *in qua nulla est alieni erroris, scelerisque societas, atque communio.*

7 *Sexto*; Opinio de adhibendis Calculis astronomicis oborta est, quia constans non inveniebatur ratio emendandi vetus Calendarium aureorum numerorum, & custodiendi simul veteres Ecclesiæ ritus. Ad presens vero cessat finis prędictę opinionis. Cum ergo cessent Leges, cessante harum fine, ingenui viri esse quisque judicabit, si posthabita prædicta opinione, civilis Cyclus pro indictione Paschæ adhibeatur; eoque fortius, quia si Cyclus non adhibeatur, res peractæ tractu temporis

poris forent adeo obſcurę, ut peritiſſimus quiſque Chronologus veritatem difficiliter proferre potuerit.

8 *Septimo*; Mœſtlinus, Calendarii Gregoriani oppugnator, ad relata per Clavium in Apologia contra eundem Mœſtlinum *lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 63. ita locutus eſt — *Ego, & mecum omnes ſani, atque prudentes Mathematici ultro confitemur, haſce ſubtilitates aſtronomicas in rei veritate nihil conducere ad politicum; unde neminem Politicorum, & Plebejorum hiſce gravandum ſtatuimus. Sicut nec Julius Cæſar, prudentiſſimus Imperator, in Anni reſtitutione ſubtilitatibus ullis turbas movere voluit. Nec Patres Concilii Nicæni, qui huic novo Calendario occaſionem ſubminiſtrarunt, quidquam de his ſubtilitatibus monuerunt.*

9 *Octavo*; Cum apertiſſime pateat, diſcrimen eſſe inter cujuſvis Principis, aut ſummi Pontificis Decretum de aliqua re, & Conſultationem; Leo X. Pont. Max. in Diplomate, quod retuli in Proemio Epitomes *pag.* 16. non decrevit adhibendos eſſe pro indictione Paſchę calculos aſtronomicos, ſed ſententiam ſolum enuntiat, cujus diſcuſſionem ab Academia Lovanienſi petiit. Et quidem Albertus Pighius Campenſis in ipſa inſigni Academia Mathematicus, ac Theologus prędictam opinionem reprobavit, atque a Cyclorum uſu recedendum non eſſe reſpondit in Libro, cujus titulus eſt — *De ratione Paſchalis celebrationis, deque reſtitutione Eccleſiaſtici Calendarii, ad Beatiſſimum Patrem Leonem X. Pont. Max. — Propoſ.* 12. *&* 16. ubi etiam rationes Stœffleri refellit, adeo, ut opinionem de adhibendis calculis Aſtronomicis ipſe Summus Pontifex ullo deinde decreto non approbaverit; ac de facto Romana Eccleſia tum tempore, quo ſuperſtes fuit idem Summus Pontifex, tum ſucceſſive uſque ad Annum 1582. eundem Nicęnum aureorum numerorum Cyclum retinuerit propter deficientiam opportunę methodi corrigendi vetus Calendarium.

Prędicta ex iis fiunt clariora, quę ipſe Albertus Pighius Campenſis narrat initio prędicti ſui Libri, & pręcipue, quę idem dicit *Propoſ.* 16. *pag.* 21. *t.* hic referenda, prout ibidem jacent, ut qui opinionem prędictam allegato Diplomate perinde, ac Decreto Pontificio, fulciunt, eam falſo innixam eſſe fundamento depręhendant. Sequuntur verba ejuſdem Alberti Pighii una cum verbis prędicti Diplomatis — *Sententiam prædictam judicio certe noſtro longiſſime aberrantem vero, obtinuiſſe nuper in Lateranenſi Concilio, & placuiſſe Patribus, ex Pontificio Tuæ Sanctitatis Diplomate cognovimus, quo Lovanienſi Academiæ (ubi in Theologica tunc Paleſtra exercitabamur) ſcripſerat tua Sanctitas, quæ Patribus dicti Concilii viſa erant pro reſtitutione Calendarii commodiſſima, ut diſcuterentur diligentius, & maturius deliberata conſtituerentur. In quo inter cætera multa id quoque adſcriptum erat ad Lunaris Cycli reſtitutionem pertinens — Quoniam Cyclus magnam difficultatem habet, & varietatem in ſervanda perpetuitate ſua* (Aurei namque numeri eidem diei menſis perpetuo ſtabiles adſcribi non poſſunt in Calendario) *& ejus conſervatio poſt ſufficientem ejus reparationem foret, ſingulis* 304. *Annis unicum diem omittere, quæ conſervatio non ſtaret cum prædicta Æquinoctii conſervatione, propter quam ſingulis* 134. *Annis dies unus omitti debet, Conſultius videretur, ad Paſchalem Lunam indagandam, tabulis dumtaxat aſtronomicis uti, in quibus ad mille Annos computetur, & deſcribatur Luna Paſchalis, & in principio Calendarii ponatur; ſed ne*

ne Ecclesia, quæ tanto tempore aureo numero usa est, videatur eo privari, reparetur nunc Cyclus ad Annos 304. *aut saltem ad Annos* 134. *quod factu facile est, & Calendario correctus de more inscribatur, duplici tamen hac protestatione præmissa, Altera, ut post lapsum dictorum Annorum iterum corrigatur ab Ecclesia per sapientes. Altera vero, ut iterum, quandocunque in Cyelo, & Tabulis prædictis in Luna Paschali discordia intercesserit, præcisiori Tabularum supputationi ab omnibus stari debeat.* — Hactenus Diplomatis verba recitavimus — Cum ergo prælaudatus Summus Pontifex Leo X. hæc in Diplomate expresserit -- *ut discuterentur diligentius, & maturius deliberata constituerentur* — utique dici nequit, quod ipse Summus Pontifex prædicta decreverit. Sed solum de prædictis Academiam Lovaniensem consultaverit; eoque fortius, quia illa verba -- *consultius videretur* — rem non faciunt præstitutam, sed materiam ab ipsa Academia discutiendam præseferunt. Quare cessat de facto fundamentum illud, quo opinio de adhibendis calculis astronomicis fulcitur.

Imo ex quo hujusmodi opinio olim tanti non valuit, ut usui committeretur, dum Correctio veteris Calendarii tot difficultatibus erat implicata, nunc vero explanatis difficultatibus meretur, ut eidem obsequamur?

10 *Nono*; fateor, quod Docti, & Calculorum Astronomicorum Periti Cyclis opus non habent, sed quomodo in iis, quæ notata sunt *num.* 2. inter sese convenire possint, diversis præsertim locis incolentes, diversisque forsan affectionibus non sine ratione addicti, utique non apparet. Imo cum docti sint, profecto sciunt, quod, cum præcepto de celebrando ubique Paschate in uno, eodemque die æque obstricti sint etiam indocti, & imperiti, toto terrarum Orbe diffusi, oportet, ut istos quoque certo, ac sine erroris, fraudisve periculo non lateat, qui dies Dominicus apud omnes Christi Fideles sit Pascha. An ne iniquorum invidia, aut imperitorum incuria, tempora Festorum simpliciter, ac mature indicta, alterationi non sunt obnoxia? Exemplo sit id, quod *ultra montes* contigit Anno 1734. Insuper sciunt, quod in gloriam suam id refunditur, si se accomodant ad indoctos, & imperitos, qui licet rite non intelligant Cyclos, hos tamen materialiter saltem percipiunt, commoditatem vero eorundem, & utilitatem experiuntur. Et quidem neminem fore existimo adeo rudem, ut percepturus non sit facillimam methodum, quam inferius tradam in Corollario, inveniendi singulis Annis diem Paschæ sine Calendario Gregoriano, & sine ejusdem Calendarii notitia, & uniformiter ad ipsum.

11 *Decimo*; nulla Cycli errata ab Ecclesia *consulto* admittuntur, ut quadam per me inventa demonstratione patefeci Quæstione quarta *num.* 8. sed tolerantur illa Cycli quam accuratissime ordinati; idque ex iis, quæ exhibui Quęstione quinta *num.* 26. *& seqq.* & Quęstione septima *num.* 5. Quare cum omnia ne calculis quidem astronomicis vitari possint incommoda, ut dictum est *num.* 5. satius utique est illa pauca Cycli accuratissime ordinati errata tolerare, quam usu Calculorum Astronomicorum parvipendere ea, quę dicta sunt *num.* 3. 4. 6. 7. 8. 10. *&* 12. atque dissensionibus, & divisionibus Fideles Christi in celebrando Paschate exponere propter ea, quę exhibui *num.* 2. Eoque fortius satius est, quia hujusmodi Cycli errata ab ipso usque exordio Ecclesię

perpetuo

perpetuo tolerata sunt, uti constat ex dictis in Dissertatione post tertiam Quæstionem *num.* 78. de Cyclo Julii Cæsaris in Ecclesia servato usque ad Annum Æræ vulgaris 260. atque ex dictis *loc. cit. num.* 75. de eodem Cyclo per Sanctum Dionysium Archiepiscopum Alexandrinum emendato, atque usurpato usque ad Nicæni Ævum; ac denique ex pluries dictis de Cyclo Nicæno usque ad Gregorium XIII. Pont. Max. illibate retento. Quid amplius? Hujusmodi errata in Cyclo etiam, quem Judæi tempore Christi usurpabant, contingebant, ut evidenter patet in Dissertatione post quintam Quæstionem *num.* 93. *&* 94. & nihilominus ab ipsis Judæis tolerabantur; imo ab ipsomet Redemptore nostro Domino Jesu Christo tolerata fuerunt, & signanter in primo, & secundo Paschate ab eodem Servatore nostro post Baptismum celebratis, memoratisque a Sancto Evangelista Joanne *cap.* 2. *verf.* 13. *& cap.* 6. *verf.* 4. scilicet, Anno Æræ vulgaris 28. & 29. In præallegata enim Dissertatione post quintam Quæstionem *num.* 97. *& feqq.* evidenter constat, merum esse commentum, quod veteres Judæi Neomenias ex visione Lunæ novæ statuerint; & insuper ibidem manifestum est *num.* 93. quod prædictis Annis 28. & 29. Æræ vulgaris Cyclus Judaicus quartam decimam Paschalem proclamavit ipso die Plenilunii medii post ortum solis, & ante meridiem contingentis, Patet ergo, satius esse prędicta pauca Cycli accuratissime ordinati tolerare errata, quam usu calculorum Astronomicorum Pascha indicere.

12 *Undecimo*; Sacra scriptura in Exodo *cap.* 12. & Levitico *cap.* 23. & Libro numerorum *cap.* 9. propter demonstrativum pronomen -- *iste* -- *hujus* -- adjectum Paschali mensi, probat quidem vulgarem illam, & ab Israelis Populo usitatam formam mensium lunarium æque, ac si Deus dixisset; mensis iste, qui hactenus in Ægypto a vobis secundum vulgarem communis Anni usum septimus est habitus, ac numeratus, deinceps erit vobis primus totius Anni; sic *Oleaster*, *& Cornelius a Lapide in Exodo loc. cit. & cap.* 23. *verf.* 16. *& alii communiter.*

Rursus ipse Deus instituto Festo Tubarum, & successive Expiationis, & Tabernaculorum in mense septimo, Levit. *cap.* 23. *verf.* 15. *& feq.* manifestavit Populo Israel tempus ejusdem solemnitatis Tabernaculorum his verbis in Exodo *cap.* 23. *verf.* 16. *folemnitatem quoque* (custodies) *in exitu Anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro* --. Si hanc Tabernaculorum solemnitatem -- *in septimo mense* -- celebrari Deus pręcepit in Levitico *cap.* 23. quare ipse Deus in Exodo eandem designat -- *in exitu Anni*? Nisi quia, immutatis [uti legitur in Ecclesiastico *cap.* 33. *verf.* 9.] temporibus, septimus mensis, numeratus a mense Nisan, erat primus in illo Anno civili, quem Hebræi, olim in servitute Pharaonis constituti, ab Ægyptiis didicerant, & postea ad usum civilium retinueruut, & adhuc retinent, ut probat Judęorum praxis, & respective refert Josephus Hebræus *lib.* 1. *Antiq. Judaic. cap.* 4. Ex allegatis Exodi verbis rem animadversione plane dignam colligo, scilicet, primum mensem Hebræis per Moysen innotuisse methodo adeo civili, & vulgari, ut ipsis Hebræis eadem civili methodo notus fuerit etiam Annus Sacer, in cujus fine inferendus erat mensis Embolimus. Et quænam erat ista methodus? *Perpetua in Paschalem elevatio fexti mensis ante initium Anni civilis eorundem Hebræorum*; quoniam mensis primus Anni civilis ab Hebræis illuc usque in Ægypto usurpati, in

quo

quo secundum allegata Exodi verba celebrari debebat Tabernaculorum solemnitas, appellatur in Levitico mensis septimus Anni sacri, qualis de facto, ac semper est. Illa enim verba -- *quando congregaveris omnes fruges tuas de agro* -- satis manifestant, initium Anni civilis Hebræorum, Moysis Ævo, non peragrasse, ut moris est apud Turcas, per totum Solaris Anni circuitum, nempe, absque usu mensis Embolimi; quemadmodum neque ad præsens apud eosdem Hebræos vagatur. Cum ergo Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione secunda in Pascha *pag.* 454. doceat -- ibi *Illud persuasum habeo, nihil temere, nec inconsulte nihil humiliter, atque abjecte, nihil denique Deo Legislatore, ac ministro Mose, parum dignum indictum, atque constitutum esse* --. Lunam decimam quartam Paschalem bene accipimus ex civili methodo, nempe ex Cyclo, quamvis ratio ita colligendi ipsam quartam decimam includat, ut hæc nonnunquam a cœlestibus motibus dissideat. Sequimur enim, quod Deus allegato pręcepto suo jam ab initio probavit; & quod Hebræi vigente Lege Moysis servarunt, & quod Redemptor noster Dominus Jesus Christus sine Judæorum reprehensione perpetuo custodivit; & quod denique Ecclesia ab hujus usque exordio semper retinuit; & quod insuper, si aliquando, sed raro, errat, patet ex dictis Quæstione quinta *num.* 26. *& seqq.* nihili pendendos esse defectus Cycli, quam accuratissime ordinati.

13 His ingenue animadversis

Ad nonam Quæstionem respondetur, *Lunarium Cyclorum usum in Ecclesia antiquandum non esse, neque Pascha ex Astronomicis Calculis indicendum.*

COROLLARIUM.

14 Onerosa exteris Nationibus, quæ a nobis dissident in celebratione Paschæ, forsan videbitur exoptata nobiscum unio. Vulgatum enim apud eas non est Calendarium, quo utimur, Gregorianum, diei primæ Januarii (notetur, quia falsa Calendaria pluribus locis edita sunt contra Bullam Gregorii XIII. quæ incipit -- *Inter gravissimas* -- & contra Bullam Clementis VIII. quę incipit -- *Quæcunque* -- ac propterea ex hoc distinctivo verum Calendarium Gregorianum a cæteris falsis discernes) diei, inquam, primæ Januarii adscriptum habens asteriscum *, quod Epactam trigesimam designat; diei autem ultimæ Decembris tenens duplicem Epactam, scilicet Epactam xx. latino charactere scriptam, & Epactam 19. isto arabico charactere notatam. Quare ne ex eo gravaminis titulo exteræ nationes ad unionem retardentur, operæ pretium duxi, methodum tradere, qua singulis Annis sine prædicto Calendario, & sine ulla ejusdem Calendarii notitia, deprehendi facillime possit dies novilunii, & quartæ decimæ Paschalis, & consequenter dies Paschæ uniformiter ad ipsum Calendarium.

15 Jam notum esse existimo, quod Epacta cujusvis dati expansi Anni regulariter pendet ex Epacta Anni centesimi proxime præcedentis; ex hac enim Epacta, quam in Tabula jam retulit Anonymus Quæstione nona, cæteras omnes singulorum Annorum cujusvis sæculi consequimur perpetuo additamento undecim unitatum, triginta rejectis, quoties summa fuerit major triginta, eoque solum excepto loco, quem

ſaltum Lunæ appellamus, ubi pro undecim duodecim unitates addendę ſunt. Id inſuper notum eſſe exiſtimo, quod ad obtinendas quaſcunque Epactas futurorum Annorum expanſorum cujuſvis dati ſęculi, opus non eſt, ut computum inſtituamus a prędicta Epacta ſęculari. Epacta enim cujuslibet Anni expanſi, ex ea, quæ proxime præcedenti Anno competit, perpetuo undecim unitatum, quæ ſunt exceſſus dierum Anni Solaris ſupra Annum lunarem, additamento conflatur, triginta rejectis, quoties ſumma ad triginta excreverit, eoque, ut dictum eſt, excepto loco, quem ſaltum Lunæ appellamus, ubi pro undecim unitatibus, duodecim addendæ ſunt. Hunc vero ſaltum Lunæ Cyclus Gregorianus, in Reſponſo ad Quæſtionem ſeptimam memoratus, perpetuo retinet fixum poſt aureum numerum 19. Cyclus vero Aureæ Columnæ, ibidem expoſitus, diverſis ſæculis poſt diverſos aureos numeros locatum præſefert, adeo ut labente hoc ſæculo expoſcat poſt aureum numerum tertium. Exemplum rem faciet clariorem, quod extendam ſecundum æquationem hujuſce Cycli Aureæ Columnæ. Ex Epacta XXI. quæ juxta prędictum Cyclum congruit Anno 1739. colligo Epactam II. pro Anno 1740. quia additis undecim unitatibus Epactę XXI. Summa eſt 32. a qua detractis 30. reliquum eſt Epacta II. & ſic de cęteris, adeo ut colligam Epactam XXII. pro anno 1750. At quoniam hoc Anno 1750. in orbem redit aureus numerus tertius, poſt quem, ut dictum eſt, fieri debet ſaltus Lunæ, ex Epacta XXII. colligo Epactam IV. pro Anno 1751. quia additis duodecim unitatibus Epactæ XXII. Summa eſt 34. a qua detractis 30. reliquum eſt Epacta IV. deinde additis undecim unitatibus habetur Epacta XV. pro Anno 1752. & ſic de cæteris uſque per totum ſæculum.

16 Si tamen in Cyclo vere Gregoriano optas elegantiſſimam, facillimamque habere regulam ad obtinendas Epactas cujuſvis ſæculi abſque ullis Tabulis, & literis, & conſequenter ad obtinendam Epactam cujuſvis Annis expanſi; Eam elucubratus ſum in alio meo opere poſterius confecto adverſus Patrem Melitonem a Perpignano Capuccinum Quæſt. 4. *num.* 13. Ut ſciatur dies Novilunii Paſchalis; ex numero 31. (agitur enim de novilunio incluſive) ſubtrahi debet dati Anni Epacta, cujus notitiam quiſque faciliter conſequitur ex nuper notatis, reliquum eſt dies novilunii Cyclaris menſe Martio. Qui novilunii dies, ſi ſit alter ex diebus ab octavo incluſive menſis Martii ſtylo novo uſque per totum menſem Martium, eſt dies Novilunii Paſchalis. Exemplum; Anno 1744. Cyclus Aureæ Columnæ exhibet uſum Epactæ XVI. qua ſubtracta ex numero 31. reliquum eſt 15. ac propterea dies 15. Martii eodem ſtylo novo eſt Novilunium Paſchale.

17 Aliud exemplum; Anno 1751. ipſe Cyclus præfefert uſum Epactæ IV. qua ſubtracta ex numero 31. reliquum eſt 27. ac propterea dies 27. Martii ſtylo novo eſt Novilunium Paſchale. Si vero Novilunii dies ſit ante diem octavam Martii ſimiliter ſtylo novo, huic Novilunio dies triginta ſemper addi debent ad obtinendum diem Novilunii Paſchalis, duobus tamen exceptis caſibus, in quibus addi debent dies dumtaxat viginti novem, ſcilicet currente Epacta XXIV. atque Epacta 25. hoc arabico charactere inſcripta, cujus uſus rarus eſt, atque ſolum advenit, quando Epacta vigeſima quinta ſimul concurrit cum aureo numero, qui major ſit undecim.

Exem-

Exemplum regulæ; Anno 1745. ipse Cyclus exhibet usum Epactæ XXVII. qua subtracta ex numero 31. reliquum est 4. Additis ergo 30. diei quartæ Martii, summa, quæ est 34. præsefert Novilunium Paschale die 34. Martii, qui est dies tertius Aprilis.

Exemplum limitationis prædictæ regulæ; Anno 1742. idem Cyclus prodit Epactam XXIV. qua subtracta ex numero 31. reliquum est 7. Additis autem 29. diei septimæ Martii, summa, quæ est 36. dat Novilunium Paschale die 36. Martii, qui est dies quintus mensis Aprilis.

Aliud exemplum limitationis ejusdem regulæ; Anno 2106. juxta prędictum Aureæ Columnæ Cyclum occurrit primo usus Epactæ 25. arabico charactere inscriptæ, quia Epacta vigesima quinta tunc concurrit cum Aureo numero majore undecim, nempe cum aureo numero 17. Subtracta itaque Epacta 25. ex numero 31. reliquum est 6. cui additis 29. diebus, summa, quæ est 35. exhibet Novilunium Paschale die 35. Martii, qui est dies quartus Aprilis.

Ut commoditati tamen consulatur, ob oculos ponam in sequenti Laterculo currentes aureos numeros, istisque respondentes Epactas vere Gregorianas labentis sæculi; & singulis hisce Epactis notabitur dies Novilunii Paschalis Stylo novo, per ipsas Epactas secundum prædictam regulam indicti.

18 Invento autem uti supra die Paschalis Novilunii, si huic diei addantur tredecim dies, dies ex hac summa productus, est quartadecima Paschalis. Exemplum; invento uti supra Paschali Novilunio die qnarto Aprilis, si huic addantur tredecim dies, summa, quæ est 17. exhibet Paschalem quartam decimam die 17. Aprilis Stylo novo, & sic de cæteris.

19 Dies vero Dominicus, qui huic quartæ decimæ proxime succedit, semper est dies Paschæ uniformiter ad novum, sive Gregorianum Calendarium. Reliqua denique omnia mobilia Festa, quippe quę pendent ex certa notitia diei Dominici Paschæ, obtineri possunt tum ex vulgatis computi Ecclesiastici regulis, tum facilius ex antiqua etiam, & perpetua Tabula Paschali, seu Festorum mobilium, hoc solum observato, ut in qua horizontali linea ejusdem Tabulæ dies Paschæ uti supra præcognitus deprehenditur; cætera etiam Festa mobilia accipiantur, quæ dato diei Paschæ respondent.

De Lunæ Ætate pronuncianda in veteris Martyrologii Lectione uniformiter ad novum Martyrologium, & novum Calendarium.

20 Dices; etsi in eo, quod pertinet ad obtinendam certam diei Paschæ, cæterorumque Festorum mobilium notitiam, novo Calendario conformem, onerosa (propter facillimam regulam nuper exhibitam) non esset exoptata nobiscum unio; tamen onerosa hęc redderetur ex eo, quia in quotidiana veteris Martyrologii Lectione vel abstinendum esset a proclamatione Ætatis Lunę; id, quod esset vetustissimo Ecclesię ritui contrarium, vel ipsa Ætas Lunę proclamanda semper esset longissime difformis Cœlo, & novo Martyrologio, novoque Calendario. Quare statim ac prędicta unio absolveretur, necessaria foret præsens provisio, sive emptio novi Martyrologii, aut saltem novi Calendarii, vel potius utriusque libri, quemadmodum id omne statim necessarium fuit nationibus illis, quæ novo Calendario utuntur.

Respondeo, quod (quidquid visum fuit necessarium proxime post correctionem Gregorii XIII. Summi Pont.) tam in hypothesi acceptationis novi styli quoad Annnm Solarem, quam in hypothesi retentionis styli veteris, Ætas Lunæ singnlis Romani Anni diebus in veteris Martyrologii Lectione pronnnciari potest conformis novo Martyrologio, ac novo Calendario, absque istorum librorum provisione, sive emptione, observata dnmtaxat seqnenti regula.

21 Per totum Romani Anni circuitum sumatur illa veteris Martyrologii (quod illud est singulis Anni diebus suprascriptam præseferens Lunæ Ætatem, veteri Calendario conformem, sive clarius, Kalendis Januarii habens Lunam primam, literæ C. suprascriptam) sumatur, inquam, illa veteris Martyrologii litera, quæ lunam primam habet suprascriptam in illa die, in qua uti supra deprehensum est Paschale Novilunium uniformiter ad novum, sive Gregorianum Calendarium; ubi vero ista litera sumi nequit, tunc Novilunium Paschale, sive luna prima mensis Paschalis nihilominus in prædicta die retineatur, accipiaturque ejusdem veteris Martyrologii litera, quæ die proxime sequenti suprascriptam habet Lunam primam; accipiatur, inquam, hac lege,

S

AB ANNO 1700.

ES AUREOS

S.

12	13	14	15	16	17	18	19
II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX
29 Mar.	18 Mar.	5 Apr.	26 Mar.	15 Mar.	3 Apr.	23 Mar.	12 Mar.

lege, ut ætati Lunæ, per hanc literam tunc & ſequentibus diebus ſupraſcriptæ, unitas perpetuo addatur, abjectis triginta, quando ſumma ad triginta excreverit.

Quæ autem litera Lunam primam menſis Paſchalis, aut reſpective Lunam iſtius menſis [propter adauctam unitatem] pronunciaverit ſecundam, toto Romano Anno, qui Kalendis Januariis incipit, Ætatem Lunæ ſimili prorſus modo manifeſtat, hoc claritatis gratia adnotato, ut quoties propter illam adauctam unitatem fit Luna trigeſima, & iſta nullo alio interpoſito die proxime pręcedit in veteri Martyrologio prædictam aſſumptam literam cum luna prima ſignatam, tunc pro luna trigeſima dicatur luna prima, ac ſucceſſivis diebus luna ſecunda, luna tertia, & ſic de cæteris.

Animadverti tamen debet, quod ubi recurrit Epacta XIX. una cum aureo numero 19. cui proxime ſuccedat ſaltus Lunæ, Lunatio, quæ incipit die ſecundo Decembris, ex plena fiat cava, nempe dierum 29. adeo ut die 31. Decembris dicatur luna prima; id, quod faciliter ſcatet correptum, ut inferius patebit; & quando Lunatio, quæ incipit menſe Decembre, terminatque menſe Januario, occurrit dierum 31. [quod labente ſęculo hoc in hypotheſi acceptationis novi ſtyli in decennovennali Circulo ter accidit in fine Romani Anni, àureo numero ſexto, decimoquarto, & decimoſeptimo inſigniti, & faciliter ut patebit ſcatet correctum] tunc Lunatio proxime pręcedens, nempe quæ terminat menſe Decembre, ex cava fiat plena, ſcilicet dierum triginta; ac propterea quę dies eodem menſe Decembre in veteri Martyrologio ſecundum prędictam regulam tunc pronunciat Lunam primam, proclamet trigeſimam; & quę dies pronunciat Lunam ſecundam, indicat lunam primam, & ſic procedatur uſque ad finem Decembris. Deinde autem initio ſubſequentis menſis Januarii Ætas Lunę ſecundum prędictam regulam pronuncietur.

In hypotheſi acceptationis novi Styli.

22 Expoſitam regulam exempla facient clariorem; conſtat ex *num.* 16. quod Anno 1744. in quo recurrit aureus numerus 16. Novilunium Paſchale eſt die 15. Martii Stylo novo, in quo die licet nulla litera in veteri Martyrologio lunam primam deſignet, nihilominus in eo die Novilunium Paſchale, ſive Luna prima Paſchalis retinetur, & litera S. quę die tunc proxime ſequente, nempe die 16. Martii, in eodem veteri Martyrologio ſupraſcriptam habet Lunam primam, manifeſtat (propter adauctam unitatem) lunam ſecundam; die autem 17. Martii lunam tertiam, & ſic deinceps uſque per totum menſem Decembrem. Similiter eadem litera S. Kalendis Januarii (propter adauctam unitatem) oſtendit Lunam decimam ſeptimam; die 15. Januarii Lunam primam; die 16. Januarii lunam ſecundam; die autem 17. lunam tertiam, & ſic deinceps uſque ad Novilunium Paſchale, & conſequenter uſque per totum menſem Decembrem, ut dictum eſt.

Aliud exemplum; eodem *num.* 16. patet, quod Anno 1751. in quo recurrit aureus numerus quartus Novilunium Paſchale eſt die 27. Martii Stylo novo. In iſto die, litera r. in veteri Martyrologio deſignat lunam primam, ac propterea die 28. Martii lunam ſecundam, & ſic

& ſic de cęteris uſque per totum menſem Decembrem ſimiliter eadem litera r. Kalendis Januarii pronunciat lunam quintam; die ſecundo Januarii lunam ſextam, & ſic de cęteris uſque ad Novilunium Paſchale, & conſequenter uſque per totum menſem Decembrem, ut dictum eſt.

23 Ut commoditati conſulatur, in ſequenti Laterculo referam veteris Martyrologii literas, quę labente hoc ſęculo, ad normam Cycli vere Gregoriani, ſupraſcriptam habent lunam primam Paſchalem, perpetuo uniformem novo Martyrologio, & novo Calendario Annis aureo numero ſupraſcripto inſignitis; diſtincte vero literas, quæ unitatis additamentum exigunt in Ætate Lunæ per ipſas literas in eodem veteri Martyrologio enunciata.

L A T E R C U L U S

Qui labente hoc ſæculo rem manifeſtat in hypotheſi acceptationis novi Styli.

Aurei numeri currentes	1	2	3	4	5	6	14	18	19	
Literæ veteris Martyrologii nullam additiouem exigentes	o	p	q	r	s	t	h	a	b	
In Cyclo Aureæ Columnæ ſunt eædem, exceptis hiſce tribus	c	d	e							
Aurei Numeri currentes	7	8	9	10	11	12	13	15	16	17
Literæ veteris Martyrologii additamentum unitatis exigentes	i	k	l	m	n	o	p	r	s	t

24 Prædicta ſervata methodo Ætas Lunæ in veteris Martyrologii Lectione regulariter uniformis erit novo Martyrologio, & novo Calendario, adeo ut in toto decennovennali circulo diſcrepantia labente hoc ſæculo ſolum ſcateat unius dumtaxat diei in quibuſdam lunationibus quatuor tantum Annorum, nempe currentibus hiſce aureis numeris tertio, ſexto, decimo quarto, & decimo ſeptimo. Nulla enim fit mentio de correctione, quæ in Cyclo ſolum vere Gregoriano ex dictis *num.* 21. currente aureo uumero 19. fieri debet ſolum die 31. Decembris, ubi pro Luna trigeſima pronunciari debet luna prima.

Currente namque Aureo numero Tertio, Lunatio, quæ ſecundum prædictam regulam incipit die primo Octobris, incipere deberet die trigeſimo Septembris; & Lunatio, quæ incipit die 29. Novembris, incipere deberet die 28. ejuſdem menſis; id quod omnino ac faciliter corrigi poſſet facta utrobique præcedente Lunatione cava ex plena; ac propterea quæ dies in veteri Martyrologio tunc pronunciat lunam trigeſimam, indicabit lunam primam; & quæ dies proclamat lunam primam, annunciabit lunam ſecundam; & ſic de cæteris uſque ad finem lunationis corrigendæ.

Currentibus vero aureis numeris *Sexto*, *&* *Decimo Septimo*, Lunatio,

tio, quæ incipit mense Februario, ac etiam sub finem mensis Julii, & sequentium omnium mensium ejusdem Romani Anni, incipere deberet die proxime sequente; id quod omnino corrigeretur facta plena ex cava Lunatione, quæ prædictam illam Februarii, & Julii proxime præcedit; ac propterea in ipsa Lunatione, quę incipit mense Februario, & sub finem mensis Julii, & sequentium omnium mensium, ubi veteris Martyrologii litera secundum prædictam regulam pronunciat lunam primam, utrobique proclamabit Lunam regulariter trigesimam præcedentis Lunationis; ubi vero indicit lunam secundam, tunc semper annuntiabit lunam primam; & sic procedatur sequentibus diebus per singulas omnes Lunationes, uti supra corrigendas usque per totum mensem Decembrem.

Denique currente aureo numero *decimo quarto*, Lunatio, quę incipit mense Januario, Februario, Martio, Majo, Julio, & sub finem Augusti, Octobris, & Decembris, incipere deberet die sequente; id quod omnino corrigeretur, si Kalendis Januarii pro luna vigesima sexta, in lectione veteris Martyrologii dicatur Luna vigesima quinta; & sic procedatur successivis diebus unitatem tollendo ætati Lunæ per literam veteris Martyrologii enunciatæ usque per totam Lunationem, quæ incipit mense Martio; adeo ut quæ dies tunc proclamat lunam primam, indicat Lunam regulariter trigesimam; & quæ dies pronunciat lunam secundam, semper proclamat lunam primam; & sic de cæteris. Lunationes vero, quæ incipiunt mense Majo, Julio, & sub finem Augusti, Octobris, & Decembris, corriguntur, si ex cava fiat plena Lunatio, quæ singulis hisce notatis proxime præcedit; ac propterea quæ dies tunc pronunciat Lunam primam, proclamat lunam trigesimam, & quæ dies annunciat lunam secundam, indicat lunam primam; & sic de cæteris.

Notandum tamen est, quod in Cyclo Aureæ Columnæ altera emergeret correctio facienda, nimirum, currente aureo numero quarto. Kalendis enim Januarii, sequentibusque Januarii diebus usque ad proximum Novilunium, Ætas Lunæ tunc pronuncianda esset major unitate.

25 Ætas igitur in lectione veteris Martyrologii regulariter obtineri potest uniformis novo Martyrologio, ac novo Calendario; & licet quibusdam solum mensibus ab hoc discrepet, tamen ex notatis resultat, quomodo faciliter tunc corrigi possit; & dato, quod tunc non corrigeretur, hujusmodi differentia nihili pendenda esset, quippe quæ nullum ex Festis mobilibus, nihil ex sacris ritibus variaret; nec ista potest contingere in Novilunio, & quartadecima Paschali, quod maxime attendi debet.

26 Prædicta procedunt in hypothesi, quod exteræ Nationes, antiquato veteri Stylo, novum Stylum quoad Annum solarem amplectantur.

De hypothesi retentionis Styli veteris.

27 Sed dato per modum hypothesis, quod ipsæ Exteræ nationes adhuc retinere vellent veterem stylum, quod non creditur, nihilominus Ætas Lunæ singulis Romani Anni diebus in lectione veteris Martyrologii haberi potest conformis novo Martyrologio, ac novo Calendario, idque obtinetur observata eadem regula *num.* 21. exposita, simulque observata dierum differentia inter stylum veterem, & novum. Etenim

nim hoc labente fæculo, qui dies ftylo novo eft 21. Martii, ftylo veteri eft decimus Martii, & fic de cæteris. Unde qui veterem ftylum retinerent, progreffum Noviluniorum Pafchalium, qui nobis in Calendario novo eft a die octavo Martii ad diem quintam Aprilis inclufis terminis, haberent a die 25. Februarii, five clarius (propter Biffextilium intercalationem) a quinto Kalendas Martias, ad diem vigefimum quintum Martii inclufis terminis, & confequenter licet diverfa fit dierum menfis nomenclatura, tamen unus, & idem dies tam ipfis exteris nationibus, quam nobis effet Novilunium Pafchale; atque ætas Lunæ in Martyrologii lectione, id quod quifque fine ulteriori negocio faciliter affequetur ex fequenti Laterculo, eadem, quam diximus *num.* 23. ratione confecto.

L A T E R C U L U S

Qui labente hoc fæculo rem manifeftat in hypothefi retentionis Styli veteris.

Aurei numeri currentes	1	2	3	4	5	14	17	18	19	
Literæ veteris Martyrologii nullam additionem exigentes	p	q	r	s	t	i	a	b	c	
In Cyclo Aureæ Columnæ funt eædem exceptis hifce tribus	d	e	f							
Aurei numeri currentes	6	7	8	9	10	11	12	13	15	16
Literæ veteris Martyrologii additamentum unitatis exigentes	i	k	l	m	n	o	p	q	s	t

28 Exemplum rem faciet clariorem. Diximus *num.* 22. quod Anno 1751. in quo recurrit aureus numerus quartus, Pafchale Novilunium futurum eft die 27. Martii ftylo novo; qui dies eft 16. Martii ftylo veteri. Cum aureus numerus quartus in exhibito Laterculo fubfcriptam præfeferat literam S. in ifto die 16. Martii litera S. in veteri Martyrologio, & in qua hypothefi loquimur defignat lunam primam Pafchalem; die autem 17. Martii ftylo veteri lunam fecundam; & fic de cæteris ufque per totum menfem Decembrem. Infuper eadem litera S. die primo Januarii ftylo veteri [qui dies ftylo novo eft duodecimus Januarii] proclamat Lunam decimam fextam; die autem 16. Januarii ftylo veteri [qui dies ftylo novo eft vigefimus feptimus Januarii] pronunciat Lunam primam, five Novilunium; & fic de cæteris ufque ad Novilunium Pafchale, & confequenter ufque per totum menfem Decembrem, ut dictum eft.

29 Notatur tamen, quod in ifta hypothefi Lunatio, quæ incipit menfe Decembre, terminatque menfe Januario, labente hoc fæculo in decennovennali circulo ter accidit dierum 31. fed correcta fcatet in fequentibus.

Ifta

30 Ista itaque servata methodo, simulque retento stylo veteri, Ætas Lunæ in lectione veteris Martyrologii regulariter uniformis erit novo Martyrologio, ac novo Calendario, adeo ut in toto decennovennali circulo discrepantia solum emergat unius dumtaxat diei in quibusdam Lunationibus novem tantum Annorum, nempe currentibus hisce aureis numeris, secundo, tertio, quinto, octavo, undecimo, decimo tertio, decimo quarto, decimo sexto, & decimo nono, & ipsa discrepantia faciliter corrigi potest, ut in sequentibus breviter planum faciam.

Currente enim aureo numero *secundo*, Lunatio, quæ secundum prædictam regulam incipit stylo veteri die primo Octobris, incipere deberet die trigesimo Septembris, & Lunatio, quæ incipit stylo veteri die 29. Novembris, incipere deberet die 28. ejusdem mensis; id quod omnino corrigeretur facta utrobique præcedenti lunatione cava ex plena; ac propterea quæ dies in veteri Martyrologio tunc pronunciat Lunam trigesimam, indicabit Lnnam primam; & quæ dies proclamat Lunam primam, annuntiabit Lnnam secundam, & sic de cæteris usque ad finem ejusdem Lunationis corrigendæ.

Currente aureo numero *Tertio, & undecimo*, Lunatio, quæ secundum prædictam regulam incipit stylo veteri hisce utrobique mensibus Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, & Novembris, semper incipere deberet die præcedente, corrigiturque facta præcedenti Lunatione cava ex plena, ac propterea quæ dies in veteri Martyrologio tunc pronunciat lunam trigesimam, indicabit lunam primam; & quæ dies proclamat lunam primam, annuntiabit lunam secundam; & sic de cæteris usque ad finem Lunationis corrigendæ.

Id ipsum contingit currente aureo uumero octavo, in Lunatione quæ secundum prædictam regulam incipit stylo veteri Kalendis Februarii, & Kalendis Aprilis, atque sub finem mensis Maii, Julii, Septembris, & Novembris; corrigitur autem eodem prorsus modo, quo nuper dictum est.

Id etiam ipsum contingit currente aureo numero *decimo tertio*, in Lunatione quæ secundum prædictam regulam incipit stylo veteri die 30. Septembris, & die 28. Novembris; corrigitur autem quo præcise modo nuper dictum est.

Similiter id ipsum contingit currente aureo numero *decimo nono*, in Lunatione, quę secundum prædictam regulam incipit stylo veteri die 31. Januarii, & Martii, atque sub finem Maii, Julii, Septembris, Novembris, & [usu dumtaxat Cycli vere Gregoriani] Decembris Corrigitur autem eodem modo, quo nuper dictum est; hoc solnm memorato, quod Lunatio, quæ stylo veteri tunc terminat mense Decembre, quippe quæ est, ac perseveranda sit cava, includere nequit in fine Lunam trigesimam; ac propterea licet fiat prædicta correctio die 20. Decembris, ubi in veteri Martyrologio legitur luna vigesima nona dici debet luna prima, & sic procedatur per totum mensem Decembrem styli veteris; ex quo insensibiliter scatet confecta etiam illa correctio notata *num.* 21.

Currente demum aureo numero *decimo sexto*, in hisce dnabus Lunationibus, quæ secundum prædictam regulam incipiunt stylo veteri sub initium mensis Aprilis, & Junii, id ipsum contingit, quod supra de aliis

de aliis Lunationibus adnotavimus, corrigiturque eodem modo, quo supra dictum est.

E contra vero, eodem currente aureo numero *decimo sexto*, Lunatio, quæ secundum prædictam regulam incipit stylo veteri mense Augusto, Octobre, & Decembre, incipere deberet die proxime sequente; id quod omnino corrigitur facta plena ex cava Lunatione, quæ proxime præcedit, ac propterea ubi litera veteris Martyrologii secundum prædictam regulam tunc pronuntiat Lunam primam, proclamabit Lunam trigesimam præcedentis Lunationis; ubi vero indicit Lunam secundam, annunciabit Lunam primam; & sic procedatur sequentibus diebus per singulas istas Lunationes, uti supra corrigendas, usque per totum mensem Decembrem.

Currente aureo numero *Quinto*. Lunatio, quæ secundum prædictam regulam incipit stylo veteri mense Februario, Julio, & sequentibus omnibus ejusdem Romani Anni mensibus, incipere deberet die proxime sequente; corrigiturque facta plena ex cava Lunatione, quæ prædictam illam Februarii, & Julii proxime præcedit; ac propterea in ipsa Lunatione, quæ incipit mense Februario, & Julio, sequentibusque omnibus mensibus, ubi litera veteris Martyrologii secundum prædictam regulam pronunciat lunam primam, proclamabit lunam regulariter trigesimam; ubi vero indicit lunam secundam, semper annuntiabit lunam primam; & sic procedatur sequentibus diebus per singulas omnes Lunationes, uti supra corrigendas, usque per totum mensem Decembrem.

Denique currente aureo numero *decimo quarto*, id ipsum contingit in Lunatione, quæ secundum prædictam regulam incipit stylo veteri mense Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobre, & Decembre; corrigitur autem facta plena ex cava Lunatione, quæ tunc proxime præcedit, ut nuper dictum est. Rursus eodem currente aureo numero *decimo quarto*, cum ad denunciandam secundum prædictam regulam Ætatem Lunæ non servetur Alphabeti ordo in literis martyrologii; Lunatio, quæ stylo veteri terminat mense Januario, fit secundum prædictam regulam cava, quæmadmodum habita hujusce temporis relatione ad novum stylum, secundum veteres computistas cava esse debet, & secundum novum Martyrologium, novumque Calendarium est cava. Quamobrem Kalendis Januarii styli veteris pro Luna septima, in veteri Martyrologio proclamari debet luna sexta; die autem secundo Januarii luna septima; & sic procedi debet sequentibus Januarii diebus usque ad proximum Novilunium, secundum prædictam regulam designatum.

Notandum tamen est, quod in Cyclo tantum Aureæ Columnæ altera emergeret facienda correctio, nimirum currente aureo numero *quarto*. Kalendis enim Januarii, sequentibusque Januarii diebus usque ad proximum Novilunium pronuncianda esset minor unitate.

31 Constat igitur evidenter, quod in veteris Martyrologii lectione Ætas Lunæ etiam in hypothesi retentionis styli veteris obtineri potest regulariter uniformis novo Martyrologio, ac novo Calendario; & si in quibusdam Lunationibus scateat unius diei differentia, hæc faciliter corrigi potest, ut dictum est; Et dato, quod tunc non corrigeretur; hujusmodi differentia, ut notavimus, nihili pendenda esset. Nunquam

quam enim in Noviluniis, & quartis decimis Paſchalibus, ac propterea in Paſchæ, Feſtorumque mobilium celebratione, & ſacris ritibus ſcateret differentia.

Quod denique expoſitum eſt pro uſu labentis ſæculi, eadem methodo per Peritos extendi poteſt ad alia ſæcula, ſi id ad removendum expenſarum gravamen adhuc expediens viſum fuerit.

De obtinendo Noviluniorum die, & conſequenter de obtinenda Lunæ ætate in veteri Calendario uniformiter ad novum Calendarium.

32 Dices, Plurimi ex privatis exteris Eccleſiaſticis præ manibus non habent Martyrologium, ſed dumtaxat vetus Aureorum numerorum Calendarium. Quomodo igitur ipſi Eccleſiaſtici ſine ullo Martyrologio diem Noviluniorum, & conſequenter Ætatem Lunæ in veteri Calendario obtinebunt uniformem novo Martyrologio, ac novo, ſive Gregoriano Calendario?

Reſpondeo, quod prædicti Eccleſiaſtici voti ſui compotes fieri poſſunt tam in hypotheſi, quod abrogato veteri ſtylo quoad Annum ſolarem, ſtylum novum amplectantur, quam in hypotheſi, quod ſtylum veterem adhuc retinerent.

33 Itaque qua majori potero ſimplicitate rem exponam, dicamque, cum undeviginti ſint aurei numeri, iſtorum ſingulis per ordinem in veteris Martyrologii conſtructione fuiſſe aptatas undeviginti literas ſecundum ordinem Alphabeti, nimirum ab a. uſque ad t. incluſis terminis; ac propterea ſi ſingulis aureis numeris ſubſcribas Alphabeti literas, ſequentem Laterculum conficies.

Aurei Numeri	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Literæ Alphabeti aureis numeris aptatæ	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t

Quare clarum eſt, exempli gratia, quod literæ d. in veteri Martyrologio congruit aureus numerus quartus, & ſic de cæteris.

34 Cum igitur in præcedentibus pateat, quæ nam litera tam ſine ulla additione, quam cum unitatis additamento in utraque ex prædictis hypotheſibus obſignet hoc labente ſæculo in veteri Martyrologio diem Novilunii Paſchalis, & conſequenter diem antecedentium, & ſequentium Noviluniorum ejuſdem Romani anni uniformiter ad novum Martyrologium, novumque Calendarium, eadem litera perpetuo aſſumatur. Hæc enim litera ſingulis quibuſque Annis labentis ſæculi obſignat etiam, demonſtratque in utraque reſpective ex prædictis hypotheſibus aureum numerum, qui extra fili currentium aureorum numerorum ordinem in veteri Calendario affixus eſt diei Novilunii Paſchalis, & conſequenter diei cæterorum omnium Noviluniorum ejuſdem Romani Anni uniformiter ad novum, ſive Gregorianum Calendarium; idque procedit in illis omnibus literis, quæ in Laterculo ſub *num.* 23. & in alio reſpective Laterculo ſub *num.* 27. nullam additionem exigunt. Literæ vero omnes, quæ in iſtis duobus Laterculis additamen-

tum unitatis exigunt, similiter demonstrant aureum numerum, qui in veteri Calendario affixus est *non diei* Novilunii Paschalis, sed *diei proximo post* Paschale Novilunium; qui dies in veteri Calendario vacuus est; ac propterea qui dies in ipso veteri Calendario proxime præcedit eidem aureo numero, tunc est dies Novilunii Paschalis, & consequenter dies cæterorum omnium Noviluniorum ejusdem Romani Anni uniformiter ad novum Calendarium; quamvis iste dies proxime præcedens, quandoque in decursu Romani Anni non sit vacuus.

35 Consequens igitur est, ut singula ea omnia, quæ in utraque ex dictis hypothesibus diximus, quandoque extra mensem Paschalem contingere in veteri Martyrologio, contingant etiam in veteri Calendario; adeo ut Lunationes illæ, quæ in ipso veteri Martyrologio adhuc differentiam unius tantum diei præseferunt, faciliterque ad obtinendam etiam tunc perfectam uniformitatem cum novo Martyrologio corrigi possunt, ut experientia comprobatum est *num.* 24. *&* 30. eadem differentia discrepent etiam in veteri Calendario, eademque facili ratione corrigi quoque possint ad obtinendam perpetuo uniformitatem veteris Calendarii cum novo, sive Gregoriano, in proclamanda die non solum Novilunii Paschalis, circa quod nunquam occurrit facienda correctio, verum etiam cæterorum omnium Noviluniorum ejusdem Romani Anni.

36 Rursus consequens est, *ut in hypothesi retentionis styli veteris* Progressus Noviluniorum Paschalium in veteri Calendario sit a die vigesimo quinto Februarii, sive clarius (propter Bissextilium intercalationem) a quinto Kalendas Martias ad diem vigesimum quintum Martii inclusis terminis; *in hypothesi vero acceptationis novi styli* ipse Noviluniorum Paschalium Progressus perseveret esse a die octavo Martii ad diem quintum Aprilis inclusis terminis.

37 Comperies itaque Ogdoadem hoc sæculo incipere currente aureo numero septimo, terminareque currente aureo numero decimo quarto; Hendecadem vero incipere currente aureo numero decimo quinto, ac terminare currente aureo numero sexto.

38 Dum autem sermonem fecimus de diebus in veteri Calendario vacuis, ac respective affixum habentibus aliquem ex aureis numeris; si scire cupias germanam, altissimamque rationem, a nemine adhuc exploratam, qua res ita sese habet, eam Dei beneficio a me detectam, atque explanatam comperies in Dissertatione post Quæstionem tertiam *num.* 51. *& seqq.*

39 Denique ne quis tedio afficiatur in perquirenda in dato Anno litera, quæ diem Noviluniorum præsefert, atque ex ea in perquirendo aureo numero, eidem literæ uti supra congruente, ob oculos ponam in utraque ex prædictis hypothesibus Laterculum, quo statim res innotescat, postea vero res ipsa exemplis illustrabitur.

LATER-

LATERCULUS

Qui labente hoc sæculo rem manifestat in hypothesi acceptationis novi Styli.

Currentes Aurei Numeri	1	2	3	4	5	6	14	18	19	
Aurei numeri extra fili currentium aureorum numerorum ordinem, affixi in veteri Calendario intra consuetos progressuum Noviluniorum Paschalium terminos, affixi, inquam, diei Novilunii Paschalis, cæterorumque Noviluniorum Romani Anni, qui insignitus sit currente aureo numero suprascripto	14	15	16	17	18	19	8	1	2	
Secundum Aureæ Columnæ Cyclum eadem res est, exceptis hisce tribus	3	4	5							
Currentes Aurei Numeri	7	8	9	10	11	12	13	15	16	17
Aurei numeri extra fili currentium aureorum numerorum ordinem, affixi intra prædictos terminos in veteri Calendario *diei proximo post Novilunium Paschale*, cæterorumque mensium Romani Anni, qui insignitus sit currente aureo numero suprascripto; ac propterea ubi affixi sunt indicentes lunam secundam	9	10	11	12	13	14	15	17	18	19

40 Usum prædicti Laterculi clariorem facient exempla. Diximus *num.* 22. quod Anno 1751. qui insignitus est aureo numero quarto, Novilunium Paschale futurum est die 27. Martii stylo novo, qui dies cum in veteri Calendario affixum habeat aureum numerum decimum septimum, statim deprehenditur, quod labente hoc sæculo, atque in orbem recurrente aureo numero quarto, Novilunium, sive Luna prima in veteri Calendario indicitur eo die, in quo ibidem inscriptus est aureus numerus decimus septimus, quem Laterculus exhibet subscriptum aureo numero quarto. Unde successivis diebus proclamatur Luna secunda, Luna tertia, & sic de cæteris.

41 Aliud exemplum; diximus eodem *num.* 22. quod Anno 1744. qui insignitus est aureo numero 16. Novilunium Paschale est Martii die 15. stylo novo; qui dies licet in veteri Calendario vacuus sit, nihilominus retineri debet pro Paschali Novilunio; ac propterea aureus numerus extra fili currentium aureorum numerorum ordinem decimus octavus, diei proxime sequenti in veteri Calendario affixus, & in Laterculo subscriptus currenti aureo numero decimo sexto, semper toto illo Romauo Anno indicit in veteri Calendario Lunam secundam, & successivis diebus lunam tertiam, lunam quartam, & sic de cæteris.

LATER-

L A T E R C U L U S

Qui labente hoc sæculo rem manifestat in hypotheſi retentionis Styli veteris.

Currentes Aurei Numeri	1	2	3	4	5	14	17	18	19	
Aurei Numeri extra fili currentium aureorum numerorum ordinem affixi in veteri Calendario a quinto Kalendas Martias ad diem 25. Martii ſtylo veteri inclusis terminis ; affixi inquam diei Novilunii Paſchalis cæterorumque Noviluniorum Romani Anni, qui inſignitus eſt currente aureo numero ſupraſcripto	15	16	17	18	19	9	1	2	3	
Secundum Aureæ Columnæ Cyclum eadem res eſt, exceptis hiſce tribus	4	5	6							
Currentes Aurei Numeri	6	7	8	9	10	11	12	13	15	16
Aurei numeri extra fili currentium aureorum ordinem in veteri Calendario affixi intra prædictos terminos *diei proximo* poſt Novilunium Paſchale, cæterorumque menſium Romani Anni, qui inſignitus eſt currente aureo numero ſupraſcripto; ac propterea ubi affixi ſunt; indicentes lunam ſecundam	9	10	11	12	13	14	15	16	18	19

Uſum prædicti Laterculi clariorem facient exempla . Diximus, quod Anno 1751. in quo recurrit aureus numerus quartus, Novilunium Paſchale futurum eſt die 27. Martii ſtylo novo; qui dies ſtylo veteri eſt dies 16. Martii in veteri Calendario habens affixum aureum numerum decimum octavum. Quotieſcunque igitur hoc labente ſæculo recurrit aureus numerus quartus, Novilunium Paſchale, ac cæterorum omnium menſium deprehenditur in veteri Calendario, ubi affixus eſt aureus numerus decimus octavus, quem Laterculus exhibet ſubſcriptum currenti aureo numero quarto. Unde ſucceſſivis diebus proclamatur Luna ſecunda, luna tertia, & ſic deinceps.

Aliud exemplum; Diximus inſuper, quod Anno 1744. in quo recurrit aureus numerus 16. Novilunium Paſchale contingit Martii die 15. ſtylo novo; qui dies ſtylo veteri eſt dies quartus Martii intra terminos Progreſſuum Noviluniorum Paſchalium in hac hypotheſi ſupra *num.* 36. expoſitos. Et licet iſte dies quartus Martii in veteri Calendario vacuus ſit, nihilominus retineri debet pro Paſchali Novilunio; ac propterea aureus numerus extra fili ordinem undevigeſimus, die proxime ſequenti in veteri Calendario affixus, & in Laterculo ſubſcriptus currenti aureo numero 16. ſemper toto illo Anno proclamat in veteri Calendario Lunam ſecundam, & ſucceſſivis diebus Lunam tertiam, Lunam quartam, & ſic de cæteris.

Conſtat

43 Constat igitur evidenter, quod tam in hypothesi acceptationis novi styli, quam in hypothesi retentionis styli veteris Exteræ Nationes, quamvis per modum hypothesis nullam de novo, sive Gregoriano Calendario notitiam haberent, istiusque constructionem ignorarent, nihilominus singulis Anni diebus Ætatem Lunæ in veteri Calendario obtinere possunt regulariter uniformem prædicto novo Calendario: Et si in quibusdam tantum Lunationibus supra respective, ac præcise notatis emergit unius diei differentia, hæc faciliter corrigi potest ratione, quam superius respective adnotavimus *num.* 24. & 30. Et dato, quod tunc non corrigeretur, hujusmodi discrepantia nihili pendenda esset ex eo, quia in Noviluniis, ac decimis quartis Paschalibus; ac propterea in Paschæ Festorumque mobilium celebratione, ac in sacris ritibus, nulla unquam scateret differentia.

44 Exteræ igitur nationes, quæ novum ipsum Calendarium adhuc amplexæ non sunt, dum vident sine ullo ejusdem novi Calendarii usu facilitatem in assequenda singulis Anni diebus Ætate Lunæ, præsertim in assequendo singulis Annis die Novilunii, & quartædecimæ Paschalis, ac die Dominico Paschæ, uniformiter nobiscum, qui ipsum Calendarium sequimur, animadvertere dignentur, sine argento, & sine auro absolvi posse in celebratione Paschæ unionem, ad quam omnes suadet tum communis in commercio utilitas, tum Divina Scriptura, tum etiam veteres Sacri Canones, & Patres, tum denique illa Fides de humana Redemptione, quam omnes unanimiter profitemur, & celebratione Paschæ recolimus. Ecclesiastici enim propter facillimam, expositamque methodum obtinendi sine novi Calendarii, ac Martyrologii usu, ac sine istorum notitia, obtinendi inquam quidquid obtinere possent ex novo Martyrologio, ac novo Calendario, præcisam, præsentemque non habent necessitatem emendi libros, quibus prædictum Calendarium apponi solet.

LAUS DEO SEMPER

AMEN.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
AD INSTAR COMPENDII ELUCUBRATUS.

QUÆ Methodos observata sit in hoc Opere, legitur initio Libri proxime ante initium primæ Quæstionis.

Quæstione Prima.

 indicat

Quæstione Secunda.

Quot

Quæstione Tertia.

Contra

DISSERTATIONE

Post tertiam Quæstionem.

Quin-

 Octoa-

Traditur

 Usus,

ponunt

INDEX

Falsitas

cit

Quæ-

Quæstione Quarta.

DISSERTATIONE
Post Quartam Quæstionem.

Quæstione Quinta.

DISSERTATIONE

Post Quæstionem Quintam de Anno Incarnationis, & Passionis Domini atque de veteri Cyclo Judæorum.

Quæstione Sexta.

Quot,

Quæstione Septima.

Regula

QUÆ-

Quæstione Octava.

Quæstione Nona.

LAUS DEO SEMPER
AMEN.

De mandato vidit, &c.

Jo. Dominicus Mansi Cong. Matris Dei.



IMPRIMATUR.

JO. IGNATIUS LIPPI ARCH. VIC. GEN.

FRANCISCUS MARIA FLORENTINIUS ILLUSTRISS. OFF. SUPER JURISD. PRÆP.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 27.	
An. 2171. Epact. XXXV.	XXIV.
An. 2782. XXVI.	XXIV.
An. 2839. XXVI.	XXIV.
An. 3822. XXIX.	XXIV.
Pag. 30.	
An. 3848. hor. 77.	17.
Pag. 31.	
An. 4349. Epact. XVI.	XXVI.
Pag. 49.	
lin. 5. sec. 77. post meridiem	17. post meridiem
Pag. 55.	
lin. 37. horis 6.	horis 5.
Pag. 58.	
lin. 14. In diametralem oppositionem, uti	In diametrali oppositione positis, sed proxime ad diametralem oppositionem, uti
Ibid.	
lin. 31. diebus ante	biduo ante
Pag. 61.	
lin. 26. quartadecima	quintadecima.
Pag. 64.	
lin. 1. die 7. min. 22.	die 7. hor. 2. min. 22.
Pag. 70.	
lin. 13. In Epitome pag: 124.	In Epitome pag. 114.
Pag. 79.	
lin. 16. quæst. 5. num. 56.	quæst. 5. num. 52.
Pag. 84.	
lin. 30. veteram	venturam
Pag. 94.	
lin. 14. lib. 1. cap. 19.	lib. 1. cap. 10.
Pag. 96	
lin. 7. pag. 395.	pag. 394.
Pag. 113.	
lin. 42 cap. ibi	cap. 25. ibi
Pag. 122.	
Dies 29.	20.
20.	21.
21.	22.
22.	23.
Pag. 135.	
lin. 9 163.	263.
Pag. 130.	
lin. 16. proposit. 24.	proposit. 34.
Pag. 163.	
lin. 14. annis 81.	annis 84.
Pag. 190.	
lin. 17. num. 226.	num. 206.
Pag. 201.	
lin. 33. min. 45.	min. 55.
Pag. 233.	
lin. 45. luna decimaquinta	luna decimaquarta.
Pag. 271.	
annis 341. die 18. M.	18. A
Pag. 274.	
lin. 30. vers. 22.	vers. 32.
Pag. 275.	
lin. 19. eodem cap. 20.	eodem cap. 30.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 281. lin. 19. auno 300.	anuo 800.
Ibid. lin. 20. fingula 100.	fiugula 300.
Ibid. lin. 34. aunorum 1800.	annorum 3800.
Pag. 302. lin. 3. 96.	46.
Pag. 310. lin. 16. an. 707.	an. 717.
Pag. 332. lin. 17. Pag. IV.	Pag. XIV.
Pag. 335. hor. 22. m. 26.	hor. 22. m. 36.
Pag. 342. lin. 14. num. 37.	num. 137.
Pag. 354. lin. 23. num. 803.	num. 83.
Pag. 367. lin. 14. poft annum. 1600.	poft annum 7600.
Pag. 370. lin. 35. anuo 2391.	2491.
Pag. 423. lin. 59. uum. 108. ufque	num. 101. ufqne
Pag. 425. lin. 48. die 12. Martii	die 22. Martii
Pag. 427. lin. 60. Anonymi die	Anonymi indicit die
Pag. 430. lin 31. illud diei 27. Martii	illud diei 21. Martii
Pag. 431. lin. 16. anni 1741	Anni 1742.
Ibid. lin. 44 hujufmodi latiuorum	hujufmodi Lunationum
Pag. 434. lin. 14. num. 21.	num. 23.
Pag. 436. lin. 28. ad 27. Martii	ad 21. Martii.

Alios errores, qui fortaffe Typographorum incuria irrepferint, humaniter fapiens Lector emendet.